BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
37 E
4

Magni, & Venerabilis Serui Dei,

IOANNIS GERSEN

ABBATIS ITALO-BENEDICTINI,

DE IMITATIONE CHRISTI

Libri Quatuor planè Diuini.

Nunc denuo ad fidem perantiquorum M. SS. Codd. recenſiti, & aucti, atque Apologetico Libello illuſtrati a D. Conſtantino Caietano, Siculo, Syracuſano, Caſinenſi Abbate Præſidente Apoſtolici Collegij Gregoriani, Domus S. Benedicti, de Propaganda Fide, eodemque Conſultore Sacræ ipſius Congregationis.

Ad Sanctiſs. D. N.

INNOCENTIVM PAPAM X.





ROMAE, A.C. 1644. Ex Typographica Officina Sacræ Congregat. de Propaganda Fide.

Superiorum Auctoritate.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs.P.M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Io.B.A.Epiſc.Camer.Viceſger.

Imprimatur, F. Hyacinthus Serronius Mag. & Socius Reuerendiſſimi P. F. Michaelis Mazarini S.P.Ap.Mag.Ord.Præd.

S. Auguſtinus Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor, lib.I.de Trinit.Capp.2. & 3.

Nec pigebit me, ſicubi hæſito, quærere: nec pudebit, ſicubi erro, dicere. Proinde quiſquis hæc legit: vbi pariter certus eſt, pergat mecum: vbi pariter hæſitat, quærat mecum; vbi errorem ſuum cognouit, redeat ad me: vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur ſimul charitatis viam, tendentes ad Deum.

INNOCENTIO X.

PONT. MAX.

Domnus Conſtantinus Abbas Caietanus, eiuſdem a Sacrarum Literarum Monumentis, & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Conſultor,
Sempiternam Felicitatem.

AD Nomen Sacrum & Auguſtiſſimum INNOCENTII DECIMI (B. P.) *Miſericordia, & Veritas obuiauerunt* Pſ. 84. *ſibi: Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt*. Ita Dauid Propheta Regius de Chriſto. Sed & nobis, auctoritate Sanctorum Patrum, idipſum affirmare licebit de Te (S. P.) Chriſti Vicario, Petri Principis Apoſtolorum Succeſſore. Nã ſtatim atque in Sedem Apoſtolicam immiſſus es; fidelis Chriſti Populus in eam ſpem venit: vt ex tanto malorum omnium conflictu reſpirans, aureos poſt hac cum Iuſtitia

& Orbis Chriſtiani Pace, annos ſibi promitteret.

Hoc ipſum præſagiebant (B. P.) clara Nominis Tui, Tuorumque Gentilitia Pamphiliorum Inſignia: Candida nempe Columba, & viridis Oliuæ Ramus in Ore. Hoc nimirum Auitæ Nobilitatis Stemma Pamphilium latè propagatum, cum anguſti Eugubinorum ſinus capere non valerent, centum ab hinc ſexaginta plus minus annis, Romanam in Vrbem, Fidei Chriſtianæ Regiam, adeòque in Orbis Theatrum, illatum eſt ab Antonio, Viro non minus Virtutum præſtantia claro, quàm celeberrimi nominis Iuriſconſulto.

Hæc porrò eſt (B. P.) illa Columba, quæ pacato quondam Deo, Cataclyſmi finem, & pacis felicitatem annunciauit Noë, Vxori, Filijs, horumque Vxoribus, vniuerſas hominum Nationes referenti-
Geneſ. c.8. bus. Ita namque Sacra Scriptura teſtatur: *Dimiſit* (Noë) *Columbam ex Arcæ, at illa venit ad eum ad Veſperam portans*
Beda in c.8. Geneſ. *Ramum Oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. Vnde Venerabilis Beda noſter: Columba,*
in-

inquit, *portans Ramum Oliuæ, ſignificat Chriſtum, qui attulit pacem mundo: & Ipſe eſt Pax noſtra*. Nec modò Chriſtum Eccleſiæ Caput ſignificat Columba, verùm etiam Romanam ipſam Eccleſiam: de qua illud Spiritus ſancti Oraculum intellexerunt Patres: *Vnica eſt Columba mea, formoſa mea*: nempe Eccleſia ſanguine Chriſti fundata. De eadem & Ioachim Abbas noſter: *Columbà in ſuo Volatu, Volatum Aquilæ, vel Accipitris non formidat*. Scilicet aduerſus Romanam Eccleſiam in Fide ſolidatam, nullæ nedum poteſtates mundi, & impiorum perſecutiones; ſed & ipſæ quidem Inferorum Portæ præualebunt. Omitto quod Chriſtus glorificatus, per Columbam oſtenſus eſt. Columbæ nimirum ſpeciem Spiritus ſanctus aſſumpſit (inquit Chryſoſtomus) quòd ſola præ omnibus animalibus eſt occultrix charitatis, & pacis; vt hinc conijcere liceat, quid (B. P.) Tibi Tua Columba repræſentet, cuius directioni Spiritus ſanctus aſſiſtens, Charitatis in primis; Iuſtitiæ, & Pacis ſtudiũ, hoc eſt, omnem Veritatem inſpirat.

Cantic. c.2

Ioach. Abb. in c. 1 Reuel. s. Cyril

Chryſ. ſup. c. 3 Matth.

Nec myſterio vacat, Te (P. S.) ab æterno quidem deſtinatum Summum ſuæ Eccleſiæ Pontificem, die Triumphali, Exaltationis ſanctæ Crucis, Diuinitus certi, inter fluctuantes ſententias fuiſſe deſignatum, poſtridie mundo declarandum: vt hoc Trophæo Pacis quondam poſt deuictos hoſtes ab Heraclio Imper. reſtituto, intelligeremus, ſedatis per Te Summum Pontificem bellorum fluctibus, quibus tot annis Eccleſia, Orbiſque Chriſtianus iactatur, reſtituendam cum tranquillitate Pacem, iucundamque Chriſtianis Crucis Religionem; vt huc aliquando reſpexiſſe videatur ſanctus Malachias noſter, Hiberniæ Antiſtes, qui Prophetiæ dono clarus, inter Symbola (ſeriem, & ordinem Romanorum Pontificum notantia) Tibi *Iucunditatem Crucis* inſcriberet: duabus hiſce Voculis; totum Pontificij muneris myſterium concludens; Quod Tu vnico I N N O C E N T I I vocabulo cōplexus, & in myſtico D E C I M I numero, ſummam omnium præſignaſti.

Hæc me mouerunt (B. P.) vt ad

pedes

pedes S. T. deoſculandos acceſſurus, non auream, vel argenteam; ſed tamen ſacram, & candidam Columbam dono offerrem: nempe Ioannem Gerſenem, Ordinis noſtri quondam Abbatem, in Aureis de Imitatione Chriſti Libris, Diuinæ illius Columbæ, qui Spiritus ſanctus eſt, arcana profunda myſticè eloquentem: vt omnium Scriptorum Vox ſit: Neminem Aſcetarum Pacis, & Charitatis mella aut legere copioſiùs, aut purioribus condere alueis, aut denique omnibus Chriſti dulcedinem inhiantibus, promere abundantiùs: vnde & Regum Aulæ, & Religioſorum Cellæ redundant: nec ſit, qui palatum ſanum afferens, cæleſtis illius beatitudinis, ad quam Te Duce(S. P.) Chriſtiani tendimus, nectar ex eiuſdem lectione non prægustet. Vt non immeritò Bellarminus, rarum ſacræ Purpuræ Decus, ſcriptum reliquerit: *Opuſculum ſanè vtiliſſimum eſt: ac iure in tota Eccleſia, ſummo omnium conſenſu receptum, & frequentatum, & in omnes* Card. Bellarmin. lib. de Script. Eccleſ. in Gerſone

 penè

penè linguas conuerſum . Ego certè ab adoleſcentia, & vſque in ſenectam, hoc Opuſculum ſæpiſſimè volui, & reuolui; & ſemper nouum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit. Hæc Card. Bellarminus.

Iure igitur ad Te (B. P.) poſtremùm redit Ioannes Gerſenius, qui pridem ſua exutus hæreditate, ſub victrice fel. rec. Aquila Pauli Papæ V. vindice nobiſcum venerandæ iterum memoriæ Cardinali Bellarmino, in integrum reſtitutus eſt. Planè debebantur Vindiciæ tales Gerſenio, vltro ſe, quod tum oſtendimus, Thoma Kempenſi re non ſua abdicante. Debebatur & Aquilæ tanti Pontificis Gerſen noſter; qui inſtar Aquilæ ſuper omnia volatilia cæli in altum contemplatione ſe librans, firmis oculis æternæ Lucis Solem intuitus eſt, ſublimique calamo, velut Aquilinis vnguibus, Diuinorum iudiciorum fulmen oſtendit mortalibus lauro miſericordiæ obuolutum: vt meritò ſub Alis Reginæ Auium conquieſcere debuerit: Aſcetarumq. Princeps

in

in ſummo Summi Pontificis patrocinio commorari.

Quid ni verò idem ad Te (B.P.) poſtremò hoc Dicantis labore rediuerit; vt ſub tuæ Columbæ Oliua Pacis, & Charitatis, & Ipſe Columba foueatur? Scilicet vt quæ inſtar Aquilæ in cælum euolans; altiſſima contemplatione didicit, eadem inſtar Columbæ, viam Innocentiæ ſanctiſsimo candore, mortalibus impertiret. Accipe igitur Innocenti Pontifex Maxime, donum hoc Innocentiæ Columbinum: Tuoque patrocinio & Gerſenem, & Gerſenis Vindicem, nocere neſcium, foue, diuque ſoſpes *Princeps Pacis*, & *Iuſtitiæ* viue. Ita vouet. ita precatur S.V. filius deuotiſsimus, ſeruus deuinctiſsimus. Romæ, ex Apoſtolico Collegio Gregoriano, Domus S. Benedicti de Propaganda Fide, XII. Kalend. Octob. Anno Chriſti M.DC.XLIV.

AD

AD EVMDEM
PONTIFICEM MAXIMVM
INNOCENTIVM
DECIMVM.

Carmen.

O Fortunatam Romam! cui Feſta beatæ
Virginis, atque Crucis: cui publica Vota dedere
Summum Pontificem: cuius prænuntia Pacis
Stemmata Romana referũt gratiſſima Genti
Lilia, cum viridi Ramo frondentis Oliuæ,
Candida pacifico quem geſtat in ore Columba.
Felix Auſpicium toto inſuper Orbe futuræ,
Quam dudum optamus, Tanto ſub Principe
PACIS.

IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR

I. *Apparatus*
Ad Gerſenem Reſtitutum,

II. *Libri*
Gerſenis Reſtituti.

III. *Methodus Practica*
Librorum Gerſenis Reſtituti,

IV. *Peritia ſiue breuis Epitome*
Librorum Gerſenis Reſtituti,

V. *Apologia*
Pro Gerſene Reſtituto,

VI. *Gerſenis Reſtituti*
Voluminis totius Indices duo.

A. M.

A. M. D. G.

Ope, atque Opera
Domni Conſtantini Caietani,
Siculi, Syracuſani (Ex Marchionibus
Sortini, & Principibus Caſſeri;
Piſis, ex Comitibus Terricij, & Oriſeti
in Sardinia;
atque inde Roma, ex Caietæ Ducibus,
& Campaniæ Comitibus,
Romanæ Vrbis Senatoribus, ac Præfectis
oriundi)
Gelaſij II. & Bonifacij VIII.
Romm. Pontt. Gentilis,
Caſinenſis Abbatis-præſidentis,
ac Fundatoris
Romani, Apoſtolicíq. Collegij Gregoriani,
Domus S. Benedicti,
De Propaganda Fide,
eiuſdemq. Congregationis Sacræ Conſultoris,
& Anicianæ Bibliothecæ Librorum
tam Manuſcriptorum,
quàm Impreſſorum refertiſſimæ,
Conditoris

Hæc Don Cæſar Caietanus, Patricius Syracuſanus, in laudem, & honorem Patrui ſui, Viri utique Reuerendiſſimi, ac Doctiſſimi, Clariſſimiq. Recenſebat.

S. D. N.

PAVLO V. PONT. MAX.

Domnus Conſtantinus Abbas Caietanus, eiuſdem a Sacrarum Litterarum Monumentis.

Sempiternam Felicitatem.

TANTA eſt, Beatiſſime Pater, virorum in omni laudis genere præſtantium, qui ex Sanctiſſimi illius Monachorum Parentis Benedicti Religione prodierunt, copia, & multitudo: vt eorum certum numerum definire, nō humanarum virium ſit; ſed præpotētis Dei, qui ſolus numerat multitudinem Stellarum, & omnibus
pſal. 146 eis nomina vocat. Et ſanè ſi ex hac valle miſeriarum, mortiſque ſentina, ad beatam illam Patriam, in qua ſedes eſt felicitatis, & æternitatis domicilium, paulìſper oculos conuettamus. illicò & Martyrum cādidatus exercitus, & Cōfeſſorum laudabilis numerus; & Virginum glorioſa ſocietas, ex Magni Benedicti Alūnis, inter choros laudantium Dominum, atque canentium, nobis occurret. Neque hoc loco neceſſe eſt, ſingulos cōmemorare; quorſum enim attinet in te omnibus nota, prolixiore ſermone

ne

ne vti? Deinde ſi id facere vellem, quis eſſet dicendi finis? Si quis igitur non imperitus rerum æſtimator huiuſce Religionis præclara merita conſiderans, ſacrum illud Elogium de ea pronunciare vellet: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas; a veritatis ſcopo fortaſſe non aberraret. Si tamen oportet gloriari, ab Apoſtolorum gloria, in qua nihil eſt tumidum, nihil inane, (vt Bernardus noſter admonet) non recedamus. Extant quidem plures, ac diuerſæ in Dei Eccleſia Religioſorum Familiæ, quarum ſingulæ ſuas habent prærogatiuas: ſed tamen propria, ac peculiaris Benedictinæ Religionis laus eſt, abundantiùs illis omnibus laboraſſe. Nihil inſolens, nihil a religioſa modeſtia alienum, eloquimur. De labore enim, non de mercede contendimus. Sit omnium tam qui prima, quàm qui nouiſſima hora venerunt ad operandum, par merces, & æqualis conditio; certè quis negabit Benedicti Patris Alumnos, qui Eccleſiæ Agrum mille, ac centum, & amplius ab hinc annis, cum tam copioſo Operariorum numero exercent, plus cæteris laboraſſe? Non ſunt ignoti noſtri labores, neque aliorum teſtimonio indigent. Si quidem numeroſa Monaſteria, & Eccleſiarum faſtigia tam in Italia, quàm in cæteris Chriſtiani

Prou. 3. 1

Bern. lib. 2. de Conſid. ad Eug.

1. Cor. 15.

Orbis Prouincijs, a Maioribus noſtris conſtructa; ſatis clamant, quantùm pro communi ſalute laborauerimus, & adhuc laboremus. Immo miſit Dominus alios metere, quod Noſtri laborauerunt.

Ioan.4.

Verùm non tanti ducimus, Eccleſiam caducis, & ruituris parietibus circumdediſſe; quanti facimus illam æternis, & in omne æuum manſuris operibus illuſtraſſe. Mitto nūc Dionyſium Exiguum, Aratorem Romanum, Ennodium Ticinenſem, & Aurelium Caſſiodorum, Romanæ Eccleſiæ Academiarum Lateranenſis, & Vaticanæ, ſeu Cantorū Scholæ Magiſtros. Mitto nunc Magnum Gregorium, Iſidorum, Ildefonſum, Bedam, Damaſcenum, Alcuinum, Rabanum, Haymonem, Damianum, Anſelmum, Brunonem Signinum, Rupertum, Bernardum, atque ipſum in primis Benedictum Monachorum Magnum Patriarcham, & Legislatorem, Iuſtorum omnium ſpiritu plenum: eiuſque Alumnos, Abbates, Placidum ſacri eius Ordinis Protomartyrem, & Maurum Confeſſorem, Cæleſtis Scholæ, & Diuinæ Vitæ Magiſtros. Mitto nunc Scholaſticam Virginem, admirabilis Patris Benedicti Sororem, Sanctimonialium Benedictinarum in Occidente Principē, quæ graui corporis mole preſſa, ab infantia ſemper cæleſtibus aſſueta Exercitijs;

Nos in lib. de Præſtātia Relig. Bened.

Gregor. 2. Dial.3.

citijs, nouo & inaudito e terris ad cælos trã-ſitus greſſu, nulla corporis infirmitate detẽta, ſed viuẽs, & læta in Columbæ ſpecie Cæli ſecreta penetrauit. Mitto nunc denique (vt eius generis homines e Sacra Magni Benedicti Prole innumeros pertranſeam) ex Angelico etiam Virgineo Sexu, Sanctimoniales illas, a Sancto Spiritu affl atas, Eliſabetham, Hildegardem, Gertrudem, Mechtildem, & Luthgardem, quæ tanquam quinque prudenter Virgines illæ Euangelicæ, lampades ſuas oleo virtu tum omnium repletas habentes, & igne Sancti Spiritus accenſas, lucidas opere ac ſermone manibus ferentes, lætantes in gloria, exierunt obuiam Chriſto ſpõſo, & ipſæ Virgines ſequẽtes Agnum, quòcumque ierit; & iam venio ad eum, cuius nomen etſi ante hæc tempora cognitum, nunc vulgò pæne ignotum eſt, ſed Scriptorum fama, & vtilitas ad vniuerſas Orbis terrarum Regiones penetrauit: Ioannem dico Gerſen, noſtri etiam Ordinis Abbatem Vercellenſem, & celeberrimi huius Libri de Imitatione Chriſti Auctore. Quãta in eo (Deus bone) ſanctitas elucet, quis humanarum rerum contemptus, quæ cæleſtis ſapientiæ ſublimitas, quæ beatæ vitæ forma, ac diſciplina? Iam verò ſi auctoritas quæritur, teſtes habet locupletiſſimos. Ec-

Ibid. c.33.

Ap. Laur. Surium de Sanctis.

Apoc. c. 14

cleſiæ Doctores ij, Thomas Angelicus, & Bonauẽtura Seraphicus, duo Chriſtiani Orbis Lumina, quanti hunc Librum facerent, euidenter oſtenderũt; Ille enim in componendo Sanctiſſimi Corporis Chriſti Officio, ab Eccleſia iam approbato, eo vſus eſt; Hic autem integros ex eodem locos in ſua Scripta tranſtulit. Quid de Pio V. Sãctitatis veſtræ Prædeceſſore, Sũmo Pontifice, & S. Carolo Borromeo Card. Archiepiſcopo, dicã, qui illum quòcumque irent, ſecum circumferebãt? Quid de Friderico Card. etiam Archiepiſcopo, eiuſdem S. Caroli Patruele? Et hic ſpiritu, & ſanctitate noſtri Gerſenis Alũnus mihi aſſeuerabat, Librum hunc ab ipſo conſcriptum fuiſſe non atramẽto terreo, ſed Diuino Sancti Spiritus; nec eo ſedente, ſed ſolis genibus innixo. Hic eſt Liber ille, ex quo Paulus IV. Pont. Max. ac BB. PP. Ignatius Loyola, & Philippus Nerius, religioſæ Vitæ præcepta haurientes, magno Chriſtianæ Reipublicæ bono poſteris promulgarũt. Thomas verò a Kempis, vir ſanctitate etiã, ac doctrina inſignis, tanto ſtudio cæleſtem, quæ in eo latet, doctrinam amplexatus fuit: vt nõ ſatis habuerit illum aliena manu exaratum perlegere, niſi quoque ſua ipſe deſcriberet. Eumdem denique Librum Alexander Saulius, magnæ ſanctitatis Papienſis

Epi-

Epiſcopus (alios ferè innumeros prætereo, ne plus æquo breuitatis limites excedam) e manibus numquam dimiſit.

Quantum igitur, & qualem virum fuiſſe Ioannem Gerſen Abbatem huhc noſtrum exiſtimare debemus, cuius diſciplinæ tot, & tales ſapientiæ Magiſtri ſeſe commiſerũt? Quamquam (ſi verum fateri volumus) non Ioannes, ſed ipſa potius Diuinitas, atque (vt apertiùs loquar) ſacer ille Spiritus, habitator quietis, puræ mentis penetralibus illapſus, per os Viri illius altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei mortalibus patefecit. Non mirum eſt igitur, ſi inter populos, ac nationes, tanta hactenus fuit de huius Libri Auctore contentio, illum ſibi vnaquaque Regione certatim vẽdicante: prout Homero accidiſſe, narrat Antiquitas. Quin etiam omnium Gentium conſenſio in eiuſdem Libri venerationem adeo conſpirauit; vt iam nemo ſit, qui ſe abſcondat a calore eius: & in omnem terram ſonus eius (non ſecus, ac Apoſtolicæ Prædicationis) exierit. Satis enim conſtat a Græcis, & Hiſpanis, Gallis, & Germanis, Anglis, & Sarmatis, aliiſque, & (quod magis mirandum eſt) etiam a Turcis Chriſtianæ Philoſophiæ Præceptorem, propriâ cuiuſque voce loquentem audiri. *Pſal. 18.*

Benè igitur de Chriſtiani Nominis propagatione ſperandum, quando quidem factæ ſunt omniũ Gentium voces in Chriſti Imitatione concordes. Quid aliud proinde reſtat, niſi vt beata illa Eccleſiæ primordia (quãdo vnum erat cor credentium, & anima vna) quæ ab omnium linguarum coniunctione exordium habuerunt, redeamus?

Act. 4.

Cæterùm (Beatiſſime Pater) Libellum hunc Auctori ſuo reſtitutum, ſub tuo Auguſtiſſimo nomine placuit in lucem emittere: idque a me conſultò, & ſumma cum ratione factũ eſt. Veritatis enim patrociniũ ſuſcipere, cui magis cõuenit, quàm Petri Succeſſori, qui Soliũ ſuũ in Veritatis Petra, quæ Chriſtus eſt, collocauit? Iam verò quis, quæſo, Liber (ſacræ Paginæ Auctores ſemper excipio) dignior iudicandus eſt, qui Sũmi Pontificis manibus verſetur, eiuſque ſollicitas pro humano Genere curas aliquando interpellet, quã qui Chriſti docet Imitationem? Qua de re ſecurus tandem prodeat Ioannes Gerſen Abbas noſter, & tãtj Defenſoris patrocinio munitus, ſuorũ laborũ gloriam ſibi ſubtrahi ampliùs non reformidet. Deus Optimus Maximus Sanctitatem tuàm ad Eccleſiæ ſuæ vtilitatem diu ſeruet incolumem. Vale. Romæ, Ex tuo Palatio Apoſtolico, iij. Non. Iunij, A. C. M. DC. XVI.

Cor. 10.

VE.

VENERANDIS
BENEDICTINAE FAMILIAE
ASCETIS, NEC NON OMNIBVS
CHRISTI FIDELIBVS RELIGIOSIS,

Crucis Sectatoribus, Imitatoribus Chriſti.

Domnus Conſtantinus Caietanus, Benedictinus, ſolo nomine Abbas, Seruus, & Frater in Chriſto Ieſu,

Profectum, & Perſeuerantiam.

L*IBELLVM de Imitatione Chriſti* Ioannis Gerſenis *Abbatis noſtri Benedictini, Auctori ſuo, atque Ordini iterũ aſſerturus, cuius ſub patrocinio, vel potiùs auſpicijs mihi militandum eſſet, quàm veſtris (Patres admodùm Reuerendi, mihique ſummoperè colendi) quorum intereſt potiſſimùm, Virum hunc, veſtri Ordinis, ac dignitatis decus, veſtræ vitæ ac diſciplinæ ducem præſtantiſſimum tueri. Quæ namque eſt alia, Vita veſtra, verbis Apoſtoli, quàm* Vita abſcondita cum Chriſto in Deo? *Seu, vt loquitur Auctor hic noſter,* Via regia Sancta Crucis: *vel, vt alibi,* Chriſtum per Crucem imitari? *Quid autem eſt Chriſtum per Crucem*

Coloſſ. 3.
De Imit. Chriſ. lib. 2. c. 12.

Imitari

l.3.c.56 *imitari, niſi, mundo & ſeipſo ſpretis, Chri-*
lib.2.c.12 *ſtum ſequi, Crucem ferendo, in Cruce morien-*
do. Ecce, *inquit,* in Cruce totum conſtat, & in moriendo totum iacet. *Scilicet, Crucem ſuam portare, cum Chriſto Cruci configi, & in ea vſque ad mortem perſeuerare, hæc eſt vera Chriſti Imitatio, Auctoris Vita, Vita ve-*
l.3.c.56. *ſtra;* Suſcepi, *inquit,* de manu tua Crucem, portabo eam vſque ad mortem, ſicùt impoſuiſti mihi. Verè vita boni Monachi Crux eſt, ſed dux Paradiſi. Incœptum eſt, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. Eia, fratres, pergamus ſimul, Ieſus erit nobiſcũ: propter Ieſum ſuſcepimus hanc Crucem, propter Ieſum perſeueremus in Cruce. *Cũ igitur Monaſticæ vitæ ſumma in Cruce conſiſtat, & in vna Chriſti Imitatione abſoluatur, quis eam alibi, ſi rem ſpectemus, meliùs; ſi nomen, aptiùs deſcriptam inueniat, quàm in his quatuor Libris de Imitatione Chriſti? Quis illius Vitæ, vel perfectionem docuerit luculentiùs, vel Profectum, ac Perſeuerantiam perſuaſerit efficaciùs, quàm hic Ioannes Gerſen Abbas noſter Vercellenſis? Hos enim quatuor de Imitando Chriſto Libellos, vt olim* Patriar-
Geneſ.30. cha Iacob, *tot virgas in canalibus aquarum, ipſe Paſtor inſignis, &* θεοδίδακτος, *in clauſtris Monachorum, ante conſpectum arietum & ouium, Superiorum, ſcilicet, & Subdito-*

rum

rum poſuit, vt in eorum contemplatione conciperent. Conciperent, inquam, & conceptos parerẽt Monaſticæ vitæ fœtus & fructus æterna vita dignos, in Imitando videlicet Chriſto profectum, ac perſeuerantiam. Quandoquidem ergo Auctor veſter eſt, quia veſtri Ordinis Abbas; veſtrum & Opus, quia vobis elucubratum; quidni etiam vtriuſque Propugnator veſter ſit, & nuncupetur; Et gratiarũ largitor Deus illuminet ſenſus, & corda veſtra in Chriſto Ieſu Domino noſtro, memores mei in deuotis veſtris ad Deum Sacrificijs, & Orationibus: Valete.

Humaniſsimo, & Erudito Lectori,

Domnus Conſtantinus Caietanus, Abbas Benedictinus,

S.P.D.

EN tibi, Lector, Aureum illud, ac planè Diuinum de Imitatione Chriſti Opuſculum, è vetuſtioribus manu-exaratis noſtræ Anicianæ Bibliothecæ Codicibus erutum, & ad eorum fidem multò accuratiùs, quàm antehac recognitum: nec non Ioanni Gerſeni Abbati, Auctori

ſuo

ſuo vero reſtitutum. Ioanni, inquam, Gerſen, Abbati Benedictino Vercellẽſi, non Ioanni Gerſon, Cancellario Pariſienſi, aut Thomæ a Kempis Canonico Regulari, quibus a nonnullis antehac tributum erat. Fuit Thomas a Kempis, vt omnes norunt, natione Teutonicus, ſeu Belga, Ordinis S. Auguſtini, Clericus Regularis, in Monaſterio S. Agnetis prope Zuuollis, Diœceſis Traiectenſis, vbi vitam ſuam, ad Redemptionis noſtræ annum 1471. & ætatis ſuæ vnum ſupra nonageſimum ſanctiſſimè produxit. Ioannes autem Gerſon, (a Pago de Gerſon in Gallia, vnde oriundus erat, vulgò ſic dictus) cognomento Carlerius, Clericus ſolùm ſæcularis; Doctor, atque Cancellarius Academiæ Pariſienſis, doctrina pariter ac pietate perſpicuus. Is Lugduni anno Chriſti 1429. ex hac vita migrauit. Ioannes verò Gerſen, Librorum quatuor de Imitatione Chriſti germanus Auctor, ortu Italus, de Canabacco agri Vercellenſis Oppido, & Cœnobij S. Stephani Ordinis S. Benedicti, in Ciuitate

Vercel-

Vercellarum Abbas, ad annum Chriſti 1220. vel circiter ſuperſtes, Gerſoni Cancellario, nedum Thomæ Kempenſi, ducentis annis anterior extitit. Vir ſanè, ſi ad Euangelicam appenſus trutinàm, qua Veritas dixit: Ex abundantia cordis os loquitur; haud propter minorem vitæ ſanctimoniam, quàm ſupercæleſtis verbi efficaciam perpetuò celebrandus. *Luc.6.*

Editiones porro Librorum de Imitatione Chriſti, binæ iam extant recentiores, quæ maiorem præ cæteris curam, ac recognitionem adpromittunt: Vna Belgica, quam Henricus Sommalius e Societate Ieſu Presbyter, vir admodum pius, & eruditus, ad autographum emẽdatam (ſic enim vocat ille exemplar Belgicum cum Louanienſe, tũ Antuerpienſe Kempenſis manu deſcriptum) Antuerpiæ anno primum 1599. deinde 1601. & 1607. typis ſubiectum, Thomæ a Kempis inſcripſit. Romana altera, quam nos (vt Auctorem hunc noſtrum Gerſenem diligentiùs illuſtraremus) ad M.S. Codicis Aronenſis fidem Romæ anno 1616.

in

in lucem emiſimus ſub nomine Ioannis Geſſen, quia ſimul cum Gerſen, ſemel etiam Geſen, in illo Codice ex Antiquarij lapſu legeretur. Nondum enim tunc nactus eram Codicem Mãtuanum, etiam Manuſcriptum, qui Auctoris nomen, omnem iam extra controuerſiam poſuit: quippe qui non Geſſen, vel Gerſon, ſed Gerſen repræſentat, & ita in poſterum exprimendum docuimus. Belgicam tandem Henrici Sommalij Heribertus Rosveydus eiuſdem Inſtituti Socius, nec is minus doctus, ad incudem reuocauit, & anno 1617. cum Vindicijs Kempenſibus aduerſum nos, & inde poſt decennium, iterum euulgandum curauit.

Cæterùm ex duabus his editionibus non tantùm Romanam Codicis Aronẽſis a nobis tũ primùm exactam, verùm etiam aliorum Codicum trium, videlicet Mantuani, Cauenſis, & Leo-Allatiani tibi in præſentiarũ, Lector, exactiùs exhibemus; vt quæ (ſepoſitis erratis Præli, atque Librarij lapſibus manifeſtis) Belgica Sommalij, ſiue Rosveydi longè

corre-

correctior eſt, maximèque ſyncera,ſeu textus ſpectes præſtantiam, ſeu Manuſcriptorum fidem.

Nihilominus,vt in hac gemina lite de germano Libelli huius Auctore, atque Editionis præſtantia, integrum ſit Lectoris cum iudicium,tum pietas, operæ pretium exiſtimauimus,nec illud forſan ingratè, ſi Editionis ſecundæ huius noſtræ ſynceritatem,præſtantiam, fidem, Concertatione Apologetica illuſtraremus, atque tum Rosveydi Vindicijs Kempenſibus, tum aliorum quorumcumque in rem hanc diſſertationibus, haud minus Auctorum ſuo Operi,quàm Opus ipſum ſuæ integritati reuindicaremus,certòque aſſereremus.

Acceſſit præterea noſtræ huic diligentiæ Reſponſio exhibita Eminētiſsimis & Reuerēdiſſimis Dominis S. R.E. Cardinalibus Sacræ Congregationis Indicis pro eodem Ioanne Gerſene Abbate, vero Auctore eorumdem Librorum de Imitatione Chriſti,aduertus Libellum ſupplicem Venerabilium Canonicorum Regularium ſancti Au-

guſtini

guſtini, vel aliorum quorumcumque Scripta referentium, Thomam a Kempis Auctorem fuiſſe dictorum Librorũ, etiamſi gratioſiſsimè informauerint, atque oppugnauerint ijdem Aduerſarij.

Denique acceſſerunt labori eidem noſtro eorumdem quoque Librorum Aureorum Aureæ Claues duæ, altera Methodus Practica, altera Breuis Epitomæ, ſiue Peritia. Hæc te volebam ſcire, Lector Humaniſsime, atque in Chriſto Ieſu valere.



Rmus. P. D. Constus. Abb: Caietanus. Syrac. Vindex.
Benedus. Magnarum Rerum Auctor.
Scriptor. Promotor. A.C. 1641. Æt. 73



Effigies Ioannis Gersen de Canabacco Abbatis Bened.ᵗⁱ
monaſteriq; Vercellenſis S. Stephani ex ms. Cod. ſupra tre-
centos annos exarato; atq; in Bibliotheca Aniciana Ap.ᶜᵃ
Rom.ᵉ Collegij Greg.ⁿⁱ de propaganda fide aſseruatur.
1644. Romæ. Superiorũ permiſsu.

APPARATVS
AD GERSENEM
RESTITVTVM.

Perilluſtri ac Reuerendiſsimo in Chriſto Patri,
Domno Conſtantino Caietano,

Romanis quinque Pontificibus a Sacrarum Literarum Monumentis, Principi Reſtitutori Auctoris (Ioannis Gerſen Abbatis Italo-Benedictini) Librorum Quatuor de Imitatione Chriſti; Viro generis claritudine, morum probitate, ac ſingularium literarũ ſcientia conſpicuo, eximio nominis Benedictini decori, ac bono publico nato.

Ordo Monaſticus Benedictinus vniuerſus, Cæleſtes Gratiæ, ac Nomen Aeternum; Abbates omnes, & Procuratores Generales apud Sedem Apoſtolicam reſidentes, in hac Romana Curia, Huic grati animi voto libentiſsimè ſubſcripſerunt, tam nomine ſuo, quàm nomine Religionis totius Monaſticæ Ordinis S.P.N. Benedicti.

Franciſcus Valgrauius, Anglus Benedictinus, literis conſpicuus, in Epiſtola ad Lectores, ante Libros de Imitatione Chriſti Ioannis Gerſen Abbatis, Pariſijs impreſſos, anno Chriſti 1638. dum de prima eiuſdem Operis editione ſcribit, ſic ait:

Romana altera, quam ornatiſsimus, pariterq. doctiſsimus Conſtantinus Caietanus Abbas S. Baronti, Ordinis S. Benedicti, diligentiſsimus veterum rerum Indagator, & Auctoris Noſtri Primus Illuſtrator, ad Manu ſcripti Codicis Aronenſis fidem, Romæ anno 1616. in lucem emiſit.

DOMNI CONSTANTINI ABBATIS CAIETANI BENEDICTINI;

Ad beneuolos atque eruditos Lectores.

Breuis, & Solida demonſtratio Nominis, Cognominis, Patriæ, ac Profeſſionis,

Germani Auctoris Librorum Quatuor de Imitatione Chriſti.

(I. Ioannes (II. Gerſen (III. De Canabacco (IV. Abbas (V. Vercellenſis (VI. Monaſterij S. Stephani (VII. Ordinis S. P. N. Benedicti (VIII. Claruit circa annum Domini MCCXX.

I. *Ioannes*) Codd. Mantuanus, & Genuenſis, M. SS. in noſtra Bibliotheca Aniciana Romani, Apoſtolicique Collegij Gregoriani, Domus S. Benedicti, de propaganda Fide. Codd. etiam M. SS. Aronenſis Benedictinorum antea Monaſterij, nunc probationis Domus Societatis Ieſu, non longè a Mediolano diſtantis: & Leo-Allatianus: Codicem enim hunc habet Leo Allatius, Græcus, Græcaque, & Latina doctrina clariſſimus, meique amiciſſimus.

II. *Gerſen.*) Codd. M. SS. Mantuanus noſter, & Aronenſis, cum editionibus qui-

buſq.vetuſtiſſimis Ioanni Gerſoni inſcriptis.

III. *De Canabacco .)* Vulgò Cauaglià, prope Vercellas:M.S.Cod.Leo-Allatianus. Viuit adhuc in eodem Oppidulo familia hæc Gerſen, vulgò dicta Garſe.

IV. *Abbas.)* Codex noſter Genuenſis, & Aronenſis.

V. *Vercellenſis.)* Codex noſter Genuenſis.

VI. *Monaſterij S.Stephani.)* Duo extitere tantùm Benedictinorum Monaſteria Vercellis. Alterum S. Andreæ (Ioanne Gerſene iam Abbate) extructum a Gualla Biccherio S.R.E. Cardinali Vercellenſi, cuius primus Abbas fuit egregius ille Sacræ Theologiæ Doctor Benedictinus, Thomas Gallus, Monachus Canonicus Cantuariēſis in Anglia, quique obijt anno 1260. vt eius docet ſepulchralis lapidea inſcriptio. Alterum verò S.Stephani, quod S.Mauri Abbatis (magni Patriarchæ Benedicti Diſcipuli) in Galliam proficiſcentis, opera fundatum eſt, Monachis tum doctrina, tum ſanctitate præſtantibus maximè illuſtre: Et huius Abbas neceſſariò dicendus eſt Ioannes Gerſen, cum ætate ſua aliud S. Andreæ, Thomas Gallus Abbas occuparet: vt præter alia ſcriptis monumentis a Io. Baptiſta Mutina Canonico, Cathedralis Vercellenſis, de vtroq.Monaſterio ad nosmiſſis, edocti ſumus

VII. *Ordinis S.P.N.Benedicti.)* Inſinuant Codices, noſter Genuenſis, & Aronenſis, in voce (Abbatis) & (Vercellenſis) exprimit etiam M.S. noſter Cauenſis, in cuius prima litera Q. depicta cernitur ipſius Auctoris figura, habitu & Flocco Benedictino, ferens manibus Crucem, quam de Imit. lib. 3. cap. 10. & 56. vocat idem Vitam Monaſticã a ſe ſuſceptam: *Suſcepi*, inquiens, *de manu tua Crucem: portabo eam vſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi. Verè vita boni Monachi Crux eſt, ſed Dux Paradiſi.*

VIII. *Claruit.* cir. An. 1220. & ante A. 1441. quo nondũ finitus erat Apographus Thomæ Kempenſis (quẽ Auctoris Autographum ineptiùs aſſerunt Belgæ). præter M. SS. noſtrorum vetuſtatem, euincunt exemplaria non pauca in Germania ſuperiori cum Librarij nomine, & anno notata: Veyngartenſe vnum per Ioannem Mersberg, anno 1434. Alterum per Conradum Ebersberg anno 1433. deſcriptum: Viblingenſe anno 1430. Ochſenhuſanum ànno 1427. Melicẽſe in Auſtria, illuc è Monaſterio Sublacenſi anno 1418. deportatũ. Quare ab antiquitate temporis arguitur Thomas Kempenſis non poſſe exiſtimari Auctor Libri de Imitatione Chriſti.

1 *Ioannem Gerſenem, de Canabacco, Abbatem Vercellenſem. Monaſterij S. Stephani, Italo-Benedictinum, Auctorem verum fuiſſe Librorum Quatuor de Imitatione Chriſti, breui ſumma probatur ex ijs, quæ fuſius aſſerta ſunt in Apologia pro eodem.*

PRODIT denuo typis Romanis Ioannes Gerſen de Imitatione Chriſti, vt eam ſibi certam conſeruet poſſeſſionem, quam fælici auſpitio firmiſsimis tabulis, & liquidiſſimo iure olim initam, ei præripere (licet fruſtra) conati ſunt, qui in eam immittere Kempenſem voluere. Kempenſem, inquam, inter Aſceticos principem virum, multis nominibus doctiſſimum & clariſſimum; At qui Auctor eſſe non potuit libelli de Imitatione Chriſti, cuius in ſuis Collationibus meminit Bonauentura Seraphicus longè Kempenſi anterior; qui ſuarum Collationum primam e 25.cap.libri primi de Imitatione tranſcripſit; & e quo S.Thomas nõnulla deſũpſit in ſuis ſcriptis inſerẽda. Occiderãt .n.duo hæc præclariſsima Latini Orbis lumina plus centũ annis, antequã naſceretur Kẽpenſis; qua de re nequaquã affirmari poteſt, tanti noĩs Doctores ſua locupletaſſe ſcripta e libro ab eo exarato.

At

At dices: Libellum octo Collationum Bonauenturæ non eſſe. Reſpondeo: Tam id facile Aduerſarijs aſſerere, quàm probare difficile. Nam Bonauenturæ fuiſſe, certò oſtendunt editiones antiquæ, teſtimonia hiſtoricorum, conſenſus ætatum omnium, ad Rosveydum vſque, qui mortalium primus eum in ius vocatum, ſpuriumque vitulamen pronunciauit. Pro Bonauenturæ verò Opere agnoſcunt qui grauiſſimorum Auctorum Opera ad cenſum vocant, Bellarminus & Poſſeuinus, cumque ijs Vvillottus, & ſui Ordinis eximium decus Lucas Vvaddingus in Franciſcana Hiſtoria primus, quin & Marianus Florẽtinus, antiquus ſanè Auctor & Thomæ Kempenſi æqualis. Hi omnes magna in Hiſtoria & in Orbe hominum doctiſſimorum nomina, Collationes verum Bonauenturę opus adſtruũt & demonſtrãt, & vna vnius Rosveydi (quia intereſt librũ Bonauenturæ fuiſſe negare) interceſſio illius non fuiſſe opus probabit. Neſciunt ſanè quid aut ponderent tot momenta rationum & Auctoritatũ, quàmque impar Roſveydi cum ijs congreſſus, qui tot cum Auctoribus opponunt, illiuſque vnius mentẽ tot ſolidiſſimis rationum momentis opponunt. Liber octo collationu ad Fratres Toloſanos eſt S. Bonauenturæ.

Deinde, cum Marianus Florentinus, qui

vt Pocciantius habet floruit anno 1430. nempe antequam ſuum Authographum ſcribebat Kempenſis) in ſuis Chronicis, in Conuentu Romano S. Iſidori Fratrum Hiberniæ aſſeruatis, libellum octo Collationum veris Bonauenturæ Opuſculis accenſuerit, profectò noſtra in præſenti controuerſia parum intererit, ſcripſerit nec ne Bonauentura dictum Collationum libellum; nam tametſi non ſcripſerit, ſcribere tamen illum debuit alius Auctor longè Kempenſio antiquior, quique tum ob communem famam, tum characteris antiquitatem, tum alia ſymbola, Bonauentura videri potuit Mariano, quem virum grauem hiſtoricum indelibutæ fidei a[illegible]rum & ſcriptorum ſui Ordinis ſcientiſſimum, incredibile eſt voluiſſe vnius diei, aut noctis fungum Bonauenturæ adſcribere.

Nec mihi dicas, velim, Libellum Collationum nō inueniri inter M.S. S.Bonauenturæ, quæ in Columniana, Sfortiana, Vaticana, Aracælitana, Toloſana, Bibliothecis habentur: deinde, ipſam Sixtinam editionem illum Bonauenturæ adſcribere, verbo dubioſo, fertur; ergo illius Opuſculum fuiſſe certò non conſtat. Nam reſpondeo: Supra. dictas Bibliothecas omnes Orbis Bibliothecas non eſſe: Si autem non inueniatur

ho-

hodierno die, cũ tot M.SS. ob introductam typographiam & hominum negligentiam perierint, inueniebatur certè Mariani tempore, & cum Zamora Franciſcani Ordinis Miniſter Generalis, illoque longè antiquiores S. Bonauenturę Operum editiones adornabant. Nec mirum eſſet, libellum aliquã adhuc in Bibliotheca deliteſcere, cum Summi, Sanctiſsimique, & doctiſsimi Pontificis Gregorij Primi nobile illud volumen, id eſt, Meralia ſic in Romana Pontificum Bibliotheca delituerint, vt diligentiſſimo ſcrutinio & inquiſitioni oportuerit miraculum ſuccedere, antequam Epiſcopus ex Hiſpania ad illud reportandum miſſus reperirẽ potuerit. Denique hærendum non eſt in eo verbo, fertur; nec enim ſenſus eſt, Libellus octo Collationum, vt fertur, Bonauenturæ, ſed, Libellus octo Collationum Bonauenturæ, habiturum ab eo vt fertur in Conuentu Toloſano: vt tò fertur, ſi quid anceps faciant, locum tantùm, in quo habitæ fuerant, non perſonam, a qua habitæ, ſub dubio relinquat.

Sanctum verò Aquinatem, ex Auctorẽ Libelli de Imitatione Chriſti, non hunc ex illo deſumpſiſſe, tam facile eſt diſcernerẽ, quàm quę Syntheſis pars integra, quę gemma ſit, interlucens, iudicare. S. Doctor Angelicus

Adde

Ioannes Trithemius Abbas.

Adde Trithemij noſtri auctoritatem, quæ & magna fuit apud ſui æui homines, & apud omnem poſteritatem; hic agens de libello de Imitatione Chriſti, eum Thomæ Kempenſi abiudicat: *Quia noſtris*, inquit, *temporibus pænè viguit in humanis, &c. Libellus autem de Imitatione Chriſti primi fertur Auctoris, quem ante multos annos Seniores noſtri ſuos ferunt legiſſe Seniores*. Non hìc moroſiùs agam, quo tempore vixiſſe potuerũt qui Senioribus Trithemij Seniores ipſi fuerunt, quotue anni multi, anni dicendi ſunt, ſed vrgeo mentem Trithemij, captu facillimam; nam cum ideo docet Thomam a Kempis non fuiſſe Auctorem libelli de Imitatione Chriſti, quod pænè temporibus Trithemij ipſe vixiſſet, libellum verò de Imitatione Chriſti, qui Senioribus ſui Seniores fuerant, ante multos annos legiſſent: clarè oſtendit, Seniores hos eo tempore vixiſſe, vt librum ipſi legere non potuiſſent a Thoma iuniore conſcriptum, nempe quod is iunior fuiſſet, quàm vt edere potuiſſet libellum ab ijs ante multos annos lectum.

Conſtans Card. Bellarmini ſẽtentia pro Ioãne Gerſene.

Bellarminus etiã clarè pro nobis & Gerſene eſt. Itaque ipsũ audias loquentẽ. *Valde probabile eſt, Auctorem libelli de Imitatione Chriſti eſſe Ioannem quendam Abbatem de*

Ger-

Gerſen, ſiue de Geſſen, vt habet inſcriptio vetuſtiſsima huius libri in codice M.S. qui aſſeruatur in Monaſterio Aronenſi, quod olim fuit Monachorum S. Benedicti, & nunc eſt Domus Nouitiorum Societatis Ieſu, & hinc apparet, hoc opus tributum fuiſſe Ioanni Gerſoni propter ſimilitudinem nominis, quia verus illius Auctor erat Ioannes Gerſen, &c.

Quod ſi dicas: Pulcherrimum & Bellarmino dignißimum teſtimonium ab ipſo refixum Bellarmino, qui librum poſteriori editione Kempenſi adiudicauit, abdicato Gerſene; Reſpondeo: multa eſſe, quæ me ancipitem reddunt; Num teſtimonium illud, quod Bellarmini aſſerunt fuiſſe aduerſarij, verè illius ſit, an verò illius operibus aliena manu inſertum; vt latiùs in Apologia mea deduxi. Nam ſi Bellarmini verè fuit, cur illius non meminit Rosveydus in Apologia eo menſe, quo obijt vir Eminentiſſimus edita? an is erat Rosveydus, qui id teli omitteret, & Bellarmino a nobis allegato Bellarminum non obijceret? Errant profectò, errant longiſſimè, qui id de Rosveydo ſuſpicantur, qui proculdubio Bellarminum pro ſe allegaſſet, ſi verè pro ipſo & Kempẽſi contra me, Ioannemque Gerſenem ſtetiſſet Bellarminus. Si autem Eminentiſſimus Doctor nõ mutauerat ſententiã anno 1621. men-

menſe Septembri, quo Apologiam ſuam edi-
dit Rosveydus, poſtea mutare non potuit, cum eo menſe & anno obierit; atque adeo teſtimonium illud, quod poſthumum allegãt Bellarmini illius verè non eſt, ſed aliena manu & induſtria illius operibus inſertum. Atque hoc confirmatum venit, quod ipſe paulò ante mortem, cum ab aduerſarijs vrgeretur vt ſententiam Gerſeni datam refigeret, vt fide digniſſimo accepi teſtimonio, reſponderit: Permittite mihi illi requiei, quam totus ſuſpiro, iam cælum ego non lites meditor, libellus, cuiuſcunque demum ſit, optimus eſt. Cumque illi inſtantius vrgerent: Ite, inquit, facite quod vultis, Hæc magnus ille vir ſub *ipſa* morte Ioanni Baptiſtæ Confalonerio & Laurentio Roſſo viris fide dignis. Deinde editio Lugdunenſis anno 1630. longè Colonienſi poſterior, priſtinam reſtituit lectionem, & Gerſenem verum libelli de Imitatione Chriſti Auctorem agnouit. Nam tanta vis veritatis, tam indignum facinus viſum Bellarmino non ſuum partum ſupponere, vt & illam triumphare voluerit, & ſpurium quæ huic accreuerat ſtolonem reſcindere. Demum, quid ſi ea verba verè ſint Bellarmini, atque verè reuocauerit ille teſtimonium Gerſeni, nobiſque datum, & adſtipulatus fuerit Kempenſi à

lege

lege amabo, & perpende ſecundum hoc teſtimonium, & videbis clarè, quantus ab eo Bellarmino, qui pro Gerſene fuit, abeſt Bellarminus Kempenſi velificans; nam ille, cum librum Gerſeni adſcriberet, vetuſtiſſimam affert inſcriptionem ſub illius nomine falsò creditum aſſerit Gerſonis Cancellarij ob amphibologiam nominis, Thomæ Kempenſis ob ſtyli ſimilitudinem nonnullam: hic autem pro Kempenſi teſtimonium ferens; *Scriptos*, inquit, *& compoſitos ab eodem Thoma libros de Imitatione Chriſti ſupraſcriptos contrarijs coniecturis euerſis demonſtrat euidenter in Vindicijs Kempenſibus Heribertus Rosveydus Societatis Ieſu, cuius mihi rationes pleniſsimè ſatisfecerunt*. Vbi ex ſuo nihil, ſed ieiunè vnius auctoritate depugnans Rosveydi, quem nos latiori Apologia armis exuimus, vt plura hic in Bellarminum agere non ſit neceſſe.

Addas licet Roſſignolum, Poſſeuinum, Iulium Nigronium, Syrmundum, inter Societatis Ieſu primarios viros, & Illuſtriſſimum Dominum de Marigliac magni Sigilli Franciæ Cuſtodem, virum doctiſſimum & pientiſſimum, qui omnes adſtipulãtur Gerſeni, vt in Apologia noſtra latiùs proſecuti ſumus.

Interim perge mecum ad ipſum Rosvey-

Reſpondetur obiectis Heriberti Roſveydi, & Henrici Sommalij.

veydum, qui fatetur vltroneus Thomam a Kempis nulli vnquam ſuorum opuſculorũ nomen ſuum præfixiſſe, id eſt, appoſuiſſe; at nomen ſuum Thomas a Kempis appoſuit libello de Imitatione Chriſti, *Finitus*, inquit, *& completus per manus F. Thomæ a Kempis anno, &c.* ergo libellus de Imitatione Chriſti ſuus non eſt. Deinde ſicut nomen ſuũ non appoſuit illis, quos compoſuit Auctor, ita appoſuit illis, quos ſcripſit Amanuenſis; Pentateucho ſubſcribit: *Finitus & completus anno Domini* 1439. *in vigilia S. Iacobi, per manus Fratris Thomæ a kempis*. & ad extremum libri Machabæorum: *Scriptum per manus F. Thomæ a Kempis* Igitur ex hoc ſymbolo tam certum eſt, illum fuiſſe Amanuenſem, quàm non fuiſſe Auctorem dicti libelli. Et ſi contendant, ea verba; *Finitus & completus per manus F. Thomæ a kempis*: & ſubnexa libello de Imitatione Chriſti, ipſum arguere Auctorem dicti libelli, vnà pariter concedant, & ea, *Finitus & completus per manus F. Thomæ a Kempis Pentateucho annexa*, ipſum eiuſdem Pentateuchi Auctorem fuiſſe demonſtrare: nec enim qui prius aſſerit, poſterius poterit negare. Atque hoc ipſum Thomas ipſe voluit ſignificare, cum *Finitus*, inquit, *& completus per manus &c.*

nec

nec enim ſolent Auctores, & qui componũt libros ea loquendi formula vti, cũ non propriè dicãtur per manus libros componere, & velut Auctores ſcribere, ſed Amanuenſes deſcribere.

Quod ſi petas a Rosveydo, Sommalioue, cum duo proferant Autographa Kempenſia, Louanienſe, & Antuerpianum, quodnam ipſorum gaudere debeat iure primogenituræ; quodnam, inquam, primò a Thoma exaratum fuit? Mira erit in ciuitate contradictio, multa inter frutices diſcordia, & multorum aliorum ſubinde, vt primogenitum in ſcenam protrudentes; Vetuſtiores Thoma Kempenſi Codices Ioãnis Gerſenis de Imitatione Chriſti. Et ratio eſt, nam ſi Antuerpianum codicem, cui ſoli affigitur numeralis anni 1441. nota, vt ſeniorem iactitarent, iam lite caderent, cum Veingartenſe, Mellicenſe, & alia M. SS. afferimus eo anno ſuperiora; Si Louanienſi deferrent primas, omni prorſus argumento probabili deſtituerentur librum Thomæ adſcribendi, cum illud Autographum Thomæ nomen ſubſcriptum non habeat, & ex ſola Thomæ ſcriptura nihil ſolidi afferrent ad ſuam opinationem ſtabiliendam, cum & Thomas egregia polluerit amanuenſis manu, pluresque libros deſcripſerit aduerſa-

rio-

riorum confeſſione, tam dono, quàm pretio, tam ſibi, quàm alijs, & otio vitando. Hinc ergo rimantes perfugium ſuæ opinioni, alterum ſubinde, ſubinde alterum vt primogenitum orbi exhibent, neutrum tamen definitè & conſtanter audent vt primogenitum aſſerere; immo nec poſſent. Nam Antuerpianum iure antiquitatis, primogenituræ, inquam, detrudant, Veingartenſe & alia per Germaniam manuſcripta anno 1441. appoſita numerali nota antiquiora; Louanienſe autem cum defectum ſit quarto libro & imperfectum; Archetypum eſſe non potuit, è quo tot perfecta exemplaria exſcripta fuerunt. Et deinde quacunque id aſſereret animi conſtantia ſiue Sommalius, ſiue Rosveydus, cum nulla id probent nedum ratione, aut argumento probabili, ſed ne quidem coniectura, meliori longè nos ratione illud pernegamus.

Porro ipſa hæc Autographa, non dico Sommalius (nam ipſius editionem centum locis erroneam ad Auctoris calamum reuocauit Rosveydus) ſed ipſe Rosveydus ſua in editione (ſi rectè & abſque errore expreſſit) profectò erronea magis, magiſque imperfecta inuenietur, quàm vt prototypa deceat. Ita lib. 1. cap. 12. Kempenſis, *Non bene nobis creditur*. Melius alij: *Non benè*

d:

de nobis creditur, &c. Et cap. 16. Kempenſis: *Rarò proximum ſicut nos ipſos amamus*. Et lib. 2. c. 5. n. 2. Kempenſis: *Si debes habere pacem & vnionem veram, oportet, quòd totum poſtponas, &c.* Melius Leo-Allatianus: *Si velles habere pacem & vnionem veram, oportet, quòd totum poſtponas.* Et lib. 2. cap. 33. n. 2. Kempenſis: *Sed in multis caligat oculus puræ intentionis, reſpicitur enim citò*. Melius Aronenſis, Cauenſis, & Mantuanus: *Sed in multis caligat oculus puræ intentionis, reſpicit enim citò*. Et lib. 3. c. 38. n. 1. *In omni occupatione externa ſis intimus liber*. Melius Aronenſis, & Cauenſis: *In omni occupatione externa ſis intus liber*. Et lib. 3. c. 43. de Kempis: *Quia intus ſum doctor, veritas cordis ſcrutator*. Melius reliqui manuſcripti: *Intus ſum doctor veritatis, &c.* cap. 49. n. 5. Kempenſis: *Propter hoc natura quandoque contriſtabitur, & magnum ſi ſilens portaueris*. Melius Leo Allatianus: *Et propter hoc natura aliquando contriſtabitur, & magnum certamen ſuſtinebit, ſed ſilens portabis*. lib. 3. c. 52. de Kempis: *Nec decet me inter Sanctos tuos commemorari*. Aptiùs alij M. SS. *Nec decet me inter Sanctos tuos commorari*. lib. 3. c. 53. n. 1. Kempenſis: *Dei vacationem omnibus exterioribus antepone*. Melius Aronenſis, &

Cauenſis: *Dei vocationem omnibus,&c.* Lib. 3.cap.58.de Kempis: *Diſtantia incomparabilis, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati, &c. ſpeculantur:* Melius Leo-Allatianus: *Diſtantia incomparabilis eorum, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati, &c.*

Certè nulla nō dignus corona circūforaneus, qui tot ſcatentem vitijs, erroribuſq. Codicem pro Auctoris optimā Amanuenſis manum callentis, nec literula non correcta, & ad locum non ſuum non reuocata errantis vero & primo autographo venditauerit. Interroga quin etiam Rosveydum de librorum de Imitatione Chriſti ad ſua manuſcripta autographa Kempenſia, titulo, numero, ordine, methodo? & ipſum ſua reſponſione ſeipſum confodientem obſtupeſce: *Omnes*, inquit, *quatuor libri paſſim de Imitatione inſcribuntur; ego verò dum manuſcriptos conſulo, ne vnum quidem quatuor librorum ita inſcriptum inuenio; ſed primum: Incipiunt admonitiones ad ſpiritualem vitam vtiles; ſecundum: Incipiunt admonitiones ad interna trahentes; Tertium: Incipit liber internæ conſolationis; Quartum, de Sacramento. Et mox: Quod ad numerum ſpectat, quatuor quidem vulgò feruntur eſſe libri de Imitatione Chriſti, ſed eum numerum nulli M.SS. certum aſſerunt: Nam Corſendacanus vnum tantùm habet,*

Roſvey-dus in Vindic.

habet, videlicet primum; Louanienſis S. Martini M.S. tres libros tantùm exhibet, primum, ſecundum, & tertium, diuerſos ſingulos inſcriptionibus, vt iam monui; Antuerpienſis Collegij noſtri M. S. quatuor quidem libros habet, ſed diuerſos quoque ſingulos inſcriptionibus. In nullo Autographo ordinatis nota primi, ſecundi, tertij, & quarti præfigitur. Quod ad ordinem attinet, nec vllum hic certũ Auctor ipſe præſcripſit; eum, qui vulgò quarto loco imprimitur, reponit tertio. Ex quibus omnibus manifeſtum euadit, nullam Auctori mentem fuiſſe hos quatuor libros inſcribendi de Imitatione Chriſti, cum ſingulos ſuis titulis præfixerit. hæc ille.

At amabo te, hæc M.S. Kempenſia ipſa dicam Autographa, e quibus tot perfecta exemplaria deſcripta fuere, titulum M.S. Kempenſia non habent; *ne vnus*, inquit, *quatuor librorum de Imitatione Chriſti inſcribitur.* At Bonauentura citat deuotum libellum de Imitatione Chriſti; Trithemius Kempenſi Suppar, inter alia opera recenſet de Contemptu mundi, & Imitatione Chriſti libros quatuor; Catalogus Operum Kempenſis in fronte editionis Norimbergenſis, habet de Imitatione Chriſti libros quatuor; Codices manuſcripti Cauenſis, Mantuanus, Leo-Allatianus, & M.SS. etiam

antiquiſſimi omnes, quos vidi, ſeu Gerſonis nomine, ſeu Kempenſis editi, eum de Imitatione Chriſti inſcribunt. Ad numerum quod attinet, tam Catalogi Trithemij, & Norimbergenſis editionis, quàm M.SS. & impreſſi omnes antiquiſſimi, quos videre datum fuit, quaternarium fatentur, eumque eo prorſus ordine, quem tenemus in impreſſis, & vel hos dicam titulo de Imitatione Chriſti notatos, quaternario digeſtos numero, ordine diſtinctos, vndique perfectos tempore,vel ſuppares, vel æquales, vel ſuperiores Autographis Kempenſibus, ab ipſis Autographis ſic defectis deſumptos fuiſſe, vel ipſa hæc autographa adeo imperfecta veri Auctoris prototypa fuiſſe, qui alijs in libris ſuis cum accuratus ſit, tum confuſus, incorrectuſque in hoc vno, qui Aſceticorum princeps eſt, non fuiſſet. Ac proinde dicta autographa Kempenſia prototypa non ſunt germani, verique Auctoris, ſed ectypa tantummodò, eaque vitioſa admodum confuſa, & imperfecta.

His adiunge, non vnum, eundemque eſſe Kempenſis & Gerſenij ſtylum, aliquam fateor inter illos ſimilitudinem agnoſcit Bellarminus. At quis neſcit ſexcentas in rerum natura ſpecies aliqua propinquas ſimi-

militudine, cætera diuerſiſſimas? Hinc nonnemo e Societate Ieſu vir doctiſſimus, qui cum toto ſpiritualis vitæ decurſu ſe & Gerſenij & Kempenſis lectioni dediſſet, ſola ſtyli hac diſſimilitudine motus docuit Kempenſem non fuiſſe Auctorem libelli de Imitatione Chriſti. *Libellus de Imitatione Chriſti* (vt quidam inquit) *totus eſt ſententioſus, paucis multa dicit, intellectum conuincit, mouet voluntatem, nec multùm excurrens accendit affectum ad omnem virtutem. E contra Thomas a Kempis imitari quidem voluit Gerſenem conciſo modo loquendi, ecce nonnullam ſimilitudinem, in diſcurſu tamen languidus eſt, ſpirat quidem deuotionem, non tamen habet Diuinam illam vim, quæ inuenitur in Gerſene. Si igitur aliquid ſtylus probat, hæc ſtyli diuerſitas alium a Thoma* Kempenſi *fuiſſe libelli de Imitatione Chriſti demonſtrabit.*

A ſtylo probatur etiã aduerſariorum aſſertione, liber de Imitatione Chriſti non eſſe Thomæ a Kempis.

Quod clariùs adhuc facit ætas Auctoris libelli de Imitatione Chriſti, quæ Thomæ Kempenſi non conuenit: Nam ille S. Franciſco Suppar fuit, hic longè ſequior: Ille in humanis fuit, cum Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & diuerſæ Religionis Monachi, & Moniales, arctati viuerent ſub diſciplina clauſtrali, ſeque in omni diſciplina cuſtodirent; vt huius tempore (ſi Buſchio credi-

A vetuſtiore itidem ætate.

 mus)

mus) ſolus pænè Ordo Carthuſianus ijs in partibus reformatus fuerit.

A profeſſione monaſtica.

Quid dicam de Monachi nomine, tituloq. Abbatis? Illud ſibi attribuit Auctor libelli li. 3.c.10. atque ipſi cõpetere Syrmundus fatetur: hũc nobis exhibent Aronẽſis & Genuẽſis Codices, qui ipſum expreſſiſſimis verbis Abbatem appellant, eoque facto Thomam a Kempis Suppriorem tantummodò Monaſterij ſui excludunt.

A manuſcripti Kẽpenſi antiquioribus.

Quid de M.SS. ijſq. impreſſis antiquioribus, qui ſub Gerſonis nomine prodierũt? An nõ Melicẽſis anno 1418. Sublaco delatus, Oxenhuſanus in Sueuia 1427. Veingartẽſis 1433 Viblingenſis 1430. exarati (vt alios Codices omittam) cum appoſita anni numerali nota annum 1441. qui Autographi natalitius eſſe debuit, anteuertant, oſtendunt illud eo anno 1441. deſcriptum non fuiſſe Auctoris prototypon, atque adeo Thomam non fuiſſe germanum Auctorem? Qui autem Louanienſe autographum, vt antiquius Antuerpiano, proferunt, tum demum reſponſionem promerebuntur, cum id aliqua aut anni appoſitione, aut ſymbolo, aut nota probabile reddent; nam interim vani ſunt, & inauſpicatò augurabuntur ſi incertiſſimæ ſcriptioni imperfecti operis certum, & exploratum tempus definiant, Impreſſi autem ve-

vetuſtiſſimi ſub Gerſonis nomine 1486. 1488. 1489. 1495. 1501. paſſim per Italiam, idque quatuordecim annos tantummodò poſt mortem Kempenſis, ſpectante toto Orbe, & nemine contradicente, quouſque poſt octo luſtra Iacobus Badius Aſcenſius leuiſſimis nixus coniecturis, librum Thomæ Kempenſi adſcripſerit, tanto ſemper apud me pondere fuerunt, vt vel hoc vno argumento abundè crediderim conſtare; alium eo tempore a Kempenſi habitum huius libri Auctorem, alio vſos Typographos exẽplari, quàm qui Thomæ Kempenſis fuit: atque alium demum, quem ipſi nominis amphibologia decepti, Gerſonem appellarunt, fuiſſe verum, germanumque libelli Auctorẽ.

Excluſo tot argumentis Kempenſi, antiquam ex iure ſibi debitam poſſeſſionem repetat, conſeruetque ille noſter Vercellenſis Abbas, quem Codex Mantuanus Ioãnem Gerſenem appellat; Aronenſis Geſen, Geſſen, & Gerſen; Leo-Allatianus Ioannem de Canabacco, e loco, e quo oriundus; Genuenſis Domnum Ioannem . . . . . . Abbatem Vercellenſem. Eſt autem Aronenſis Codex Bernardino Roſſignolo ab Antonio Poſſeuino relato, & approbato perãtiquus, Bellarmino inſcriptio illius vetuſtiſſima, alijque libelli peruetuſti & antiquitate ve- *Titulo & dignitate Abbatis.*

nerandi, vt de illorum fide nefas eſſet dubitare; cum autem ea vt plurimum Auctorum nomina exiſtant, quæ M.SS. exhibent, nec aliam rationem attributi nominis reddere in multis eſt, quàm illud manuſcriptos Codices ſuggeſſiſſe, & tot manuſcripta nobis Ioannem noſtrum huius libelli Auctorem velint, ipſe profectò Auctor erit.

Kẽpis nõ-niſi Notarius fuit lib. de Imi. Chr.

Nec tamen hinc mihi obijcias, Thomam Kempenſem eſſe libelli Auctorem, quòd talem eum manuſcripta exhibeant; nam ſi vlli eorum manuſcriptorum, certè ipſi Kẽpenſi Autographo credendum eſſet, at illud non habet Thomam a Kempis Auctorem, ſed Amanuenſem tantummodò eſſe; non, inquit, ſcriptus, & compoſitus, ſed *Finitus, & completus*, id eſt, deſcriptus, *per manus F. Thomæ*. Et planè, vt ſupra innuimus, qui per hæc verba, finitus, & completus, inferre volunt, eum librum compoſuiſſe, per ea ipſamet Pentateucho ſubſcripta, Pentateuchum illum compoſuiſſe fateri debebunt.

Gerſonis nomine pro Gerſene libri antiquitus editi de Imit. Chr.

Ad hæc, libri omnes impreſſi ſub Gerſonis nomine, quid, amabo, indicant? an non typographi cum libello inueniſſent Ioannis Gerſenis præfixum nomen, iſque in vulgus eſſet ignotior, notiſſimus verò Ioannes Gerſon, inter ſui æui doctiſſimos, Gerſonem pro Gerſene ſuppoſuiſſe literarum muta-

tio-

tione ; quàm facilè ipſe Roſveydus concedit. Nec nouum eſt libros ab vno Auctore conſcriptos nominum ambiguitate & affinitate, ſeu editorum incuria, ſeu ignorantia typographorum, alterius nomine publici iuris factos. Id latiùs in Apologia noſtra oſtendimus accidiſſe Amalario, Ambroſio Authperto, Brunoni Signino, & Thomæ Anglico, vt non iam primò nouum confinia nominum errori argumentum dediſſe, & typographos, cum Gerſenem ignorarent, pro eo ſubſtituiſſe Gerſonem. Atque hoc eo magis probatum venit, quòd primò typis prodierit libellus ſub nomine Gerſonis Mediolani, Brixiæ, Venetijs, nempe Vercellarum in vicinia, vbi Ioannes noſter habitauit; & non vna tantùm in Italia, ſed paſſim per Europam per multa tempora non alio, quàm Gerſonis nomine appellaretur. Omnes igitur libelli Typographiæ infantia ſub Gerſonis nomine excuſi pro Gerſene ſunt, eumque demonſtrant verum libelli Auctorem. Roſveyd. Vindic. cap. 5.

Tandem Monachi nomen, & Abbatiales Inſulæ, quæ Thomam Kempenſem excluſerunt, Gerſenem mittunt in poſſeſſionem. Nam illi ſoli e candidatis competunt ea, ille ſolus Monachus, & Abbas fuit, atque eo titulo verus libelli Auctor, taliſque vel Gerſen Monachus & Abbas.

ab ipſis aduerſarijs habendus, quouſque oſtendant, ea nomina aut non omnino conuenire Gerſeni, aut illi alteri putato attributa fuiſſe.

Qua propter cũ tot monumentis Thomã Kempenſem excluſerimus, nec alius quiſpiam forum appellet Gerſeni litem moturus huiuſce litis candidatus, relinquamus illi quod incorruptæ tabulæ,& tot monumenta illi certum concedunt: & quouſque firmo pondere argumentis quis eum excluſerit, ſtatuamus: *Ioannem Gerſenem Monaſterij S.Stephani Vercellenſis Abbatem, verum,germanumque Auctorem fuiſſe Libelli de Imitatione Chriſti*.

Io.Gerſen Abb.verus Auctor lib.de Imi. Chr.

At contra inſurgit Rosveydus,& teſtimonium nobis obijcit Buſchij:Buſchij,inquam, *qui & incola vicini Thomæ Monaſterij omnes penè Patres in Vindiſem primitiuos Magiſtri Gerardi magni diſcipulos viderat, & agnouerat, eoque ſcripſit tempore, quo Thomas a Kempis adhuc viuebat*. Hic igitur talis, tantuſque vir: *Contigit*, inquit, *ante paucos dies ſui obitus, vt duo fratres notabiles de monte S.Agnetis prope Suuollis Ordinis noſtri dictum Priorem noſtrum ſub certis rebus conſulturi aduenirent, quorum vnus F.Thomas de Kempis vir probatæ vitæ, qui plures deuotos libros compoſuit, videlicet, Qui ſequitur me,*

Aliæ Roſveydi obiectioni ex Buſchio ductæ fit ſatis.

de Imitatione Chriſti, cum alijs, &c. Hæc ille, inſcribens Thomam a Kempis Auctorem libelli de Imitatione Chriſti, tam claro & liquido teſtimonio, vt illi nequeat intercedi.

Reſpondeo: Cum Buſchius libellum citet ſub titulo de Imitatione Chriſti, qui Rosveydo teſte nec ad mentem Kempenſis fuit, nec ad fidem inſcriptionis Kempenſianæ, vel ſuppoſitia & adulterina eſt ea parentheſis, *Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti*, vel falſus eſt Buſchius & fabuloſus, qui librũ citat ſub eo titulo, ſub quo eum Thomas a Kempis non emiſit. Atque adeo teſtimoniũ illius cum falſum ſit, nullius contra nos erit, aut ponderis, aut momenti.

Porro cum Buſchius ea ſe aſſerat ſcripturum, quæ *vidit, quæ audiuit, quæ inſpiratus fuit*, quid, amabo, dicemus? viditne Thomam inſcribentem librum de Imitatione Chriſti? minimè gentium; nec enim aut ita inſcripſit, aut ita inſcribere mens fuit, ſi Rosveydo credamus. Num inſpiratus fuit ita Thomam librum inſcripſiſſe? ſed a quo ſpiritu? forſan non vero; Nec enim qui omnem docet veritatem ei potuit ſuggerere titulum, quem Thomas facere ne cogitauit quidem; ſi audiuit, tantum ergo teſtimoniũ illius in famam, & conſequenter in fumum

abit,

abit, nec contra tot teſtimonia a nobis prolata ſuperiùs aliquid valebit. Tota igitur (quantum ad præſentem controuerſiam attinet) perit Buſchij auctoritas, cum tota in eam parentheſim recumbit, quæ aut ſuppoſitia, aut erronea eſt.

Nec adeo nouum mirumue, eos ipſos hallucinari in Auctoribus definiendis, qui ipſis Auctoribus ſiue ætate, ſiue loco proximi fuere, vt in Cordeſes, Coſtanita, Thoma Angelico, in Apologia noſtra copioſiùs oſtenſum fuit. Vt nihil monſtri ſcias accidiſſe, ſi quod illis accidit, euenerit Buſchio, vt ipſe ætate licet, loco, ordine vicinus, & coniũctus Kempenſi ei ſuppoſuerit partum non ſuum, & libellum de Imitatione Chriſti alterius licet opere deſudatum, ei attribuerit, præſertim cum illius eſſet manu deſcriptus, quod vel ipſum Buſchium, vel illos, a quo id Buſchius accepit, in errorem potuit conieciſſe.

Si autem quis Buſchio adiũgat Mauburnum, Scottum, Firmanum, Langium, aliosue, qui Succenturiati Rosveydo pro Thoma teſtimonium ferunt. Reſpondeo cũ Baronio: *Non numero hiſtoricorum veritatem Hiſtoriæ conſueuimus æſtimare, ſed quanta fide polleat primus Auctor, cuiuslibet aſſertionis: nam reliquos primum ſequi Auctorem, &*

Card. Baron. Annal. to. 12. ad ann. 1125.

eius

eius veſtigijs inhærere, frequentiori vſu in more poſitum videmus. Hi autem omnes, quos laudaui, ſecuti errantem Buſchium, & ſeu fama, ſeu Thomæ ſubſcriptione, qua ille tranſuerſim actus, decepti, eodem cum illo luto hæſerunt, eundem errarunt errorẽ; nec maiorem, quàm ille, nec vllam cum eo fidem facturi, aut habituri.

Sequitur alterum Rosveydi telum, deductum a phraſibus, quas puros putos Teutoniſmos appellat, & in nulla omnino lingua reperiri, vel ab Auctoribus Latinis præterquam apud Flandros vſitatos eſſe. Cum autem vox hominem ſonet & ſermo patriam; certè partus & formula dicendi Flandrica Flandrum arguet Auctorem fuiſſe, non Italum, Thomam a Kempis, non Ioannem Gerſenem. Reſpondeo: Nunquam ego illud ineſſe pondus exiſtimaui, ſeu vocibus, ſeu formulis loquendi, vt ab ijs ad veram Auctoris patriam certo argumento concludi poſſit: nam ſuam habent ætatem vocabula, multa renaſcentur, quæ iam cecidere: multa, quæ iam ſunt, in honore cadent: migrant deinde de gente in gentem, vt plurima ea ſint, quæ diuerſis nationibus vſurpentur. Immo tametſi ita propria alicuius nationis, vt illius ſolius Idiotiſmi ſemper apud eam fuiſſent in vſu, ea tamen callere po-

Alteri Roſveydi obiectioni a Phraſi reſpōdetur. Rosveyd. Vindic. cap. 8.

potuerunt alterius Regni homines. Quid enim magis in vſu poſitum, quàm vt Germanus Gallicam loquatur linguam, Hiſpanicam Italus, & ſic de alijs; præſertim ijs, qui in diuerſorum Regnorum confinijs cõmorantur. Ergo ſi Italus *Hiſpanica* eruditus lingua, Hiſpanico vteretur inter ſcribendum Idiotiſmo, num continuò dicemus conſcriptum ab eo librum *Hiſpani* Auctoris opus fuiſſe? Nihil minus. Proinde non efficiet Rosveydus libellum de Imitatione Christi a Flandro conſcriptum, etiamſi fortaſſis formulis nonnullis loquendi Flandricis, & Teutoniſmis inſperſus eſſet, aut reuera illi, aut non ſemper apud *Flandros* in vſu fuerunt, aut Idiotiſmi non erunt vnius certæ & definitæ Regionis, aut ab alio vſurpati, qui Teutonica eruditus lingua, illius phraſes adhibuit, nempe a Ioanne Gerſene, qui cum Vercellis, & Germaniæ, Italiæque confinijs vtramque callens linguam, eas non ſemel dictiones adhibuit, qui Rosveydo Teutoniſmi ſunt. Sed veritas eſt, eas formulas dicendi, voceſq. quas Teutoniſmos appellat Rosveydus, ſeu Latiniſmi ſunt, ſeu Italiciſmi; vnam ſi demas non ſuo iure, ſed ſcriptoris vitio appoſitam, vt latiùs oſtendimus in noſtra Apologia, vbi & plures attulimus, ſeu parcè Italo fonte diductas, ſeu

verè, propriéque Italiciſmos, vt ſi phraſis patriam ſonet, profectò libelli Auctor non Belga erit, ſed Italus; non Thomas a Kempis, ſed Ioannes Gerſenius.

Arguit deinde Rosveydus e Codicibus Antuerpiano & Louanienſi, qui ipſius Auctoris manu ſcripti reperiuntur. Alteri Auctor ipſe: Thomas, inquam, Kempenſis ſubſcribit: *Finitus & completus anno* 1441. *per manus F. Thomæ a* Kempis, *in monte S. Agnetis prope Suuollis*. Alter non cedit antiquitate eiuſdẽ Auctoris manuſcriptus, vt idem character, eædem abbreuiationes, idem per omnia contextus manifeſtè probant. Reſpondeo: De his actum ſuperiùs & oſtenſum, infirmum prorſus & euanidum a Thomæ ſeu ſcriptione, ſiue ſubſcriptione deduci: ea enim verba: *Finitus, & completus per manus F. Thomæ, &c.* ipſum amanuenſem tantummodò probãt non Auctorem, tum quòd nullis vnquam ſuis opuſculis Thomas ſubſcripſerit, vt ipſi aduerſarij fatentur, tum quòd hanc eandem ſubſcriptionem ijs annectit opuſculis, quos Amanuenſis deſcripſerat, non compoſuerat Auctor: tum quòd ipſe fateatur Rosveydus, nedum multos Scriptores ſuum nomen vel præfixiſſe, vel poſtpoſuiſſe libris, quos exſcripſerunt, etſi non compoſuerint, ſed etiã,

quod

quod autem Thomas ipſe in fine opuſculorum ſuorum ponit; Finitus & completus per manus Fratris Thomæ, &c. Scio non inde ſequi, quòd ea compoſuerit; nam potuiſſet tantùm ſcripſiſſe. Scilicet inertiam teli conſpicatus abijcit illud, & argumentum a ſubſcriptione deductum debile, infirmum, nihili profitetur: *Scio*, inquit, *inde non ſequi, quòd compoſuerit ea; nam potuiſſet tantùm ſcripſiſſe*. Quò abis Rosueyde, minùs proficis, ſubiungendo: *Sed cum conſtet reliqua opuſcula, quibus libri de Imitatione Chriſti adiunguntur, a Thoma ipſo ſine vllo dubio compoſita, cur de ſolis libris de Imitatione Chriſti dubitabimus?* Inde probans Thomã libelli Auctorem, non quia a Thoma ſubſcribitur, ſed quia Thomæ operibus adiungitur; quod tam facile & perridiculum eſt, vt neſcio, quomodo Rosveydo homini docto, in veterum monumentis verſato in mentem venire potuerit. Scire enim potuit veriſſimum Cardinalis Baronij pronunciatum: *Nemo eſt qui ignoret, qui antiquorũ Codicum habet vſum, ſæpe ſæpius ſolere contingere, vt non vnum, vel duos, ſed & tres, quatuorue, & amplius habeat idem volumen diuerſorum Auctorum tractatus, & aliquos ex illis inueniri ſub nomine vnius Auctoris exſcriptos, vt niſi quis oculos lynceos habeat,* ſæpe

Card. Baron. ad an. Chr. 441.

ſæpe accidat, vt inſcripto Auctori tribuatur, quidquid inferiùs eodem codice continetur. Atque hoc ipſum experientia quotidiana, ipſorumque Codicum veterum inſpectio, & rerum potentiſſima veritas docet.

Si regerat Rosveydus: Non quia annectitur, ſed quia ipſius manuſcriptus adiungitur alijs Opuſculis illius pariter manuſcriptis, inferri illius opus eſſe. Reſpondeo: Vtcunque hoc aliquam tincturam haberet, ſpeciemque (licet exiguam valde) probabilitatis in alijs Auctoribus, in Thoma Kempenſi certè non habet, cum ipſe multùm ſcriptione pollens ſcripſerit (vt inquit Chronicon S. Agnetis) & Biblia totaliter & alios multos libros pro dono, & pretio. Et ipſe Rosveydus de ipſo: *Vel ſacris libris lectitandis, vel in communem vſum ſcribendis, vel ingenio ſuo procudendis ſe exercebat.* Ac proinde potuit ille tam prece, quàm pretio; tam ſibi, quàm alijs, aut otio vitando hunc libellum deſcribere, alius verò, ſiue Bibliopega is fuerit, ſiue Thomæ Operum collector, eum alijs illius Opuſculis adiungere.

Reſpondetur aliæ Rosveydi objectioni

Chronica S. Agnetis.

Rosveyd. in vit. Thomæ Kemp.

Sequitur Rosveydus, & antiquum allegat vitæ Thomæ Kempenſis Scriptorem, qui eundem Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti inſinuat. At reſpondeo: Ipſum in-

Item aliæ.

deuia actum, falsò ſparſa in vulgus fama, iiſque momentis, quæ Buſchium decepe- runt. Nam cum ea ſcribere ſe profiteatur, quæ ab alijs acceperat, facilè errantes alios erroneus ipſe ſequi potuit, & poſteritati imponere.

Reſpondetur Roſveydi opinioni contra Gerſenem.

His pro Kempenſi in hunc modum dictis, iam demum contra Gerſenem ad hunc modum depugnat, aitque, illum incognitum fuiſſe, nouumque Auctorem ex Antiquarij manu, & lapſu auſum; vnde magiſtraliter definit: *Ego verò ita ſtatuo: Nullum vnquam Ioannem Gerſen diſtinctum a Ioanne Gerſon fuiſſe*. At dic, amabo, quomodò incognitus eſt, quem in luce meridiana poſuimus? quomodò nouus, qui Bellarmino vetuſtiſſimus, Poſſeuino, & Roſſignolo perantiquus fuit? quomodò Antiquarij lapſu cuſus, quem alij manuſcripti Codices antiqui, & incorrupti eodem nomine appellant? Quomodò idem erit Gerſoni, quem tot argumenta oſtendunt eſſe ab eo diuerſiſſimum?

At inquiet: Aronenſis codex, qui Gerſenem nominauit, deſcriptus fuit ex alio Gerſonis inſcripto nomine. Fieri hoc non potuit, nec enim inuenitur vſpiam Ioannis Gerſonis manuſcriptum exemplar de Imitatione Chriſti, e quo deſcribi potuit Aro-

nen-

nenſis codex; & ſi deſumptus fuit ab impreſſo, cum is primùm anno 1486. lucem aſpexerit, errarunt tam Bellarminus, quàm Poſſeuinus,& Roſſignolus, quibus is Codex vetuſtiſſimus eſt, & perantiquus. Deinde impreſſi omnes habent adiunctum Cancellarij Pariſienſis titulum, Abbatis nullum; at Aronenſis codex titulum Abbatis habet, Cancellarij non habet; ergo hic ex ijs deſumi non potuit. Dicet: *Scriptorem ex ſuo Abbatis addidiſſe titulum, quòd talem eum exiſtimaſſet; ſeu quòd fratrem habuiſſet Priorem Ordinis Cæleſtini, ſeu quòd ipſe Gerſon habuerat Prælaturam, quæ tamen Abbatia non erat.* Quomodò, amabo, hæc ſequuntur: Frater illius Prior fuerat, ergo ipſe Abbas debuit cognominari? Ipſe habuerat Prælaturam, quæ tamen Abbatia non fuerat, ergo Abbatem Scriptor vocauit? Profectò hæc niſi ſtupidiſſimusScriptor exarare non potuit, præter Rosveydum credere nemo. Deinde, etiamſi eum Abbatem reuera credidiſſet, an ita aſyſtata erant, Cancellarij Pariſienſis, & Abbatis tituli vt ſe conuellerent? nequaquam mehercule: vt appoſitè potuiſſet Amanuenſis & Abbatis titulum apponere, & Cancellarij retinere; quod cum non fecit, videtur eſſe clariſſimum, Aronenſem codicem ex libro Ioan-

nis Gerſonis inſcripto nomine non fuiſſe deſcriptum.

Sed hæc non proſequar latiùs in præſentiarum, cum quæ ad hoc argumentum ſpectant, quæue ſeu Kempenſi malè a quibuſdam attributam poſſeſſionem abiudicent, (neque enim ipſe malè cœpit, cum nihil de ea re cogitarit) ſeu in ſuam, ſibique iure optimo debitam mittant Gerſenem, plena manu deduxerimus in noſtra pro Gerſene Apologia, quam videat beneuolus Lector, cui cordi eſt clarè, ſolidèque deductam veritatem, aut perſpicere, aut amplexari.

PRO IOANNE GERSENE ABBATE Italo-Benedictino,

Grauia duo, an tria virorum doctiſsimorum e Societate Ieſu Teſtimonia.

Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis, generis claritate & dignitate Eminentiſsimi, vitæ innocentia & charitate Reuerendiſsimi, Scientia & Sapientia præſtantiſsimi, Iudicium, & Sententia pro Ioanne Gerſene Auctore Librorum de Imitatione Chriſti, prolata primũ Romæ, anno Chriſti 1613. & 1616 *deinde Pariſijs rationibus aucta, anno* 1617. *Libro ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, In Ioanne Gerſone.*

Tribui

Tribui ſolet huic Auctori (*Ioanni Gerſoni*) præclariſſimum Opuſculum de Imitatione Chriſti, quatuor Libris diſtinctum. Sed quia non numeratur inter Opera Gerſonis, nec in Catalogo, quem ſcripſit Frater ipſius Gerſonis, nec in Tomis editis Argẽtorati; meritò dubitatum eſt, an illud ſit Gerſonis. Immo cõmuniter iam illud Opus adſcribitur Thomæ de Kempis, viro admodum pio. Sed valde probabile eſt, Auctorem illius Opuſculi eſſe Ioannem quendam Abbatem de Gerſen, ſiue de Geſſen, vt habet inſcriptio vetuſtiſſima huius Libri, in Codice manuſcripto, qui aſſeruatur in Monaſterio Aronenſi, quod olim fuit Monachorum S. Benedicti, & nunc eſt Domus Nouitiorum Societatis Ieſu. Et hinc apparet, hoc Opus tributum fuiſſe Ioanni Gerſoni propter ſimilitudinem nominis: quia verus Auctor erat Ioannes de Gerſen: & tamen quia non inueniebatur hoc Opus inter Opera Ioãnis Gerſonis Cancellarij Pariſienſis, tributum fuiſſe Thomæ de Kempis ob ſimilitudinem aliquam ſtyli.

His accedit, quòd Sanctus Bonauentura, qui fuit ducentis circiter annis antiquior Ioanne Gerſone, & Thoma de Kempis, citat ex hoc Auctore partem Capitis vltimi, Libri primi ad verbum, Ex editione Pariſiẽſi Card. Bellarminus anno 1617

 & di-

& dicit illa eſſe *Verba deuoti cuiuſdã Libelli de Imitatione Christi. Vide in Tomo ſecũdo Opuſculorum Sancti Bonauenturæ Collationis ſeptimæ ex libro Collationum habitarum in Conuentu Toloſano* . Ita ſapientiſſimus, & pijſſimus Cardinalis Bellarminus. Qui etiã in Indice vndecimo & vltimo illorum, quos de varijs Scriptorum rebus confecit, in quo pios recenſuit Libellos, Sententiam a ſe iam nunc aſſertam breuiſſimis hiſce verbis confirmauit: *De Imitatione Chriſti Thomæ de Kempis, ſiue potius Ioannes de Gerſen* . Et hæc, inquam, in illo ſuo eruditiſſimo Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem Lutetiæ Pariſiorum, anno Chriſti 1617. denuo editum, rubri coloris pelle affabrè veſtitum, cornibus aureis ornatum, ſacra illa ſua & munifica Dextra ſubſcriptum (Dono Auctoris) perquàm humaniſſimè mihi dedit anno 1618. menſe Septembri: ob reſtitutum nempe a me Ioannem Gerſenem; eiuſque Librum de Imitatione Chriſti, ſibi etiam ſummopere acceptum: & quem ideo nos cæleſtis theſauri loco in noſtra aſſeruamus Bibliotheca Aniciana.

Bernardini Roſſignoli, Theologi libris editis clariſsimi Iudicium, & Sententia pro eodem Ioanne Gerſene, Auctore Librorum de Imitatione Chriſti, aſſerta, apud Antonium Poſſe-

Poſſeuinum, Theologum æquè eruditiſsimū, Tomo tertio Apparatus Sacri, Venetijs edito anno 1606. In Thoma Kempenſi.

Cæterùm etſi vbi de Ioanne Gerſone egimus, nos ſecuti communiorem ſententiam, atque item eorum, qui in Belgio Autographum Librorū de Imitatione Chriſti aſſeruari, nobis ſcripſerunt, eoſdem tribuimus Thomæ de Kempis, facere tamen haud poſſumus quin huc adijciamus, quæ à Bernardino Roſſignolo Societatis noſtræ Theologo accepimus, *Qui rem diu perpenſam veſtigauerat*; Sic enim ille: Ioannes Abbas de Geſſen, vel de Gerſen ſcripſit Aureum illum Libellum de Contemptu mundi, & Chriſti Imitatione, qui inſcribitur propter nominis ſimilitudinem Gerſoni, & ab alijs propter ſtyli, ac phraſeos formulas tribuitur Thomæ de Kempis. Ita habetur in perantiquo exemplari manu-ſcripto, quod in Monaſterio Aronenſi ad lacum Verbanum, quæ nunc eſt Domus Probationis Societatis noſtræ, ex vetuſta Bibliotheca reliquum eſt. Ex quo etiam intelligitur, hunc Abbatem fuiſſe S. Benedicti, Monachum, cuius extitit Monaſterium antequam de conſenſu Sedis Apoſtolicæ commendaretur. *Huc-uſque Bernardinus Roſſignolus apud Antonium Poſſeuinum.*

Idem Ioannes Gerſen Abbas de ſeipſo lib. 1. c. 25.

CVm quidam (*ſeipſum intelligit*) anxius inter metum & ſpem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus, in Eccleſia ante quoddam Altare ſe in oratione proſtrauiſſet, hæc inter ſe reuoluit, dicens: O ſi ſcirem, quòd adhuc perſeueraturus eſſem; ſtatimque audiuit Diuinum reſponſum: Quid ſi hoc ſcires, quid facere velles? Fac nunc, quod facere velles, & bene ſecurus eris. Moxque conſolatus & confortatus, Diuinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſauit anxia fluctuatio. Noluitque curioſè inueſtigare, vt ſciret, quæ ſibi eſſent futura; ſed magis ſtuduit inquirere, quæ eſſet voluntas Dei beneplacens, & perfecta ad omne opus bonum inchoandum, & perficiendum.

Rom. 12.

Quæ in laudem & commendationem Venerabilis Patris Domni Ioannis Gerſenis, Abbatis Benedictini, eiuſque Librorum de Imitatione Chriſti, faciunt.

Ioannes Gerſen, Abbas, de ſeipſo lib. 3. cap. 10.

NVnc iterum loquar Domine, & non ſilebo; dicam in auribus Dei mei, Domini

mini mei, Regiſque mei, qui eſt in excelſo: O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Sed quid es timentibus te, aut amantibus? quid toto corde tibi ſeruientibus? Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te. In hoc maximè oſtendiſti mihi dulcedinem charitatis tuæ, quia cum non eſſem, feciſti me: & cùm errarem longè à te, reduxiſti me, vt ſeruirem tibi: & præcepiſti, vt diligam te. Pſal.30. Gen.1. Pſal.118. Mat.15.

O fons amoris perpetui, quid dicam de te! Quomodò potero tui obliuiſci, qui mei dignatus es recordari, etiam poſtquam contabui, & perij? Feciſti vltra omnem ſpem miſericordiam cum Seruo tuo: & vltra omne meritum, gratiam & amicitiam exhibuiſti. Quid retribuam tibi pro gratia iſta? Non enim omnibus datum eſt, vt omnibus abdicatis, ſæculo renuncient, & Monaſticam vitam aſſumant. Nunquid magnum eſt vt tibi ſeruiam, cui omnis creatura ſeruire tenetur? Non magnum mihi videri debet ſeruire tibi: ſed potius hoc mihi magnum & mirandum apparet, quòd tam pauperem & indignum dignaris in ſeruum recipere, & dilectis ſeruis tuis adunare. Pſal.115. Monachũ ſe oſtendit Auctor Iudic. 16.

Ecce omnia tua ſunt, quæ habeo, & vnde tibi ſeruio. Veruntamen vice verſa, tu

mihi magis ſeruis, quàm ego tibi. Ecce,
1. Cor.4. cælum & terra, quæ in miniſterio creaſti
hominis, præſto ſunt, & faciunt quotidie
Pſal.90. & Heb.1. quæcumque mandaſti. Et hoc parum eſt,
quin etiam Angelos in miniſterium hominis
creaſti, & ordinaſti. Tranſcendit autem
hæc omnia, quòd tu ipſe homini ſeruire
dignatus es, & te ipſum daturũ ei promiſiſti.

Quid dabo tibi pro omnibus iſtis millibus bonis? Vtinam poſſem tibi ſeruire cunctis diebus vitæ meæ. Vtinam vel vno die dignum ſeruitium exhibere ſufficerem. Verè tu es dignus omni ſeruitio, omni honore, & laude æterna. Verè Dominus meus es, & ego pauper ſeruus tuus, qui totis viribus teneor tibi ſeruire, nec vnquam in laudibus tuis debeo faſtidire. Sic volo, ſic deſidero: & quidquid mihi deeſt, tu digneris ſupplere.

Magnus honor, magna gloria, tibi ſeruire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam, qui ſpõte ſe ſubiecerint tuæ ſanctiſſimæ ſeruituti. In-
Mat.19. uenient ſuauiſſimam Spiritus ſancti conſolationem, qui pro amore tuo omnem carnalem abiecerint delectationem. Conſequenter magnam mentis libertatem, qui arctam
Mat.7. pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam.

O gra-

O grata, & iucunda Dei ſeruitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus! O ſacer ſtatus religioſi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem! O amplectendum, & ſemper optabile ſeruitium, quo ſummum promeretur Bonum, & gaudium acquiritur ſine fine permanſurum. Matt. 13. 1.Io.5.

Idem Ioannes Gerſen Abbas de ſeipſo, eodem libro 3. cap. 56.

DOmine Ieſu Chriſte, quia arcta eſt vita tua, & mundo deſpecta, dona mihi tecum mundi deſpectum imitari. Non enim maior eſt ſeruus Domino ſuo, nec diſcipulus ſuper Magiſtrum. Exerceatur Seruus tuus in vita tua, quia ibi eſt ſalus mea, & ſanctitas vera. Quidquid extra eam lego, vel audio, non me recreat, nec delectat plenè. Mat.7. Luc.6.

Fili, quia hæc ſcis, & legiſti omnia, beatus eris ſi feceris. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ipſe eſt qui diligit me: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum: & faciam eum conſedere mecum in Regno Patris mei. Domine igitur, ſicut dixiſti & promiſiſti, ſic vtique mihi promereri Io.14.

En quomodo Auctor monachũ ſe oſtẽdit, non Canonicũ Reg. S. Auguſt.

reri contingat. *Suſcepi, ſuſcepi de manu tua Crucem, portabo eam vſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi. Verè vita boni Monachi Crux eſt, ſed dux Paradiſi.* Incœptum eſt, retro abire nõ licet, nec relinquere oportet.

Eia, fratres, pergamus ſimul, Ieſus erit nobiſcum: propter Ieſum ſuſcepimus hanc crucem, propter Ieſum perſeueremus in cruce. Erit adiutor noſter, qui eſt dux noſter, & præceſſor. En, Rex noſter ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; ſimus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ noſtræ, vt fugiamus a Cruce.

*Idem Ioannes Gerſen Abbas, lib.4.cap.*11.

O Dulciſſime Domine Ieſu, quanta eſt dulcedo deuotæ animæ tecum epulãtis in conuiuio tuo: vbi ei non alius cibus manducandus proponitur, niſi tu vnicus dilectus eius, ſuper omnia deſideria cordis eius deſiderabilis. Et mihi quidem dulce foret, in præſentia tua, & intimo affectu lacrymas fundere, & cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare. (Luc.7.) Sed vbi eſt hæc deuotio? vbi lacrymarum ſanctarum copioſa effuſio? Certè in conſpectu tuo, & Sanctorum Angelorum tuorum, totum cor meũ

ardere deberet, & ex gaudio flere. Habeo enim te in Sacramento verè præſentem, quamuis aliena ſpecie occultatum.

Nam in propria, & Diuina claritate te conſpicere, oculi mei ferre non poſſent; ſed neque totus mundus in fulgore maieſtatis tuæ ſubſiſteret. In hoc ergo imbecillitati meæ conſulis, quòd te ſub Sacramento abſcondis. Habeo verè, & adoro, quem Angeli adorant in cælo; ſed ego adhuc interim in fide, illi autem in ſpecie, & ſine velamine. Me oportet contentum eſſe in lumine veræ fidei, & in ea ambulare, donec aſpiret dies æternæ claritatis, & vmbræ figurarum inclinentur. Cum autem venerit, 1.Cor.13. quod perfectum eſt, ceſſabit vſus Sacramentorum; quia Beati in gloria cæleſti non egēt medicamine Sacramentali; gaudent enim ſine fine in præſentia Dei, facie ad faciem gloriam eius ſpeculantes: & de claritate in claritatem abyſſalis Deitatis transformati, guſtant verbum Dei caro factum, ſicut fuit ab initio, & manet in æternum.

Memor horum mirabilium, graue mihi fit tædium, etiam quodlibet ſpirituale ſolatium; quia quamdiu Dominum meum apertè in ſua gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conſpicio, & audio. Teſtis es tu mihi Deus; quia nulla

res

res poteſt me conſolari, nulla creatura quietare, niſi tu Deus meus, quem deſidero æternaliter contemplari. Sed non eſt hoc poſſibile, durante me in hac mortalitate. Ideo oportet, vt me ponam ad magnam patientiam, & meipſum in omni deſiderio
Hebr.10. & 11. me ſubmittam. Nam & Sancti tui Domine, qui tecum iam in Regno cælorum exultant, in fide & patientia magna, dum viuerent, aduentum gloriæ tuæ exſpectabant. Quod illi crediderunt, ego credo; quod illi ſperauerunt, ego ſpero; quò illi peruenerunt, per gratiam tuam me venturum confido. Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus Sanctorum. Habebo etiam Libros ſanctos pro ſolatio, & vitæ ſpeculo; atque ſuper hæc omnia ſanctiſſimum Corpus tuum pro ſingulari remedio & refugio.

Duo namque mihi neceſſaria per maximè ſentio in hac vita, ſine quibus importabilis mihi foret iſta miſerabilis vita. In carcere corporis huius detentus, duobus me egere fateor, cibo ſcilicet, & lumine. Dediſti itaque mihi infirmo, ſacrum Corpus tuum ad refectionem mentis, & corpo-
Io.6. ris; & poſuiſti lucernam pedibus meis,
Pſal.118. verbum tuum. Sine his duobus benè viuere non poſſem: nam verbum Dei lux animæ eſt: & Sacramentum tuum, panis vitæ.

Hæc

Hæc poſſunt etiam dici menſæ duæ, hinc, & inde in gazophylacio Sanctæ Eccleſiæ poſitæ. Vna menſa eſt ſacri Altaris, habens Panem Sanctum, id eſt, Corpus Chriſti pretioſum: altera eſt Diuinæ Legis, continens doctrinam ſanctam, erudiens fidem rectam; & firmiter vſque ad interiora velaminis, vbi ſunt Sancta Sanctorum, perducens. Gratias tibi ago Domine Ieſu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ ſacræ menſa, quam nobis per ſeruos tuos Prophetas, & Apoſtolos, alioſque Doctores miniſtraſti. Pſ. 22. Hebr. 9. & 13.

Gratias tibi Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam paraſti magnam: in qua non agnum typicum, ſed tuum ſanctiſſimum Corpus, & Sanguinem propoſuiſti manducandum: lætificans omnes fideles conuiuio ſacro, & calice inebrians ſalutari: in quo ſunt omnes delitiæ Paradiſi, & epulantur nobiſcum Angeli ſancti, ſed ſuauitate feliciori. Luc. 14. Io. 6. Pſal. 22. Sap. 16.

O quàm magnum, & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt Dominum maieſtatis verbis ſacris conſecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare! O quàm mundæ debent eſſe manus illæ,

quàm

quàm purum os, quàm ſanctum corpus, quàm immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis! Ex ore Sacerdotis nihil niſi Sanctum, nihil niſi honeſtum, & vtile procedere debet verbum, qui tam ſæpe Chriſti accipit Sacramentum.

Oculi eius ſimplices, & pudici, qui Chriſti Corpus ſolent intueri. Manus puræ, & in cælum eleuatæ, quæ Creatorem cæli & terræ ſolent contrectare: Sacerdotibus ſpecialiter in Lege dicitur: Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum, Dominus Deus veſter.

Leuit. 19. & 20.

Adiuuet nos gratia tua, Omnipotẽs Deus vt qui officium Sacerdotale ſuſcepimus, dignè, ac deuotè in omni puritate, & conſciẽtia bona tibi famulari valeamus. Et ſi non poſſumus in tanta innocentia vitæ conuerſari, vt debemus, concede nobis tamen dignè flere mala, quæ geſſimus: & in ſpiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis propoſito, tibi feruentiùs de cæterò deſeruire.

Ex ſcriptis Clericorum Regularium *Teatinorum Monumentis, quæ D. Ioannes Baptiſta Piſcara Caſtaldus, eiuſdem* Religionis *Viſitator, mihi impertitus eſt.*

IN hac Clericorum Regularium Religione, quæ Paulum huius nominis Quartum

tum Pont. Max. ac B. Caietanum Thienæum, ſanctitate præſtantes, Parentes habuit, & Fundatores, ipſe de Imitatione Chriſti Liber magno in pretio habetur: eiuſque ſalutaris doctrinæ fluenta a Capite in omnia illius Ordinis membra deriuantur; ita vt vberes ſpiritualium bonorum riuos iugiter effundant. Hinc præſertim eſt, quod Ioannes Bernardinus Scotus, Sabinus, primus poſt quatuor Fundatores eiuſdem Religionis profeſſor, & qui poſtea ob vitæ ſanctimoniam, atque doctrinam, ad Sacram Purpuram aſſumptus, Cardinalis Tranenſis nomen accepit, eum Librum e manibus nunquam dimiſit.

Ludouicus Gonzalez e Societate Ieſu in Actis S. Ignatij, eius Societatis Fundatoris, rogatu Ioannis III. Luſitaniæ Regis annotatis, quæque M.SS. Romæ in Domo Profeſſa aſſeruantur.

SOlitum fuiſſe Sanctum Patrem quotidie legere vnum Caput ex Libello Ioannis * Gerſonis: & quidem vnum, eo ordine, quo in eo diſpoſita ſunt, Capita. A prandio verò, & alijs horis, ſolitum, alterum Caput euoluere: quod veluti caſu, aperto Libello, ſine vllo foliorum diſcrimine obtigiſſet: ſemperque inueniſſe in eo ma-

*Gerſenis

D

materiam, præſertim animæ ſtatui accommodatam, & quam ipſe Beatus Pater eo tempore in animo impreſſam haberet. Adeoque familiarem ei fuiſſe iſtum Libellum, vt moribus ſuis, verbis, motibus, actionibus denique omnibus, ſalutaris illius Libri documenta perfectiſſimè exprimeret; vt qui cum Beato Patre aſſiduè verſabantur, agnouerint, in eius vita, viuam imaginem expreſſam Libelli Ioannis* Gerſonis, cuius lectionem commendabat omnibus, quibus cum tractabat.

* Gerſenis

Vniuerſa Societas Ieſu quanti faciat lectionem Librorum Ioannis Gerſenis.

SOcietatis Ieſu Nouitios in ſuis præſcriptis habere, quotidie legere aliquid ex Gerſene, definito temporis ſpatio, ita vt tempus illud vocetur (*Hora legendi* * *Gerſonis*) cui omnes intendere debent eadem hora. In omnibus porro Collegijs, & Domibus eiuſdem Societatis, ſemel in hebdomada, feria ſexta, veſpere, ad menſam legitur idem Auctor.

* Gerſenis

Religio etiam Carmelitarum Diſcalceatorum S. Thereſiæ, in ſuo Ordinario; ſeu Cærimoniali, part. 3. §. 4.

IN Quadrageſima verò ad refectionē veſpertinam legetur *Gerſon de Imitatione Christi.

* Gerſen.

No-

Nouerant enim Religioſi, doctique Patres iſti abiudicandum Librum Kempenſi, vt pote longè iuniori, quàm vt poſſet tantam hæreditatem inire; Tametſi nominis æquiuocationi, quæ Italis, Hiſpaniſque familiaris fuit, Gerſonem pro Gerſene ſcripſerunt.

Didacus Perez Hiſpanus, Theologiæ Doctor & Sacrarum Scripturarum in Academia Barchinonenſi Lector, Scholæ tamen Chriſti, eiuſque Spiritus Magiſter eximius, cap.5. part.4. Libri ſui, quem patria lingua inſcripſit Aduiertimentos ſpirituales: e cuius Monitis ſpiritualibus in Latinum a nobis teſtimonium hoc translatum eſt.

ILlud verò conſilium in primis ſuſcipiat Religioſus homo, vt ſi fieri poteſt, nullum diem tranſire patiatur, in quo lectioni aurei illius Libelli, qui ſub nomine Ioannis * Gerſonis circumfertur, aliquantum temporis non impertiat, etiamſi dimidiam dumtaxat paginam perlegeret. Quem quidem Libellum optarem, vti ſocium, amicum, & fratrem, perpetuò ſecum duceret: aut ſaltem non longè habens, vt continuò in manibus, & oculis verſetur. Verè enim affirmare poſſum: Librum hunc

* Gerſenis

inter præcipuos admiratione, ac veneratione dignum eſſe: eiuſque Auctorem ex ſacris Litteris, & Sanctorum doctrina florem, ſanctitatis, & puritatis ſpiritum prudenter delibaſſe.

Henricus Sommalius e Societate Ieſu Theologus, in Epiſtola ad Leonardum Betteniũ, Cœnobij S. Trudonis Abbatem. Extat cum Opuſculis Thomæ a Kempis Duaci editis.

QVanta ſit huius Libelli dignitas, qua ſe omnibus longè, latèque probauit, vel ex hoc liquidò patet: quòd poſt ſacros Codices, nullus tam crebrò Typis fuerit excuſus: nullus tam cupidè ab omnibus expetitus ac lectitatus, a ſummis, medijs, infimis: nullus, qui in tam varias ſit linguas transfuſus, atque omnium calculis approbatus. Referam hìc, quod niſi grauiſſimis teſtimonijs niteretur, incredibile videri poſſet. Cum quidam e noſtra Societate Ieſu, ante annos plus minus duodeuiginti, Argirium Mauritaniæ profectus fuiſſet, pretium redemptionis captiuorum laturus; Rex, qui aliquando Chriſtianus fuerat, eum in ſuam duxit Bibliothecam, varia librorum ſupellectili inſtructam. Varios hic illi Codices viſendos porrigit, atque in his Libellum

de Imitando Chriſto, vulgari Turcarum Lingua conuerſum. Adiecit autem: Pluris ſe vnicum illum facere, quàm reliquos omnes Mahumetanorum. Superuacaneum hic eſſet, percenſere mirabiles ex huius Libelli lectione animorum metamorphoſes, innumeraſque eorum conuerſiones, quos ad arctam ſalutis ſemitam, a via lata, & ſpacioſa traduxit: præſertim cum & illæ plerisque notæ ſint; & procliue ſit cuique in ſemetipſo experiri, quæ, quantaque mutatio dexteræ Excelſi, ſi vel leuiter eius doctrinam delibarit, mox conſequatur. Audiui ego non rarò, viros optimos, & in Auctorum optimorum lectione diu, multumque verſatos, qui de hoc Opuſculo dicerent: Se, cum mœſtitia animi, vel moleſtijs alijs afflicti, affectique fuiſſent, ſubitò lectione vnius modò Capitis, in quod fortè incidiſſent, mœrorem omnem abſterſiſſe, animumque a moleſtijs auocaſſe. Tandemque magno animi ſenſu ita concludit: Fidenter ſiquidem, & magna cum omnium approbatione aſſeuero: *In hoc Auctore totius Chriſtianæ Philoſophiæ compendium contineri.*

Eminentiſsimus & Sapientiſsimus Cardinalis Robertus Bellarminus, Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Ioanne Gerſone.

Io. Gerſenis Abb. liber de Imit. Chr. a tota Eccleſia receptus.

OPuſculum eſt vtiliſſimum, & iure in tota Eccleſia, ſummo omnium conſenſu, receptum, & frequentatum, & in omnes Linguas conuerſum. Ego certè ab adoleſcentia, & vſque ad ſenectam, hoc Opuſculum ſæpiſſimè volui, & reuolui: & ſemper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit.

Explicit Apparatus ad Ioannem Gerſenem Abbatem Italo-Benedictinum Librorum de Imitatione Chriſti Auctorem, reſtitutum a Domno Conſtantino Caietano, Abbate Benedictino.

Et exultabit lingua mea Iuſtitiam tuam, Deus.

LIBRI
GERSENIS
RESTITVTI.

Sicut totius eſt corporis piè viuere, ita totius eſt temporis Crucem ferre: quæ meritò ferri vnicuique ſuadetur, quia proprijs modis, atque menſuris ab vnoquoque toleratur.

S. Leo Magnus, Pontifex Eccleſiæ Maximus, in Sermone de Quadrageſima.

Deuotiſsimi & Venerabilis Viri,

IOANNIS GERSENIS ABBATIS,
Italo-Benedictini.

De Imitatione Chriſti Libri Quatuor, planè Diuini.

A Domno Conſtantino Caietano, Syracuſano, Abbate Benedictino, Apoſtolici Collegij Gregoriani de propaganda Fide, recenſiti, ac collatis veteribus Codicibus, Aronenſi, Mantuano, Cauenſi, Leo-Allatiano, & Genuenſi (ſeruata vbique correctiori & præſtantiori lectione) pluribus in locis emendati, & aucti.



ROMÆ, A.C. 1644 Ex Typographica Officina Sacræ Congregationis de propaganda Fide.

Superiorum Auctoritate.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Io.B.A.Epiſc.Camer.Viceſger.

Imprimatur, F. Hyacinthus Serronius Mag. & Socius Reuerendiſſimi P.F. Michaelis Mazarini S.P.A. Mag. Ord. Præd.

Non quæras, quis hæc dixerit; ſed quid dicatur, attende.

Ioannes Gerſen Abbas de Imitatione Chriſti lib.1.cap.5.

Incipit Liber Primus.

IOANNIS GERSENIS ABBATIS,

De Imitatione Chriſti, & Contemptu omnium Vanitatum Mundi. Cap.I.

QVI ſequitur me, non ambulat
in tenebris, ſed habebit lumen Ioan.8.
vitæ: dicit Dominus.
Hæc ſunt verba Chriſti, quibus
admonemur, quatenus vitam
eius, & mores imitemur, ſi volumus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur ſtudium noſtrum ſit, in vita Chriſti Ieſu meditari.

2 Doctrina Chriſti, omnes doctrinas Sanctorum præcellit: & qui ſpiritum eius haberet, abſconditum ibi manna inueniret. Sed contingit, quòd multi ex frequenti auditione Euangelij, paruum deſiderium ſentiunt; quia ſpiritum Chriſti non habent. Qui autem vult plenè, & ſapidè Chriſti verba intelligere; oportet vt totam vitam ſuam illi ſtudeat conformare.

3 Quid prodeſt tibi, alta de Trinitate diſputare: ſi careas humilitate, vnde diſpliceas Trinitati? Verè alta verba non faciunt ſanctum, & iuſtum: ſed virtuoſa

vita

1. Cor.13. vita efficit Deo charum; Opto magis ſentire compunctionem, quàm ſcire eius definitionem. Si ſcires totam Bibliam † & omnium Philoſophorum dicta: quid totum prodeſſet ſine charitate, & gratia? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſeruire. Iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum mundi tendere ad cæleſtia Regna.

† Hoc eſt memoriter ad verbum.

Eccli.1.

4 Vanitas igitur eſt, diuitias perituras quærere, & in illis ſperare. Vanitas quoque eſt, honores ambire, & in altum ſe extollere. Vanitas eſt, carnis deſideria ſequi: & illud deſiderare, vnde poſtmodum grauiter oportet puniri. Vanitas eſt longam vitam ſperare, vel optare, & de bona vita modicum curare. Vanitas eſt, præſentem vitam ſolùm attendere: & quæ futura ſunt, non prævidere. Vanitas eſt diligere, quod cum omni celeritate tranſit: & illuc non feſtinare, vbi ſempiternum gaudium manet.

5 Memento illius frequenter Prouerbij: quia non ſatiatur oculus viſu; nec auris impletur auditu. Stude ergo cor tuum ab amore viſibilium abſtrahere, & ad inuiſibilia te transferre. Nam ſequentes ſuam ſenſualitatem, maculant conſcientiam, & perdunt Dei gratiam.

Eccli.1.

De

De humili ſentire ſui ipſius. *Cap. II.*

OMnis homo naturaliter ſcire deſiderat; ſed ſcientia ſine timore Dei, quid importat? Melior eſt profectò humilis ruſticus, qui Deo ſeruit; quàm ſuperbus philoſophus, qui ſe neglecto, curſum cæli conſiderat. Qui benè ſe ipſum cognoſcit, ſibi ipſi vileſcit, nec laudibus delectatur humanis. Si ſcirem omnia, quæ in mundo ſunt, & non eſſem in charitate; quid me iuuaret coram Deo, qui me iudicaturus eſt ex facto? Eccl. 1. & Ariſt. lib. 1. c. 1. Metaphyſ.

2 Quieſce a nimio ſciendi deſiderio: quia magna ibi inuenitur diſtractio, & deceptio. Scientes libenter volunt videri, & ſapientes dici. 1. Cor. 8. Multa ſunt, quæ ſcire, parum, vel nihil animæ proſunt. Et valde inſipiens eſt, qui alijs intendit, quàm ijs, quæ ſaluti animæ ſuæ deſeruiunt. Multa verba non ſatiant animam; ſed bona vita refrigerat mentem: & pura conſcientia magnam præſtat ad Deum confidentiam.

3 Quantò plus & meliùs ſcis, tantò grauiùs inde iudicaberis, niſi ſanctiùs vixeris. Noli ergo extolli de vlla arte, vel ſcientia; ſed potiùs time de data tibi notitia. Si tibi videtur, quòd multa ſcis, & ſatis bene intelligis: ſcito tamen quia ſunt multò plura,

Rom.12. quæ neſcis. Noli altum ſapere, ſed ignorantiam tuam magis fatere. Quid te vis alicui præferre, cum plures doctiores te inueniantur, & magis in Lege periti? Si vis vtiliter aliquid ſcire, & diſcere; ama neſciri, & pro nihilo reputari.

4 Hæc eſt altiſſima, & vtiliſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio, & deſpectio. De ſeipſo nihil tenere, & de alijs ſemper benè, & altè ſentire, magna ſapientia eſt, & perfectio. Si videris aliquem apertè peccare, vel aliqua grauia perpetrare, non debes te tamen meliorem æſtimare, quia neſcis quãdiu in bono poſſis ſtare. Omnes fragiles
Gen.8. ſumus, ſed tu neminem fragiliorem te ipſo tenebis.

De Doctrina Veritatis. Cap.III.

Pſal.93. FElix, quem Veritas per ſe ipſum docet, non per figuras, & voces tranſeuntes, ſed ſicuti ſe habet. Noſtra opinio, & noſter ſenſus ſæpe nos fallunt, & modicum vident.
Eccli.3. Quid prodeſt magna cauillatio, de occultis, & obſcuris rebus, de quibus non arguemur in iudicio, quia ignorauimus? Grandis inſipientia, quòd neglectis vtilibus, & neceſſarijs, vltro intendimus curioſis, &
Pſal.113. damnoſis: Oculos habentes, non videmus.

2 Et quid nobis, de generibus, & ſpeciebus? Cui æternum Verbum loquitur, a multis opinionibus expeditur. Ex vno Verbo omnia, & vnum loquuntur omnia: & hoc eſt Principium, quod & loquitur nobis. Nemo ſine illo intelligit, aut rectè iudicat. Cui omnia vnum ſunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt: poteſt ſtabilis corde eſſe, & in Deo pacificus permanere. O veritas Deus, fac me vnum tecum, in charitate perpetua. Tædet me ſæpe, multa legere, & audire: in te eſt totum, quod volo, & deſidero. Taceant omnes doctores: ſileant vniuerſæ creaturæ in conſpectu tuo; tu mihi loquere ſolus.

3 Quantò aliquis ſibi magis vnitus, & interiùs ſimplificatus fuerit; tantò plura, & altiora ſine labore intelliget; quia deſuper lumen intelligentiæ accipiet. Purus, ſimplex, & ſtabilis ſpiritus, in multis operibus non diſſipatur; quia omnia ad Dei honorem operatur, & in ſe otioſus, ab omni propria exquiſitione eſſe nititur. Quis te magis impedit, & moleſtat, quàm tua immortificata affectio cordis? Bonus, & deuotus homo, opera ſua priùs intus diſponit, quæ foris agere debet. Nec illa trahunt eum ad deſideria vitioſæ inclinationis, ſed ipſe inflectit ea ad arbitrium rectæ rationis.

Matth. 11. & Luc. 12.

nis. Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere ſeipſum? Et hoc deberet eſſe negotium noſtrum; vincere videlicet ſeipſum, & quotidie ſeipſo fortiorem fieri, atque in melius proficere.

4 Omnis perfectio in hac vita, quandam imperfectionem habet ſibi annexam; & omnis ſpeculatio noſtra, quadam caligine non caret. Humilis tui cognitio, certior via eſt ad Deum, quàm profunda ſcientiæ inquiſitio. Non eſt culpanda ſcientia, aut quælibet ſimplex rei notitia, quæ bona in ſe conſiderata eſt, & a Deo ordinata; ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſtudent ſcire, quàm benè viuere: ideo ſæpe errant, & penè nullum, vel modicum fructum ferunt.

5 O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inferendas, ſicuti ad mouendas quæſtiones! tunc non fierent tanta mala, & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in Cœnobijs. Certè, Matth.5. adueniente die Iudicij, non quæretur a nobis, quid legimus, ſed quid fecimus: nec quàm benè diſcimus, ſed quàm religioſè viximus. Dic mihi, vbi ſunt modò omnes illi magiſtri, quos nouiſti benè, dum adhuc viuerent, & ſtudijs florerent? Iam eorum

Præbendas alij poſſident; & neſcio, vtrum de eis recogitent. In vita ſua aliquid videbantur, & modò de illis tacetur.

6 O quàm citò tranſit gloria mundi! Vtinam vita eorum, ſcientiæ eorum cõcordaſſet: tunc benè ſtuduiſſent, & legiſſent. Quàm multi pereunt per vanam ſcientiam in hoc ſæculo, qui parum curant de Dei ſeruitio! Et quia eligunt magis eſſe magni, quàm humiles, ideo euaneſcunt in cogitationibus ſuis. Verè magnus eſt, qui magnam habet charitatem: verè magnus eſt, qui in ſe paruus eſt, & pro nihilo omne culmen honoris ducit. Verè prudens eſt, qui omnia terrena arbitratur, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat. Et verè benè doctus eſt, qui Dei voluntatem facit, & ſuam relinquit.

Eccle. 2. Tit. 1. Rom. 1. Matth. 18. & 23. Phil. 3.

De Prudentia in agendis. Cap. IV.

1 NOn eſt credendum omni verbo, nec inſtinctui; ſed cautè & longanimiter res eſt ſecundùm Deum ponderanda. Proh dolor, ſæpe malum faciliùs, quàm bonum de alio creditur, & dicitur, ita infirmi ſumus. Sed perfecti viri non facilè credunt omni enarranti, quia ſciunt humanam infirmitatem ad malum procliuem, & in verbis ſatis labilem.

1. Ioan. 4. Gen. 8. Iac. 3.

Prou.19. 2 Magna ſapientia eſt, non eſſe præcipitem in agendis, nec pertinaciter in proprijs ſenſibus ſtare. Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere: nec audita, vel credita mox ad aliorum aures effundere. Cum ſapiente, & conſcientioſo viro conſilium habe: & quære potiùs a meliori inſtrui, quàm tuas adinuentiones ſequi. Bona vita facit hominem ſapientem ſecundùm Deum, & expertum in multis. Quantò quis in ſe humilior fuerit, & Deo ſubiectior; tantò in omnibus erit ſapientior, ac pacatior.

Ibid.17. & Eccli. 19.

Prou.12.

Ibid.15. & Eccli.1.

De Lectione ſanctarum Scripturarũ. Cap. V.

1 VEritas eſt in Scripturis ſanctis quærenda, non eloquentia. Omnis Scriptura ſacra eo ſpiritu debet legi, quo facta eſt. Quærere potiùs debemus vtilitatem in Scripturis, quàm ſubtilitatem ſermonis. Ita libenter deuotos, & ſimplices libros legere debemus, ſicut altos, & profundos. Non te offendat auctoritas ſcribentis, vtrum paruæ, vel magnæ literaturæ fuerit; ſed amor puræ veritatis te trahat ad legendum. Non quæras, quis hæc dixerit; ſed quid dicatur, attende.

Rom.15. 1.Cor.1.

Pſal. 45. 2 Homines tranſeunt, ſed veritas Domini

mini manet in æternum. Sine perſonarum acceptione varijs modis loquitur nobis Deus. Curioſitas noſtra ſæpe nos impedit in lectione Scripturarum: cum volumus intelligere, & excutere, vbi ſimpliciter eſſet tranſeundum. Si vis profectum haurire, lege humiliter, ſimpliciter, & fideliter: nec vnquam velis habere nomen ſcientiæ. Interroga libenter, & audi tacens verba Sanctorum: nec diſpliceant tibi Parabolæ Seniorum, ſine cauſa enim non proferuntur.

Luc.21.

Rom.1.& 19.& Coloſ.3.

De inordinatis Affectionibus. Cap. VI.

1 QVandocũque homo inordinatè appetit aliquid, ſtatim in ſe inquietus fit. Superbus, & auarus numquam quieſcunt: pauper, & humilis ſpiritu, in multitudine pacis conuerſantur. Homo, qui necdum in ſe perfectè mortuus eſt, citò tentatur, & vincitur in rebus paruis, & vilibus. Infirmus ſpiritu, & quodammodò carnalis, & ad ſenſibilia inclinatus, difficiliter poteſt ſe a terrenis deſiderijs ex toto abſtrahere. Et ideo ſæpe habet triſtitiam, cum ſe ſubtrahit: leuiter etiã indignatur, ſi quis ei reſiſtit.

2 Si autem conſecutus fuerit quod concupiſcit, ſtatim ex reatu conſcientiæ grauatur: quia ſecutus eſt paſſionem ſuam,

quæ nihil iuuat ad pacem, quam quæ ſiuit. Reſiſtendo igitur paſſionibus, inuenitur vera pax cordis, non autem ſeruiendo eis. Non eſt ergo pax in corde hominis carnalis: non in homine exterioribus dedito, ſed in feruido ſpirituali.

De vana Spe, & Elatione fugienda. *Cap. VII.*

Hier. 17. 1 VAnus eſt, qui ſpem ſuam ponit in hominibus, aut in creaturis. Non pudeat te alijs ſeruire amore Ieſu Chriſti: & pauperem in hoc ſæculo videri. Non ſtes ſuper teipſum, ſed in Deo ſpem tuam conſtitue. (Pſal. 30. Hier. 9.) Fac quod in te eſt, & Deus aderit bonæ voluntati tuæ. Non confidas in tua ſciẽtia, vel in cuiuſcunque aſtutia viuentis: ſed magis in Dei gratia, qui humiles, adiuuat, & de ſe præſumentes humiliat.

2 Non glorieris in diuitijs, ſi adſunt; nec in amicis, quia potentes ſunt, ſed in Deo, qui omnia præſtat, & ſeipſum ſuper omnia dare deſiderat. Non te extollas de magnitudine, vel pulchritudine corporis: quæ modica infirmitate corrumpitur & fœdatur. Non placeas tibi ipſi de habilitate, aut ingenio tuo, ne diſpliceas Deo, cuius eſt totum quidquid boni naturaliter habueris.

3 Non

3 Non te reputes alijs meliorem, ne forté coram Deo deterior habearis, qui ſcit, quid eſt in homine. Non ſuperbias de operibus tuis: quia aliter ſunt iudicia Dei, quàm hominum: cui ſæpe diſplicet, quod hominibus placet. Si aliquid boni habueris, crede de alijs meliora, vt humilitatem conſerues. Non nocet, ſi omnibus te ſupponas: nocet autem plurimùm, ſi vel vni te præponas. Iugis pax cum humili; in corde autẽ ſuperbi zelus, & indignatio frequẽs. Exod. 3. & 12. Iob. 9.

De nimia Familiaritate cauenda. Cap. VIII.

1 NOn omni homini reueles cor tuũ: ſed cum ſapiente, & timente Deũ age cauſam tuam. Cum iuuenibus, & extraneis rarus eſto. Cum diuitibus noli blandiri, & coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus, & ſimplicibus, cum deuotis, & morigeratis ſociare: & quæ ædificationis ſunt, pertracta. Non ſis familiaris alicui mulieri: ſed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda, ſoli Deo, & Angelis eius, opta familiaris eſſe, & hominum notitiam deuita. Eccli. 8. Prou. 5.

2 Charitas habenda eſt ad omnes, ſed familiaritas non expedit. Quandoque accidit,

cidit, vt perſona ignota ex bona fama luceſcat: cuius tamen præſentia oculos intuentium offuſcat. Putamus aliquando alijs placere ex coniunctione noſtra: & incipimus magis diſplicere, ex morum improbitate, in nobis conſiderata.

De Obedientia, & Subiectione. Cap. IX.

1 VAlde magnum eſt, in obedientia ſtare, ſub Prælato viuere, & ſui iuris non eſſe. Multò tutiùs eſt ſtare in ſubiectione, quàm in Prælatura. Multi ſunt ſub obedientia magis ex neceſſitate, quàm ex charitate: & illi pœnam habent, & leuiter murmurant. Nec libertatem mentis acquirēt; niſi ex toto corde, propter Deũ, ſe ſubijciant. Curre huc, vel illuc: non inuenies quietem, niſi in humili ſubiectione, ſub Prælati regimine. Imaginatio locorum, & mutatio, multos feſellit.

2 Verum eſt, quod vnuſquiſque libenter agit pro ſenſu ſuo, & inclinatur ad eos magis, qui ſecum ſentiunt. Sed ſi Deus eſt inter nos, neceſſe eſt, vt relinquamus etiam quandoque noſtrum ſentire, propter bonũ pacis. Quis eſt ita ſapiens, qui omnia ſcire plenè poteſt? Ergo, noli nimis in ſenſu tuo confidere: ſed velis etiam libenter ſen-

ſum

ſum aliorum audire. Si bonum eſt tuum ſentire, & hoc ipſum propter Deum dimittis, & aliũ ſequeris, magis exinde proficies.

3 Audiui enim ſæpe: ſecuriùs eſſe audire, & accipere conſilium, quàm dare. Poteſt enim contingere, vt bonum ſit vniuſcuiuſque ſentire: ſed nolle alijs acquieſcere, cum id ratio, aut cauſa poſtulat, ſignum eſt ſuperbiæ, & pertinaciæ.

De cauenda Superfluitate verborum. *Cap. X.*

1 CAueas tumultum hominum, quantùm potes: multùm enim impedit tractatus ſæcularium geſtorum, etiam ſi ſimplici intentione proferantur. Citò enim inquinamur vanitate, & captiuamur. Vellem me pluries tacuiſſe, & inter homines non fuiſſe. Sed quare tam libẽter loquimur, & inuicem fabulamur; cum tamen raró ſine læſione conſcientiæ ad ſilentium redimus? Ideo tam libenter loquimur: quia per mutuas locutiones inuicem conſolari quærimus: & cor diuerſis cogitationibus fatigatum, optamus releuare. Et multùm libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria ſentimus, libet loqui, & cogitare. Matth. 4. & 14. & Ioan. 6. Matth. 12. Luc. 6.

2 Sed, proh dolor, ſæpe inaniter, & fruſtra. Nam hæc exterior conſolatio, interioris, & diuinæ conſolationis non modicũ detrimentum eſt. Ideo vigilandum eſt, & orandum, ne tempus otioſè tranſeat. Si loqui licet, & expedit, quæ ædificabilia ſunt, loquere. Malus vſus, & negligentia profectus noſtri multum facit ad incuſtodiã oris noſtri. Iuuat tamen non parum ad profectum ſpiritualem, deuota ſpiritualium rerum collatio: maximè vbi pares animo, & ſpiritu in Deo ſibi ſociantur.

Act. i. & Rom. 15.

De Pace acquirenda, & Zelo proficiendi. Cap. XI.

1 MVltam poſſemus pacem habere, ſi non vellemus nos cum aliorum dictis, & factis: & quæ ad noſtram curam non ſpectant, occupare. Quomodò poteſt ille diu in pace manere, qui alienis curis ſe intermiſcet? qui occaſiones forinſecus quærit? qui parum, vel rarò ſe intrinſecus colligit? Beati ſimplices, quoniam multam pacem habebunt.

Matth. 5.

2 Quare quidam Sanctorum tam perfecti, & contemplatiui fuerunt? Quia omnino ſeipſos mortificare ab omnibus terrenis deſiderijs ſtuduerunt: & ideo totis medullis

lis cordis Deo inhærere, atque liberè ſibi vacare potuerunt. Nos nimium occupamur proprijs paſſionibus, & de tranſitorijs nimis ſollicitamur. Rarò etiam vnum vitium perfectè vincimus, & ad quotidianum profectum non accendimur: ideo frigidi, & tepidi remanemus.

3 Si eſſemus nobiſmet ipſis perfectè mortui, & interiùs minimè implicati; tunc poſſemus etiam diuina ſapere, & de cæleſti contemplatione aliquid experiri. Totum, & maximum impedimentum eſt, quia non ſumus a paſſionibus, & concupiſcentijs liberi: nec perfectam Sanctorum viam conamur ingredi. Quando etiam modicum aduerſitatis occurrit, nimis citò deijcimur, & ad humanas conſolationes conuertimur.

4 Si niteremur, ſicut viri fortes, ſtare in prælio; profectò auxilium Domini ſuper nos videremus de cælo. Ipſe enim certantes, & de ſua gratia ſperantes, paratus eſt adiuuare: qui nobis certandi occaſiones procurat, vt vincamus. Si tantum in iſtis exterioribus obſeruantijs, profectum Religionis ponimus, citò habebit finem deuotio noſtra. Sed ad radicem ſecurim ponamus: vt purgati a paſſionibus, pacificam mentem poſſideamus.

5 Si omni anno vnum vitium extirparemus,

mus, citò viri perfecti efficeremur. Sed modò e contrario ſæpe ſentimus: vt meliores, & puriores in initio conuerſionis nos fuiſſe inueniamus, quàm poſt multos annos profeſſionis. Feruor, & profectus noſter quotidie deberet creſcere; ſed nunc pro magno videtur, ſi quis primi feruoris partē poſſit retinere. Si modicam violentiam faceremus in principio, tunc cuncta poſtea poſſemus facere cum leuitate, & gaudio.

6 Graue eſt aſſueta dimittere, ſed grauiùs eſt contra propriam voluntatem ire. Sed ſi non vincis parua, & leuia, quando ſuperabis difficiliora? Reſiſte in principio inclinationi tuæ, & malam noli ediſcere cōſuetudinem, ne fortè paulatim ad maiorem te ducat difficultatem. O ſi aduerteres, quantam tibi pacem, & alijs lætitiam faceres, te ipſum benè habendo! puto, quòd ſollicitior eſſes ad ſpiritualem profectum.

De Vtilitate aduerſitatis. Cap. XII.

1 BOnum nobis eſt, quod habeamus aliquando aliquas grauitates, & cōtrarietates; quia ſæpe hominem ad cor reuocant, quatenus ſe in exilio eſſe cognoſcat, nec ſpem ſuam in aliqua re mundi ponat. Bonum nobis eſt, quòd patiamur quādoque

doque contradictores: & quòd malè,& imperfectè de nobis ſentiatur, etiam ſi benè agimus, & intendimus. Iſta ſæpe iuuant ad humilitatem, & a vana gloria nos defendunt. Tunc enim meliùs interiorem teſtem Deum quærimus, quando foris vilipendimur ab hominibus, & non benè de nobis creditur.

2 Ideo deberet ſe homo, in Deo totaliter firmare: vt non eſſet ei neceſſe multas humanas conſolationes quærere. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur, vel tentatur, aut malis cogitationibus affligitur; tunc Deum ſibi magis neceſſarium intelligit, ſine quo nihil boni ſe poſſe deprehendit: Tunc etiam triſtatur, gemit, & orat pro miſerijs, quas patitur. Tunc tædet eum diutiùs viuere, & mortem optat venire: vt poſſit diſſolui, & cum Chriſto eſſe. Tunc Phil.1.
etiam benè aduertit, perfectam ſecuritatem, & plenam pacem in mundo non poſſe conſtare.

De Tentationibus reſiſtendis. Cap. XIII.

1 QVamdiu in mundo viuimus, ſine tribulatione, & tentatione eſſe non poſſumus. Vnde in Iob ſcriptum eſt: Iob.7.
Tentatio eſt vita humana ſuper terram.

Ideo

Ideo vnuſquiſqueſollicitus eſſe deberet circa tentationes ſuas, & vigilare in orationibus: ne diabolus loc ũinuenire & decipien-
i.Pet.5. di, qui numquam dormitat, ſed circuit quærens quem deuoret. Nemo tam perfectus eſt, & ſanctus, qui non habeat aliquando tẽtationes, & plenè eis carere nõ poſſumus.

2 Sunt tamen tentationes homini ſæpe valde vtiles, licet moleſtæ ſint, & graues; quia in ijs homo humiliatur, purgatur, &
Act.14. eruditur. Omnes Sancti per multas tribulationes, & tentationes tranſierunt, & profecerunt. Et qui benè tentationes ſuſtinere nequiuerunt, reprobi facti ſunt, & defecerunt. Non eſt aliquis Ordo tam ſanctus, nec locus tam ſecretus, vbi non ſint tentationes, vel aduerſitates.

3 Non eſt homo ſecurus a tentationibus totaliter, quàm diu vixerit: quia in nobis eſt, vnde tentamur, ex quo in concupiſcentia nati ſumus. Vna tentatione, ſeu tribulatione recedente, alia ſuperuenit; & ſemper ad patiendum aliquid habemus: nam bonum fælicitatis noſtræ perdidimus. Multi quærunt tentationes fugere, & grauiùs incidunt in eas. Per ſolam fugam non poſſumus vincere, ſed per patientiam, & veram humilitatem omnibus hoſtibus efficimur fortiores.

4 Qui

4 Qui tantummodò exteriùs declinat, nec radicem euellit, parum proficiet; immo citiùs tentationes ad eum accedent, & peius ſentiet. Paulatim, & per patièntiam cum longanimitate (Deo iuuante) meliùs ſuperabis, quàm cum duritia, & importunitate propria. Sæpius accipe conſilium in tentationibus, & cum tentato noli duriter agere; ſed conſolationem ingere, ſicut tibi optares fieri.

5 Initium enim omnium malarum tentationum, inconſtantia animi, & parua ad Deum confidentia. Quia ſicut nauis ſine gubernaculo hinc, & inde a fluctibus impellitur; ita homo remiſſus, & ſuum propoſitum deſerens, variè tentatur. Ignis probat ferrum, & tentatio hominem iuſtum. Neſcimus ſæpe quid poſſumus; ſed tentatio aperit, quid ſumus. Vigilandum tamen præcipuè eſt circa initium tentationis; quia tunc faciliùs hoſtis vincitur, ſi oſtium mentis nullatenus intrare ſinitur: ſed extra limen, ſtatim, vt pulſauerit, illi obuiatur. Vnde quidam dixit: *Principijs obſta, ſerò medicina paratur*. Nam primò occurrit menti ſimplex cogitatio, deinde fortis imaginatio; poſtea delectatio, & motus prauus, & aſſenſio. Sicque paulatim ingreditur hoſtis malignus ex toto, dum illi non reſiſtitur in

Eccli. 31.

Ouid. lib. de remed amoris.

in principio. Et quantò diutiùs ad reſiſtendum quis torpuerit, tantò in ſe quotidie debilior fit,& hoſtis contra eum potentior.

6 Quidam in principio conuerſionis ſuæ grauiores tentationes patiuntur: quidam autem in fine. Quidam verò, quaſi per totam vitam ſuam habent malè. Nonnulli ſatis leniter tentantur, ſecundùm diuinæ ordinationis ſapientiam, & æquitatem: quæ ſtatum, & merita hominum penſat, & cuncta ad Electorum ſuorum ſalutem præordinat.

7 Ideo non debemus deſperare, cum tentamur: ſed eò feruentiùs Deum exorare, quatenus dignetur in omni tribulatione nos adiuuare: qui vtique ſecundùm dictum
1.Cor.10. Sancti Pauli; talem faciet cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Humi-
1.Pet.5. liemus ergo animas noſtras ſub manu Dei in omni tentatione, & tribulatione; quia humiles ſpiritu ſaluabit, & exaltabit.

8 In tentationibus, & tribulationibus probatur homo, quantùm profecit: & maius meritum ibi exiſtit, & virtus meliùs patéſcit. Nec magnum eſt, ſi homo deuotus ſit, & feruidus, cum grauitatem non ſentit: ſed ſi tempore aduerſitatis patienter ſe ſuſtinet; ſpes magni profectus erit. Quidam a magnis tentationibus cuſtodiuntur, & a

paruis

paruis quotidianis ſæpe vincuntur: vt humiliati numquam de ſeipſis in magnis confidant, qui in tam modicis infirmantur.

De temerario Iudicio vitando. Cap. XIV.

1 AD teipſum oculos reflecte, & aliorum facta caueas iudicare. In iudicando alios, homo fruſtra laborat, ſæpiùs errat, & leuiter peccat: ſeipſum verò iudicando, & diſcutiendo, ſemper fructuosè laborat. Sicut nobis res cordi eſt, ſic de ea frequenter iudicamus: nam verum iudiciũ, propter priuatum amorem faciliter perdimus. Si Deus ſemper eſſet pura intentio noſtri deſiderij, non tam faciliter turbaremur pro reſiſtentia ſenſus noſtri. Matth. 7. & Rom. 2 Eccli. 3.

2 Sed ſæpe aliquid ab intra latet, vel etiã ab extra concurrit, quod nos etiam pariter trahit. Multi occultè ſeipſos quærunt in rebus, quas agunt, & neſciunt. Videntur etiam in bona pace ſtare, quando res pro eorum velle fiunt, & ſentire. Si autem aliter fit, quàm cupiunt, citò mouentur, & triſtes fiunt. Propter diuerſitatem ſenſuum, & opinionum ſatis frequenter oriuntur diſſenſiones inter amicos, & ciues, inter religioſos, & deuotos. Matth. 12. & Luc. 12

3 Antiqua conſuetudo difficulter relinquitur:

quitur: & vltra proprium videre, nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ magis inni-
Hier. 13. teris, vel induſtriæ, quàm virtuti ſubiectiuæ Ieſu Chriſti, rarò, & tardè eris homo illuminatus; quia Deus vult nos ſibi perfectè ſubijci, & omnem rationem per inflammatum amorem tranſcendere.

De Operibus ex Charitate factis. Cap. XV.

1 PRo nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione, aliquod malum eſt faciendum; ſed pro vtilitate tamen indigentis, bonum opus aliquando intermittendum
Matth. 18. eſt, aut etiam pro meliori mutandum. Hoc enim facto bonum opus non deſtruitur, ſed in melius commutatur. Sine charitate opus externum nihil prodeſt: quidquid autem ex
1. Cor. 13. charitate agitur, quantumcumque paruulũ ſit, & deſpectum, totum efficitur fructuoſum. Magis ſiquidem Deus penſat, ex quãto quis agit, quàm quantum quis facit.

2 Multum facit, qui multum diligit. Multum facit, qui rem benè facit. Multum facit, qui magis communitati, quàm ſuæ voluntati ſeruit. Sæpe videtur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas: quia carnalis incli-
Luc. 7. Phil. 2. natio, propria voluntas, ſpes retributionis, affectus commoditatis, rarò abeſſe volunt.

3 Qui

3 Qui veram, & perfectam charitatem habet, in nulla re ſeipſum quærit: ſed Dei gloriam ſolummodò in omnibus fieri deſiderat. Nulli etiam inuidet, quia nullum priuatum gaudium amat: nec in ſeipſo vult gaudere, ſed in Deo, ſuper omnia bona, optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, ſed totaliter ad Deum refert, a quo fontaliter omnia procedunt, in quo finaliter omnes Sancti fruibiliter quieſcunt. O qui ſcintillam haberet veræ charitatis! profectò omnia terrena ſentiret plena fore vanitatis. Phil. 2. & 1. Cor. 13 Pſal. 17. & 21.

De Sufferentia defectuum aliorum.
Cap. XVI.

1 QVæ homo in ſe, vel in alijs emendare non valet, debet patienter ſuſtinere, donec Deus aliter ordinet. Cogita, quia ſic meliùs eſt fortè pro tua probatione; & patientia, ſine qua non ſunt multùm ponderanda merita noſtra. Debes tamen, pro talibus impedimentis ſupplicare, vt Deus dignetur tibi ſubuenire, vt poſſis benè portare. Matth. 6. & Luc. 12

2 Si quis ſemel, aut bis admonitus, non acquieſcit, noli cum eo contendere; ſed totum Deo committe, vt fiat voluntas eius, Matth. 6.

& honor in omnibus ſeruis ſuis, qui benè ſcit malum in bonum conuertere. Stude patiens eſſe in tolerando aliorum defectus, & qualeſcumque infirmitates; quia & tu multa habes, quæ ab alijs oportet tolerari. Si non potes te talem facere, qualem vis; quomodò poteris alium ad tuum habere beneplacitum? Libenter volumus alios eſſe perfectos, ſed tamen proprios non emendamus defectus.

1. Theſſ. 5. & Gal. 6.

3 Volumus: quòd alij diſtrictè corrigantur, & ipſi corrigi nolumus. Diſplicet larga aliorum licentia, & tamen nobis nolumus negari quod petimus. Alios reſtringi per Statuta volumus, & ipſi nullatenus patimur ampliùs cohiberi. Sic ergo patet, quàm rarò proximum, ſicut nos ipſos amamus. Si eſſent omnes perfecti, quid tunc haberemus ab alijs pro Deo pati?

4 Nunc autem Deus ſic ordinauit, vt diſcamus alter alterius onera portare: quia nemo ſine defectu, nemo ſine onere, nemo ſibi ſufficiens, nemo ſibi ſatis ſapiens: ſed oportet nos inuicem portare, inuicem conſolari, pariter adiuuare, inſtruere, & admonere. Quantæ autem virtutis quiſque fuerit, meliùs patet occaſione aduerſitatis. Occaſiones namque hominem fragilem non faciunt, ſed qualis ſit, oſtendunt.

Gal. 6.

1. Theſſ. 5. & 1. Cor. 12.

De

De Monaſtica Vita. Cap. XVII.

1 OPortet, vt diſcas teipſum in multis frangere, ſi vis pacem, & concordiam cum alijs tenere. Non eſt paruum in Monaſterijs, vel in Congregatione habitare, & ibi ſine querela conuerſari, & vſque ad mortem fidelis perſeuerare. Beatus, qui ibidem benè vixit, & feliciter conſummauit. Si vis debitè ſtare, & proficere, teneas te tamquam exulem, & peregrinum ſuper terram. Oportet te ſtultum fieri propter Chriſtum, ſi vis religioſam ducere vitam. Gal. 6. Luc. 6.

2 Habitus, & tonſura modicum conferunt; ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum verum faciunt religioſum. Qui aliud quærit, quàm purè Deum, & animæ ſuæ ſalutem, non inueniet, niſi tribulationem, & dolorem. Non poteſt etiam diu ſtare pacificus, qui non nititur eſſe minimus, & omnibus ſubiectus. 1. Pet. 2. Eccl. 1. & Eccli. 1.

3 Ad ſeruiendum veniſti, aut ad regendum? ad patiendum ſcias te vocatum, & ad laborandum, non ad otiandum, vel fabulandum. Hic ergo probantur homines, ſicut aurum in fornace. Hic nemo poteſt ſtare, niſi ex toto corde ſe voluerit propter Deum humiliare. Mat. 20. Sap. 3.

De Exemplis Sanctorum Patrum. *Cap. XVIII.*

1 INtuere Sanctorum Patrum viuida exempla, in quibus vera perfectio re-
Heb. 11. fulſit, & religio; & videbis quàm modicum ſit, & penè nihil, quod nos agimus. Heu quid eſt vita noſtra, ſi illis fuerit comparata? Sancti, & Amici Chriſti Domino ſeruierunt in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigilijs & orationibus, in ieiunijs & ſanctis meditationibus, in perſecutionibus & opprobrijs multis.

2 O quàm multas, & graues tribulationes paſſi ſunt Apoſtoli, & Martyres, Confeſſores, Virgines, & reliqui omnes, qui Chriſti veſtigia voluerunt ſequi! Nam ani-
Ioan. 12. mas ſuas in hoc mundo oderunt, vt in vitam æternam poſſiderent eas. O quàm ſtrictam, & abdicatam vitam ſancti Patres in Eremo duxerunt! quàm longas, & graues
Matt. 7. tentationes pertulerunt! quàm frequenter ab inimico vexati ſunt! quàm crebras, & feruidas orationes Deo obtulerunt! Quàm rigidas abſtinentias peregerunt! Quàm magnum zelum, & feruorem ad ſpiritualem profectum habuerunt! Quàm forte bellum,

aduer-

aduerſus edomationem vitiorum geſſerunt! Quàm puram, & rectam intentionem ad Deum tenuerunt! Per diem laborabant, & noctibus orationi diutinæ vacabant: quàmquam laborando ab oratione mentali minimè ceſſaſſent.

3 Omne tempus vtiliter expendebant; omnis hora ad vacandum Deo breuis videbatur, & præ magna dulcedine contemplationis, etiam obliuioni tradebatur neceſſitas corporalis refectionis. Omnibus diuitijs, dignitatibus, honoribus, amicis, & cognatis renunciabant: nil de mundo habere cupiebant; vix neceſſaria vitæ ſumebant; corpori etiam ſeruire in neceſſitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, ſed diuites valde in gratia, & virtutibus. Foris egebant, ſed intus gratia, & conſolatione diuina reficiebantur. Matth.19.

4 Mundo erant alieni, ſed Deo proximi, & familiares amici. Sibi ipſis videbantur tamquam nihili, & huic mundo deſpecti: ſed erant in oculis Dei pretioſi, & electi. In vera humilitate ſtabant, in ſimplici obedientia viuebant, in charitate, & patientia ambulabant: & ideo in ſpiritu quotidie proficiebant, & magnam apud Deum gratiam obtinebant. Dati ſunt in exemplum omnibus religioſis: & plus prouocare nos Iac.4.

debent ad benè proficiendum, quàm tepidorum numerus ad relaxandum.

5 O quantus feruor omnium religioſorum, in principio ſuæ ſanctæ inſtitutionis fuit! O quanta deuotio orationis! quanta æmulatio virtutis! quàm magna diſciplina viguit! quanta reuerentia, & obedientia ſub Regula Magiſtri, in omnibus effloruit! Teſtantur adhuc veſtigia derelicta, quòd verè viri ſancti, & perfecti fuerunt: qui tam ſtrenuè militantes, mundum ſuppeditauerunt. Iam magnus putatur, ſi quis tranſgreſſor non fuerit; ſi quis, quod accepit, cum patientia tolerare poterit.

6 O tepor, & negligentia ſtatus noſtri, quòd tam citò declinamus a priſtino feruore; & iam tædet viuere præ laſſitudine, & tepore! Vtinam in te penitus non dormiret profectus virtutum, qui multa ſæpiùs exempla vidiſti deuotorum.

De Exercitijs boni Religioſi. Cap. XIX.

1 VIta boni Religioſi omnibus virtutibus pollere debet: vt ſit talis interiùs, qualis videtur exteriùs hominibus.
Matth. 5. Et meritò multò plus debet eſſe intus, quã quod cernitur foris; quia inſpector noſter
Pſal. 32. eſt Deus, quem ſummopere reuereri debemus,

mus, vbicumque fuerimus, & tamquam Angeli in conſpectu eius mundi incedere. Heb.4. Pſal.15.
Omni die renouare debemus propoſitum noſtrum, & ad feruorem nos excitare: quaſi hodie, primùm ad conuerſionem veniſſemus; atque dicere: Adiuua me Domine Deus, in bono propoſito, & ſancto ſeruitio tuo: & da mihi nunc hodie perfectè incipere; quia nihil eſt, quod hactenus feci.

2 Secundùm propoſitum noſtrum, curſus profectus noſtri: & multa diligentia opus eſt, benè proficere volenti. Quòd ſi fortiter proponens ſæpe deficit, quid ille, qui raro, aut minùs fixè aliquid proponit? Varijs tamen modis contingit deſertio propoſiti noſtri; & leuis omiſſio exercitiorum, vix ſine aliquo diſpendio tranſit. Iuſtorum propoſitum in gratia Dei potiùs, quàm in propria ſapientia pendet: in quo & ſemper confidunt, quidquid arripiunt. Nam homo proponit, ſed Deus diſponit; nec eſt in homine via eius. Prou.6.

3 Si pietatis cauſa, aut fraternæ vtilitatis propoſito, quandoque conſuetum omittitur exercitium, facilè poſtea poterit recuperari. Si autem tædio animi, aut negligentia faciliter relinquitur, ſatis culpabile eſt, & nociuum ſentietur. Conemur quantum poſſumus, adhuc leuiter deficiemus in Eccl.7

multis. Semper tamen aliquid certi proponendum eſt, & contra illa præcipuè, quæ ampliùs nos impediunt. Exteriora noſtra, & interiora pariter nobis ſcrutanda ſunt, & ordinanda; quia vtraque expediunt ad profectum.

4 Si non continuè te vales colligere; ſaltem interdum: & ad minus ſemel in die, mane videlicet, & veſpere. Mane propone, veſpere diſcute mores tuos; qualis hodie fuiſti in verbo, opere, & cogitatione: quia in his ſæpius forſitan Deum offendiſti, & proximum. Accinge te ſicut vir contra diabolicas nequitias: frœna gulam, & omnem carnis inclinationem faciliùs frœnabis. Numquam ſis ex toto otioſus; ſed aut legens, aut ſcribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid vtilitatis pro communi laborans. Corporalia exercitia diſcretè ſunt agenda, nec omnibus æqualiter aſſumenda.

Deut. 4.

5 Quæ communia non ſunt, non ſunt foris oſtendenda: nam in ſecreto tutiùs exercentur priuata. Cauendum tamen ne piger ſis ad communia, & ad ſingularia promptior: ſed expletis integrè, & fideliter debitis, & iniunctis, ſi iam vltra vacat, redde te tibi, prout deuotio tua deſiderat. Non poſſunt omnes habere vnum exercitium;

ſed

ſed aliud iſti, aliud illi magis deſeruit. Etiã pro temporis congruentia, diuerſa placent exercitia: quia alia feſtis, alia in feriatis magis ſapiunt diebus. Alijs indigemus tempore tentationis, & alijs tempore pacis, & quietis. Alia cum triſtamur libet cogitare: & alia cum læti in Domino fuerimus.

6 Circa principalia feſta, renouanda ſunt bona exercitia: & Sanctorum ſuffragia feruentiùs imploranda. De feſto in feſtum proponere debemus, quaſi tunc de hoc ſæculo migraturi ſimus, & ad æternum feſtum peruenturi. Ideoque ſollicitè nos præparare debemus in deuotis temporibus, & deuotiùs conuerſari, atque omnem obſeruãtiam ſtrictiùs cuſtodire, tamquam in breui præmium laboris noſtri a Deo percepturi.

7 Et ſi dilatum fuerit, credamus nos minùs bene præparatos, atque indignos tantæ adhuc gloriæ, quæ reuelabitur in nobis tempore præfinito: & ſtudeamus nos meliùs ad exitum præparare. Beatus ſeruus (ait Euãgeliſta Lucas) quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Rom. 8.

Luc. 12. Mat. 14.

De

De Amore Solitudinis, & Silentij. *Cap. XX.*

Eccl. 3. 1 QVære aptum tempus vacandi tibi, & de beneficijs Dei frequenter cogita. Relinque curioſa. Tales perlege materias, quæ compunctionem magis præſtãt, quàm occupationem. Si te ſubtraxeris a ſuperfluis locutionibus, & curioſis circuitionibus, nec non a nouitatibus, & rumoribus audiendis, inuenies tempus ſufficiẽs, Heb. 11. & aptum pro bonis meditationibus inſiſtendis. Maximi Sanctorum humana conſortia, vbi poterant, vitabant; & Deo in ſecreto viuere eligebant.

Seneca. Epiſt. 7. 2 Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redij: Hoc ſæpius experimur, quando diu confabulamur. Facilius eſt omnino tacere, quàm verbo non Matt. 4. excedere. Facilius eſt domi latere, quàm foris ſe poſſe ſufficienter cuſtodire. Qui igitur intendit ad interiora, & ſpiritualia peruenire, oportet eum cum Ieſu a turba declinare. Nemo ſecurè apparet, niſi qui libenter latet. Nemo ſecurè loquitur, niſi qui libenter tacet. Nemo ſecurè præeſt, Ecce. 3. niſi qui libenter ſubeſt: Nemo ſecurè præcipit, niſi qui benè obedire didicit.

3 Nemo

3 Nemo ſecurè gaudet, niſi bonæ conſcientiæ in ſe teſtimonium habeat. Semper tamen Sanctorum ſecuritas, plena timoris Dei extitit. Nec eo minùs ſolliciti, & humiles in ſe fuerunt, quia magnis virtutibus, & gratia emicuerunt. Prauorum autem ſecuritas ex ſuperbia, & præſumptione oritur, & in fine in deceptionem ſui vertitur. Numquam promittas tibi ſecuritatem in hac vita, quamuis bonus videaris Cœnobita, aut deuotus Eremita.

4 Sæpe meliores in æſtimatione hominum, grauiùs periclitati ſunt propter ſuam nimiam confidentiam. Vnde multis vtiliùs eſt, vt non penitus tentationibus careant, ſed ſæpius impugnentur, ne nimiùm ſecuri ſint; ne fortè in ſuperbiam eleuentur; ne etiam ad exteriores conſolationes licentiùs declinent. O qui numquam tranſitoriam lætitiam quæreret, qui numquam cum mundo ſe occuparet, quàm bonam conſciẽtiam ſeruaret! O qui omnem vanam ſollicitudinem amputaret, & dumtaxat ſalutaria, ac diuina cogitaret, & totam ſpem ſuam in Deo conſtitueret, quàm magnam pacem, & quietem poſſideret.

5 Nemo dignus eſt cæleſti conſolatione, niſi diligenter ſe exercuerit in ſancta cōpunctione. Si vis tenus cordetenus compungi,

intra cubile tuum; & exclude tumultus, ſicut ſcriptum eſt: In cubilibus veſtris compungimini. In cella inuenies, quod de foris ſæpiùs amittes. Cella continuata dulceſcit, & malè cuſtodita tædium generat. Si in principio conuerſionis tuæ, benè eam incolueris, & cuſtodieris, erit tibi poſteà dilecta amica, & gratiſſimum ſolatium.

Pſal. 4.

6 In ſilentio, & quiete proficit anima deuota, & diſcit abſcondita Scripturarum. Ibi inuenit fluenta lacrymarum, quibus ſingulis noctibus ſe lauet, & mundet; vt Conditori ſuo tantò familiarior fiat, quantò longiùs ab omni ſæculari tumultu degit. Qui ergo ſe abſtrahit à notis, & amicis, appropinquabit illi Deus cum Angelis ſanctis. Meliùs eſt latere, & ſui curam agere, quàm ſe neglecto, Signa facere. Laudabile eſt homini religioſo rarò foras ire, fugere videri, nolle etiam homines videre.

Pſal. 6.

7 Quid vis videre, quod non licet habere? Tranſit mundus, & concupiſcentia eius. Trahunt deſideria ſenſualitatis ad ſpatiandum: ſed cum hora tranſierit, quid niſi grauitatem conſcientiæ, & cordis diſperſionem reportas? Lætus exitus triſtem ſæpiùs reditũ parit: & læta vigilia ſerotina, triſte mane facit. Sic omne carnale gaudiũ blandè intrat, ſed in fine mordet, & perimit.

Prou. 14.

Quid

Quid potes alibi videre, quod hic non vi-
des? Ecce cælum, & terra, & omnia
elementa: nam ex iſtis omnia ſunt facta.

8 Quid potes alicubi videre, quod diu Eccl.1.
poteſt ſub Sole permanere? Credis te forſi-
tan ſatiari, ſed non poteris pertingere. Si Eccl.3.
cuncta videres præſentia, quid eſſet niſi vi-
ſio vana? Leua oculos tuos ad Deum in Pſal.122.
excelſis, & ora pro peccatis tuis, & negli-
gentijs. Dimitte vana vanis; tu autem in-
tende illis, quæ tibi præcepit Deus. Clau- Mat.6.
de ſuper te oſtium tuum, & voca ad te Ie-
ſum, dilectum tuum. Mane cum eo in cel-
la, quia non inuenies alibi tantam pacem.
Si non exiſſes, nec quidquam de rumoribus
audiſſes, meliùs in bona pace permanſiſſes.
Ex quo noua delectat aliquando audire,
oportet te exinde turbationem cordis to-
lerare.

De Compunctione Cordis. Cap. XXI.

1 SI vis aliquid proficere, conſerua te Prou.19.
in timore Dei, & noli eſſe nimis li-
ber; ſed ſub diſciplina cohibe omnes ſen-
ſus tuos, nec ineptæ te tradas lætitiæ. Da
te ad cordis compunctionem, & inuenies
deuotionem. Compunctio multa bona
redait, quæ diſſolutio citò perdere conſue-
uit.

uit. Mirum eſt, quòd homo poteſt vmquam perfectè in hac vita lætari: qui ſuum exiliũ, & tam multa pericula animæ ſuæ conſiderat, & penſat.

2 Propter leuitãtem cordis,& negligentiam defectuum noſtrorum, non ſentimus animæ noſtræ dolores: ſed ſæpè vanè ridemus,quandò meritò flere deberemus. Non eſt vera libertas, nec bona lætitia, niſi in timore Dei cum bona conſcientia. Felix, qui abijcere poteſt omne impedimentum diſtractionis, & ad vnionem ſe recolligere ſanctæ compunctionis. Felix, qui à ſe abdicat, quidquid conſcientiam ſuam maculare poteſt, vel grauare. Certa viriliter; conſuetudo conſuetudine vincitur. Si tu ſcis homines dimittere, ipſi benè te dimittent tua facta facere.

Gal.1. 3 Non attrahas tibi res aliorum, nec te implices cauſis Maiorum. Habe ſemper oculum ſuper te prímùm, & admoneas teipſum ſpecialiter præ omnibus tibi dilectis. Si non habes fauorem hominum; noli ex hoc triſtari: ſed hoc ſit tibi graue, quia non habes te ſatis benè, & circumſpectè, ſi-
Pſal.76. cut decet Dei ſeruum, & deuotum religioſum conuerſari. Vtiliùs eſt ſæpè, & ſecuriùs, quòd homo non habeat multas conſolationes in hac vita, ſecundùm carnem

præ-

præcipuè. Tamen quòd diuinas non habemus, aut rariùs ſentimus, nos in culpa ſumus; quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas, & externas abijcimus.

4 Cognoſce te indignum diuina conſolatione, ſed magis dignum multa tribulatione. Quando homo eſt perfectè compunctus, tunc grauis, & amarus eſt ei totus mundus. Bonus homo ſufficientem inuenit materiam dolendi, & flendi. Siue enim ſe conſiderat, ſiue de proximo penſat, ſcit, quia nemo ſine tribulatione hic viuit. Et quantò ſtrictiùs ſeſe conſiderat, tantò ampliùs dolet. Materiæ iuſti doloris, & internæ compunctionis ſunt peccata, & vitia noſtra; quibus ita inuoluti iacemus, vt raró cæleſtia contemplari valeamus. Iud. 2. & 20. & 2. Reg. 13.

5 Si frequentiùs de morte tua, quàm de longitudine vitæ tuæ cogitares, non dubium quin feruentiùs te emendares. Si etiam futuras inferni, ſiue purgatorii pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libenter laborem, & dolorem ſuſtineres, & nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor iſta non tranſeunt, & blandimenta adhuc amamus; ideo frigidi, & valde pigri remanemus. Eccli. 7. Mat. 25.

6 Sæpe eſt inopia ſpiritus, vnde tam leuiter conqueritur miſerum corpus. Ora

igitur humiliter ad Dominum, vt det tibi compunctionis ſpiritum: & dic cum Propheta: Ciba me Domine pane lacrymarũ, & potum da mihi in lacrymis, in menſurā. Pſal.79.

De Conſideratione Humanæ miſeriæ. *Cap. XXII.*

1 Miſer es vbicumque fueris, & quocumque te verteris, niſi ad Deum te conuertas. Quid turbaris, quia non ſuccedit tibi, ſicut vis, & deſideras? Quis eſt, qui habet omnia ſecundùm ſuam voluntatem? Nec ego, nec tu, nec aliquis hominum ſuper terram. Nemo eſt in mundo ſine aliqua tribulatione, vel angu-
Eccl. 6. ſtia; quamuis Rex ſit, vel Papa. Quis eſt, qui meliùs habet? vtique qui pro Deo aliquid pati valet.

2 Dicunt multi imbecilles, & infirmi:
Luc. 12. Ecce quàm bonam vitam ille homo habet, quàm diues, quàm magnus, quàm potens, & excelſus! Sed attende ad cæleſtia bona, & videbis, quòd omnia iſta temporalia nulla ſunt: ſed valde incerta, & magis grauantia, quia numquam ſine ſollicitudine, &
Prou. 1. timore poſſidentur. Non eſt hominis feli-
citas, habere temporalia ad abundantiam,
Iob.14. ſed ſufficit ei mediocritas. Verè miſeria

eſt viuere ſuper terram. Quantò homo voluerit eſſe ſpiritualior, tantò præſens vita ſit ei amarior; quia ſentit meliùs, & videt clariùs humanæ corruptionis defectus. Nã comedere, bibere, vigilare, dormire, quieſcere, laborare, & cæteris neceſſitatibus naturæ ſubiacere; verè magna miſeria eſt, & afflictio homini deuoto: qui libenter eſſet abſolutus, & liber ab omni peccato. Eccl. 2.

3 Valde enim grauatur interior homo neceſſitatibus corporalibus in hoc mundo. Vnde Propheta deuotè rogat, quatenus liber ab iſtis eſſe valeat, dicens: De neceſſitatibus meis erue me Domine. Sed væh non cognoſcentibus ſuam miſeriam: & amplius væh illis, qui diligunt hanc miſeram, & corruptibilem vitam. Nam in tantum quidam hanc amplectuntur (licet etiam vix neceſſaria laborando, aut mendicando habeant) vt, ſi poſſent hìc ſemper viuere, de Regno Dei nihil curarent. Pſal. 24.

4 O inſani, & infideles corde, qui tam profundè in terrenis iacent, vt nil niſi carnalia ſapiant! Sed miſeri adhuc in fine grauiter ſentient, quàm vile, & nihilum erat, quod amauerunt. Sancti autem Dei, & omnes deuoti Amici Chriſti, non attenderunt, quæ carni placuerunt, nec quæ in Rom. 8. 1. Pet. 1. & Heb. 11.

hoc tempore floruerunt: ſed tota ſpes eorum, & intentio ad æterna bona anhelabat. Ferebatur totum deſiderium eorum ſurſum ad manſura, & inuiſibilia, ne amore viſibilium traherentur ad infima. Noli frater a-
Rom. 13. & Heb.10 mittere confidentiam proficiendi ad ſpiritualia, adhuc habes tempus, & horam.

5 Quare vis procraſtinare propoſitum tuum? Surge, & in inſtanti incipe, & dic: Nunc tempus eſt faciendi, nunc tempus eſt pugnandi, nunc aptum tempus emendandi. Quando malè habes, & tribularis, nũc tempus eſt promerendi. Oportet te tran-
Pſal.56. ſire per ignem, & aquam, antequam venias in refrigerium. Niſi tibi vim feceris, vitium non ſuperabis. Quàm diu iſtud fragile corpus gerimus, ſine peccato eſſe non poſſu-
Rom.7. mus, nec ſine tædio, & dolore viuere. Libenter haberemus ab omni miſeria quietẽ; ſed quia per peccatum perdidimus innocẽ-
Gen. 3. tiam, amiſimus etiam veram beatitudinem;
2. Cor. 5. ideo oportet nos tenere patientiam, & Dei expectare miſericordiam; donec tranſeat iniquitas hæc, & mortalitas abſorbeatur a vita.

6 O quanta fragilitas humana, quæ ſem-
Gen.6.& 8 per prona eſt ad vitia! Hodie confiteris peccata tua, & cras iterum perpetràs con-
2.Mac.9. feſſa. Nunc proponis cauere, & poſt horam

agis,

agis, quaſi nihil propoſuiſſes. Meritò ergo nos ipſos humiliare poſſumus, nec vmquam aliquid magni de nobis ſentire; quia tam fragiles, & inſtabiles ſumus. Citò poteſt etiam perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquiſitum eſt per gratiam.

7 Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepeſcimus tam mane? Væh nobis, ſi ſic uolumus declinare ad quietem, quaſi iam pax ſit, & ſecuritas; cum necdum appareat veſtigium veræ ſanctitatis in noſtra conuerſatione. Benè opus eſſet, quod adhuc iterum inſtitueremur, tamquam boni nouitij ad mores optimos; ſi fortè ſpes eſſet de aliqua futura emendatione, & maiori ſpirituali profectu.

De Meditatione Mortis. Cap. XXIII.

1 VAlde citò erit tecum hoc factum, vide aliter quomodò te habeas. Hodie homo eſt, & cras non comparet. Cum autem ſublatus fuerit ab oculis, etiam citò tranſit a mente. O hebetudo, & duritia cordis humani, quòd ſolùm præſentia meditatur, & futura non magis præuidet. Sic te in omni facto, & cogitatu deberes tenere, quaſi hodie, vel ſtatim eſſes moriturus.

Iob. 9. & 44. item Luc. 12. & Heb. 9.

Matt. 25.

Si bonam conſcientiam haberes, non multùm mortem timeres. Melius eſſet peccata cauere, quàm mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodò cras eris? Cras eſt dies incerta: & quid ſcis, ſi craſtinum habebis?

Luc 12. Sap. 4. Mat. 24. & 25.

2 Quid prodeſt diu viuere, quando tam parum emendamur? Ah, longa vita non ſemper emendat, ſed ſæpe culpam magis auget. Vtinam per vnam diem benè eſſemus conuerſati in hoc mundo. Multi annos conuerſionis computant, ſed ſæpe paruus eſt fructus emendationis. Si formidoloſum eſt mori, forſitan periculoſius erit diutiùs viuere. Beatus, qui horam mortis ſuæ ſemper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie ſe diſponit. Si vidiſti aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eamdem viam tranſibis.

Eccl. 7.

3 Cum mane fuerit, puta te ad veſperum non peruenturum. Veſpere autem facto, mane non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus eſto, & taliter viue, vt numquam te imparatum mors inueniat. Multi ſubitò, & improuiſè moriuntur. Nam hora, qua non putatur, Filius hominis venturus eſt. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter ſentire incipies de tota vita tua præterita: & valde dolebis

Heb. 9. Luc. 21. Matt. 24. Luc. 12.

quia

quia tam negligens, & remiſſus fuiſti.

4 Quàm felix, & prudens, qui talis nunc nititur eſſe in vita, qualis optat inueniri in morte! Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi, perfectus contemptus mundi, feruens deſiderium in virtutibus proficiendi, amor diſciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio ſui, & ſupportatio cuiuslibet aduerſitatis pro amore Chriſti. Multa bona potes operari, dum ſanus es: ſed infirmatus, neſcio quid poteris. Pauci ex infirmitate emendantur: ſic & qui multum peregrinãtur, raro ſanctificantur. Eccli. 41.

5 Noli confiderare ſuper amicos, & proximos, nec in futuris tuam ſalutem differas: quia citiùs obliuiſcentur tui homines, quàm exiſtimas. Meliùs eſt nunc tempeſtiuè prouidere, & aliquid boni præmittere, quàm ſuper aliorum auxilio ſperare. Si non es pro te ipſo ſollicitus modò, quis erit ſollicitus pro te in futuro? Nunc tempus eſt valde pretioſum. Sed proh dolor, quod hoc vtiliùs non expendis, in quo promereri vales, vnde æternaliter viuas. Veniet, quando vnum diem, ſeu horam pro emendatione deſiderabis: & neſcio, an impetrabis. Eſa. 30. & 31. item Hier. 17. & 48. Mat. 6.

6 Eia chariſſime, de quanto periculo te

poteris liberare: de quàm magno timore
eripere, ſi modò ſemper timoratus fueris,
& de morte ſuſpectus. Stude nunc taliter
viuere, vt in hora mortis valeas potiùs gau-
dere, quàm timere. Diſce nunc mori mũ-
do, vt tunc incipias viuere cum Chriſto.
Rom.5. Diſce nunc omnia contemnere, vt tũc poſ-
Luc.14. ſis liberè ad Chriſtum pergere. Caſtiga
nunc corpus tuum per pœnitentiam, vt tũc
valeas certam habere confidentiam.

1. Cor. 9. 7 Ah ſtulte, quid cogitas te diu victurum,
cum nullum diem habeas hic ſecurum?
Luc. 12. Quàm multi decepti ſunt, & inſperatè de
corpore extracti? Quotiens audiſti a dicen-
tibus: quia ille gladio cecidit; ille ſubmer-
ſus eſt, ille ab alto ruens ceruicem fregit, il-
le manducando obriguit, ille ludendo finem
fecit. Alius igne, alius ferro, alius peſte,
alius latrocinio interijt: & ſic omnium finis
mors eſt; & vita hominum tanquam vmbra
pertranſit.

Iob.14. 8 Quis memorabitur tui poſt mortem?
aut quis orabit pro te? Age, age nunc cha-
riſſime, quidquid agere potes; quia neſcis
quando morieris, neſcis etiam quid te poſt
Matt. 6. mortem ſequetur. Dum tempus habes, cõ-
Luc. 12. & grega tibi diuitias immortales. Præter ſa-
Gal.6. lutem tuam nihil cogites; ſolùm quæ Dei
Luc.16. ſunt, cures. Fac nunc tibi amicos veneran-
Hebr. 11.

do

do Dei Sanctos, & eorum actus imitando: vt cum defeceris in hac vita, illi te recipiãt in æterna tabernacula.

9 Serua te tamquam peregrinum, & hoſpitem ſuper terram: ad quem nihil ſpectat de mundi negotijs. Serua cor liberum, & ad Deum ſurſum erectum, quia non habes hic manentem ciuitatem. Illuc preces, & gemitus quotidianos cum lacrymis dirige, vt ſpiritus tuus mereatur ad Dominum poſt mortem feliciter peruenire. Amen. 1. Pet. 2. Heb. 13.

De Iudicio, & Pœnis peccatorum. *Cap. XXIV.*

1 IN omnibus rebus reſpice finem, & qualiter ante diſtrictum ſtabis Iudicẽ; cui nihil eſt occultum: qui muneribus non placatur, nec excuſationes recipit: ſed quod iuſtum eſt, iudicabit. O miſerrime, & inſipiens peccator, quid reſpondebis Deo, omnia mala tua ſcienti, qui interdum formidas vultum hominis irati. Vt quid non præuides tibi in die iudicij, quando nemo poterit per alium excuſari, vel defendi; ſed vnuſquiſque, ſufficiens onus erit, ſibiipſi? Nunc labor tuus eſt fructuoſus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor ſatisfactorius, & purgatiuus. Heb. 10. Iob. 9. Luc. 16. 2. Cor. 6.

Iac. 1. Luc. 23. & Act. 7.

2 Habet magnum, & ſalubre purgatorium patiens homo, qui ſuſcipiens iniurias, plus dolet de alterius malitia, quàm de ſua iniuria: qui pro contrariantibus ſibi libenter orat, & ex corde culpas indulget: qui veniam ab alijs petere non retardat: qui faciliùs miſeretur, quàm iraſcitur: qui ſibiipſi violentiam frequenter facit, & carnem omnino ſpiritui ſubiugare conatur. Meliùs eſt modò purgare peccata, & vitia reſecare, quàm in futuro purganda reſeruare. Verè nos ipſos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus.

3 Quid aliud ille ignis deuorabit, niſi peccata tua? Quantò tibiipſi amplius nunc parcis, & carnem ſequeris, tantò duriùs poſtea lues, & maiorem materiam comburendi reſeruas. In quibus homo peccauit, in illis grauiùs punietur. Ibi acedioſi ardentibus ſtimulis perurgentur, & guloſi ingenti ſiti, ac fame cruciabuntur. Ibi luxurioſi, & voluptatum amatores ardenti pice, & fœtido ſulphure perfundentur. Et ſicut furioſi canes, præ dolore inuidioſi vlulabunt.

4 Nullum vitium erit, quod ſuum proprium cruciatum non habebit. Ibi ſuperbi omni confuſione replebuntur: & auari miſerrima egeſtate arctabuntur. Ibi erit vna hora grauior in pœna, quàm hic centum anni

anni in amariſſima pœnitentia. Ibi nulla requies eſt, nulla conſolatio damnatis: hic tamen interdùm ceſſatur a laboribus, atque amicorum fruitur ſolatijs. Eſto modò ſollicitus, & dolens pro peccatis tuis, vt in die iudicij ſis ſecurus cum Beatis. Tunc enim Iuſti ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & depreſſerunt. Tunc ſtabit ad iudicandum, qui modò ſe ſubijcit humiliter iudicijs hominum. Tunc magnam fiduciam habebit pauper & humilis, & pauebit vndique ſuperbus. Iob. 14. & 41. Sap. 5.

5 Tunc videbitur ſapiens in hoc mundo fuiſſe, qui pro Chriſto didicit ſtultus & deſpectus eſſe. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpeſſa, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Tunc gaudebit omnis deuotus, & mœrebit omnis irreligioſus, Tunc plus exultabit caro afflicta, quàm ſi in delitijs fuiſſet ſemper nutrita. Tunc ſplendebit habitus vilis, & obtenebreſcet veſtis ſubtilis. Tunc plus laudabitur pauperculũ domicilium, quàm deauratum palatium. Tunc plus iuuabit conſtans patientia, quàm omnis mundi potentia. Tunc ampliùs exaltabitur ſimplex obedientia, quàm omnis ſæcularis aſtutia. Pſal. 106. 2. Cor 4. Eſa. 29.

6 Tunc plus lætificabit pura, & bona conſcientia, quàm docta philoſophia. Tunc

plus

plus ponderabit contemptus diuitiarum, quàm totus theſaurus terrigenarum. Tunc magis conſolaberis ſuper deuota oratione, quàm ſuper delicata comeſtione. Tunc potiùs gaudebis de ſeruato ſilentio, quàm de longa fabulatione. Tunc plus valebunt ſancta opera, quàm multa pulchra verba. Tūc plus placebit ſtricta vita, & ardua pœnitentia, quàm omnis delectatio terrena. Diſce te nūc in modico pati, vt tunc valeas a grauioribus liberari. Hic primò proba, quid poſſis pati poſtea. Si nunc tam parum non vales ſuſtinere, quomodò æterna tormenta poteris ſufferre? Si modò modica paſſio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet? Ecce verè non potes duo gaudia habere: delectari hìc in mundo, & poſtea regnare cum Chriſto.

7 Si vſque in hodiernum diem ſemper in honoribus, & voluptatibus vixiſſes, quid
Luc. 11. totum tibi profuiſſet, ſi iam mori in inſtanti
Eccl. 1. contingeret? Omnia ergo vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſeruire. Qui enim
Rom. 8. Deum ex toto corde amat; nec mortem, nec ſupplicium, nec iudicium, nec infernum metuit; quia perfectus amor ſecurum ad Deum acceſſum facit. Quem autem adhuc peccata delectant, nō mirum ſi mortem, & iudicium timeat. Bonum tamen

eſt,

eſt, vt ſi necdum amor a malo te reuocat, ſaltem timor gehennalis coerceat Qui verò timorem Dei poſtponit, diu ſtare in bono non valebit, ſed diaboli laqueos citiùs incurret.

De Feruenti Emendatione totius Vitæ noſtræ.
Cap. XXV.

1 ESto vigilans, & diligens in Dei ſeruitio; & cogita frequenter, ad quid veniſti, & cur ſæculum reliquiſti. Nonne vt Deo viueres, & ſpiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferueas, quia mercedem laborum tuorum in breui recipies; nec erit tunc amplius timor, aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis, & magnam requiem, immo perpetuam lætitiam inuenies. Si tu permanſeris fidelis, & feruidus in agendo; Deus procul dubio erit fidelis, & locuples in retribuendo. Spem bonam retinere debes, quòd ad palmam peruenies; ſed ſecuritatem capere non oportet, ne torpeas, aut elatus fias.

2.Tim.4. Matth. 5. Apoc.21. & 2. Eccl. 51. Apoc. 21. & 22. Matth.25. Rom. 5.

2 Cum quidam anxius inter metum, & ſpem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus, in Eccleſia ante quoddam altare ſe in oratione proſtrauiſſet, hæc intra ſe reuoluit dicens: O ſi ſcirem, quòd

Seipſum intelligit Auctor.

adhuc

adhuc perſeueraturus eſſem; ſtatimque audiuit diuinum reſponſum: Quid, ſi hoc ſcires, quid facere velles, fac nunc, quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris. Moxque conſolatus, & confortatus, diuinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſauit anxia fluctuatio. Noluitque curiosè inueſtigare, vt ſciret, quæ ſibi eſſent futura; ſed magis ſtuduit inquirere, quæ eſſet voluntas Dei
Rom. 12. beneplacens, & perfecta ad omne opus bonum inchoandum, & perficiendum.

Pſal. 36. 3 Spera in Domino, & fac bonitatem (ait Propheta) & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Vnum eſt, quod multós a profectu, & feruenti emendatione retrahit, horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Enimuerò illi maximè præ alijs in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ ſibi magis grauia, & contraria ſunt, viriliùs vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, vbi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat.

4 Sed non omnes habent æquè multum ad vincendum, & moriendum; Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, etiamſi plures habeat paſſiones, quàm alius benè morigeratus, minus tamen feruens ad virtutes. Duo ſpecialiter ad magnam emendationem iuuant, videlicet, ſubtra-

trahere ſe violenter,ad quod natura vitioſè inclinatur: & feruenter inſtare pro bono, quo amplius quis indiget. Illa etiam ſtudeas magis cauere, & vincere, quæ tibi frequentiùs in alijs diſplicent.

5 Vbique profectum tuum capias: vt ſi bona exempla videas, vel audias, ad imitādum accendaris. Si quid autem reprehenſibile conſideraueris, caue, ne idem facias; aut ſi aliquando feciſti, citiùs te emendare ſtudeas. Sicut oculus tuus alios conſiderat, ſic iterum ab alijs notaris. Quàm iucundum, & dulce eſt, videre feruidos, & deuotos fratres, benè morigeratos, & diſciplinatos! Quàm triſte eſt, & graue, videre inordinatè ambulantes: qui ea, ad quæ vocati ſunt, non exercent! Quàm nociuum eſt, negligere vocationis ſuæ propoſitum: & ad non commiſſa, ſenſum inclinare!

Matt.7.

Eph. 5. & 1.Cor.12.

Eccl. 3.

6 Memor eſto arrepti propoſiti, & imaginem tibi propone Crucifixi. Benè verecundari potes, inſpecta vita Ieſu Chriſti: quia necdum magis illi te conformare ſtuduiſti, licet diu in via Dei fuiſti. Religioſus, qui ſe intentè, & deuotè in ſanctiſſima vita, & paſſione Domini exercet, omnia vtilia, & neceſſaria ſibi, abundanter ibi inueniet: nec opus eſt, vt extra Ieſum aliquid meliùs quærat. O ſi Ieſus crucifixus in cor no-

Gal.2.&5

noſtrum veniret, quàm citò, & ſufficienter docti eſſemus!

7 Religioſus feruidus, omnia benè portat, & capit, quæ illi iubentur. Religioſus negligens, & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam; quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur. Religioſus extra diſciplinam viuens, graui patet ruinæ. Qui laxiora quærit, & remiſſiora, ſemper in anguſtijs erit; quia aut vnum, aut reliquum ſibi diſplicebit.

8 Quomodò faciunt tam multi alij religioſi: qui ſatis arctati ſunt, ſub diſciplina clauſtrali? Raro exeunt, abſtractè viuunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multùm laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Attende Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & diuerſæ Religionis Monachos, ac Moniales, qualiter omni nocte ad pſallendum Domino aſſurgunt. Et ideo turpe eſſet, vt tu deberes in tam ſancto opere pigritare, vbi tanta multitudo Religioſorum incipit Deo iubilare.

9 O ſi nihil aliud faciendum incumberet, niſi Dominum Deum noſtrum toto corde, & ore laudare! O ſi numquam indigeres

come-

comedere, nec bibere, nec dormire; ſed ſemper poſſes Deum laudare: & ſolummodò ſpiritualibus ſtudijs vacare! tunc multò felicior eſſes, quàm modò, cum carni ex qualicumque neceſſitate ſeruis. Vtinam non eſſent iſtæ neceſſitates, ſed ſolummodò ſpirituales animæ refectiones, quas (heu) ſatis rarò deguſtamus.

10 Quando homo ad hoc peruenit, quòd de nulla creatura conſolationem ſuam quærit, tunc ei Deus primò perfectè ſapere incipit, tunc etiam benè contentus de omni euentu rerum erit. Tunc nec pro magno lætabitur, nec pro modico contriſtabitur: ſed ponit ſe integrè, & fiducialiter in Deo, qui eſt ei omnia in omnibus: cui nihil vtique perit, nec moritur; ſed omnia ei viuũt, & ad nutum incunctanter deſeruiunt. Rom. 11. & 1. Cor. 8. 12. & 15.

11 Memento ſemper finis, & quia perditum non redit tempus. Sine ſollicitudine, & diligentia numquam acquires virtutes. Si incipis tepeſcere, incipies malè habere. Si autem dederis te ad feruorem, inuenies magnam pacem, & ſenties leuiorem laborem propter Dei gratiam, & virtutis amorem. Homo feruidus, & diligens ad omnia eſt paratus. Maior labor eſt reſiſtere vitijs, & paſſionibus, quàm corporalibus inſudare laboribus. Qui paruos Eccl. 7. Apoc. 3.

non

Eccl.19. non vitat defectus, paulatim labitur ad maiores. Gaudebis ſemper veſpere, ſi diem expendas fructuosè. Vigila ſuper te ipſum, Matt.1. excita teipſum, admone te ipſum; & quidquid de alijs ſit, non negligas teipſum. Tantum proficies, quantum tibi ipſi vim intuleris.

Explicit Liber Primus Ioannis Gerſenis Abbatis.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI IOANNIS GERSENIS Abbatis.

De Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi. Cap. 1
De Humili ſentire ſui ipſius. 2
De Doctrina Veritatis. 3
De Prudentia in agendis. 4
De Lectione ſanctarum Scripturarum. 5
De Inordinatis Affectionibus. 6
De vana Spe, & Elatione fugienda. 7
De nimia Familiaritate cauenda. 8
De Obedientia, & Subiectione. 9
De

De cauenda Superfluitate verborum. 10
De Pace acquirenda, & Zelo proficiendi. 11
De Vtilitate aduerſitatis. 12
De Tentationibus reſiſtendis. 13
De temerario Iudicio vitando. 14
De Operibus ex Charitate factis. 15
De Sufferentia defectuum aliorum. 16
De Monaſtica Vita. 17
De Exemplis Sanctorum Patrum. 18
De Exercitijs boni Religioſi. 19
De Amore Solitudinis, & Silentij. 20
De Compunctione Cordis. 21
De Conſideratione Humanæ miſeriæ. 22
De Meditatione Mortis. 23
De Iudicio, & Pœnis Peccatorum. 24
De feruenti Emendatione totius vitæ noſtræ. Cap. 25

Expliciunt Capitula Libri Primi
Ioannis Gerſen Abbatis.

Incipit Liber Secundus

IOANNIS GERSENIS ABBATIS,

De Interna Conuerſatione. *Cap. I.*

1 REGNVM Dei intra vos
eſt, dicit Dominus. Con-
Luc. 17. uerte te ex toto corde tuo
Ioel. 2. ad Dominum: & relinque
hunc miſerum mundum; &
inueniet anima tua requiem. Diſce exte-
riora contemnere, & ad interiora te da-
re, & videbis Regnum Dei in te veni-
Rom. 14. re. Eſt enim Regnum Dei pax, & gau-
dium in Spiritu ſancto, quod non datur im-
pijs. Veniet ad te Chriſtus, oſtendens tibi
conſolationem ſuam, ſi dignam illi ab intus
Pſal. 44. paraueris manſionem. Omnis gloria eius,
& decor, ab intra eſt, & ibi complacet ſibi.
Frequens illi viſitatio cum homine interno,
dulcis ſermocinatio, grata conſolatio, mul-
ta pax, familiaritas ſtupenda nimis.

2 Eia anima fidelis, præpara huic Spon-
ſo cor tuum: quatenus ad te venire, & in
Ioan. 14. te habitare dignetur. Sic enim dicit: *Si
quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit,
& ad eum veniemus, & manſionem apud*

eum

cum faciemus. Da ergo Chriſto locum, & cæteris omnibus nega introitum. Cum Chriſtum habueris, diues es, & ſufficit tibi. Ipſe erit prouiſor tuus, & fidelis procurator in omnibus, vt non ſit opus in hominibus ſperare. Homines enim citò mutantur, & deficiunt velociter, Chriſtus autem manet in æternum, & aſtat vſque in finem firmiter. Io.12.

3 Non eſt magna fiducia ponenda in homine fragili, & mortali, etiam ſi vtilis ſit, & dilectus: neque triſtitia multa capienda ex hoc, ſi interdum aduerſetur, & contradicat. Qui hodie tecum ſunt, cras contrarij eſſe poſſunt: & e conuerſo, ſæpe vt aura vertuntur. Pone totam fiduciam tuam in Deo, & ſit ipſe timor tuus, & amor tuus. Ipſe pro te reſpondebit, & faciet benè, ſicut meliùs fuerit. Non habes hìc manentem ciuitatem; & vbicumque fueris, extraneus es, & peregrinus: nec requiem aliquando habebis, niſi Chriſto intimè fueris vnitus. Hier.17. 1. Pet. 5. Heb. 13.

4 Quid hìc circumſpicis, cum iſte non ſit locus tuæ requietionis? In cæleſtibus debet eſſe habitatio tua, & ſicut in tranſitu cuncta terrena ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide, vt non inhæreas; ne capiaris, & pereas. Apud Al- Phil. 3. Sap. 5.

tiſſimum ſit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Chriſtum ſine intermiſſione dirigatur. Si neſcis alta ſpeculari, & cæleſtia, requieſce in paſſione Chriſti: & in ſacris vulneribus eius libenter habita. Si enim ad vulnera, & pretioſa ſtigmata Ieſu deuotè confugeris, magnam in tribulatione cõfortationem ſenties: nec multùm curabis hominum deſpectiones, faciliterque verba detrahentium perferes.

Matth.1.12 26. & Io. 15. 5 Chriſtus fuit etiam in mundo ab hominibus deſpectus, & in maxima neceſſitate, a notis, & amicis inter opprobria derelictus. Chriſtus pati voluit, & deſpici; & tu audes de aliquo conqueri? Chriſtus habuit aduerſarios, & oblocutores, & tu vis omnes habere amicos, & benefactores? Vnde coronabitur patientia tua, ſi nil aduerſitatis occurrerit? Si nil contrarium vis pati, quomodò eris amicus Chriſti? Suſtine cùm Chriſto, & pro Chriſto, ſi vis regnare cum Chriſto. (2.Tim.2.)

6 Si ſemel perfectè introiſſes in interiora Ieſu, & modicum de ardenti amore eius ſapuiſſes, tunc de proprio commodo, vel incommodo nihil curares, ſed magis de opprobrio illato gauderes; quia amor Ieſu facit hominem ſeipſum cotemnere. Amator Ieſu, & veritatis, & verus internus, & liber

ber ab affectionibus inordinatis, poteſt ſe ad Deum liberè conuertere, & eleuare ſupra ſeipſum in ſpiritu, ac fruitiuè quieſcere.

7 Cui ſapiunt omnia, prout ſunt, non vt dicuntur, aut æſtimantur; hic verè ſapiens eſt, & doctus magis a Deo, quàm ab hominibus. Qui ab intra ſcit ambulare, & modicum res ab extra ponderare, non requirit loca, nec tempora expectat, ad habenda deuota exercitia. Homo internus citò ſe recolligit: quia numquam ſe totum ad exteriora effundit. Non illi obeſt labor exterior, aut occupatio ad tempus neceſſaria, ſed ſicut res eueniunt, ſic ſe illis accomodat. Qui intus benè diſpoſitus eſt, & ordinatus, non curat mirabiles, & peruerſos hominum geſtus. Tantùm homo impeditur, & diſtrahitur, quantùm ſibi res attrahit. Eſa. 64.

8 Si rectè tibi eſſet, & benè purgatus eſſes, omnia tibi in bonum cederent, & profectum. Ideo multa tibi diſplicent, & ſæpe conturbant; quia adhuc non es perfectè tibi ipſi mortuus, nec ſegregatus ab omnibus terrenis. Nihil ſic maculat, & implicat cor hominis, ſicut impurus amor in creaturis. Si renuis conſolari exteriùs, poteris ſpeculari cæleſtia, & frequenter iubilare interiùs. Rom. 8.

De Humili Submiſſione ſub Prælati Regimine. Cap. I I.

1 NOn magni pendas, quia pro te, vel contra te ſit; ſed hoc age, & cura, vt Deus tecum ſit in omni re, quam facis.
Rom. 8. Habeas conſcientiam bonam, & Deus be-
1. Cor. 4. nè te defenſabit. Quem enim Deus adiu-
Pſal. 27. uare voluerit, nullius peruerſitas nocere poterit. Si tu ſcis tacere, & pati, videbis proculdubio Domini auxilium. Ipſe nouit tempus, & modum liberandi te, & ideo debes te illi reſignare. Dei eſt adiuuare, & ab omni confuſione liberare. Sæpe valde prodeſt, ad maiorem humilitatem ſeruandam, quòd defectus noſtros alij ſciunt, & redarguunt.

2 Quando homo pro defectibus ſuis ſe humiliat, tunc faciliter alios placat, & le-
Iacob. 3. uiter ſatisfacit ſibi iraſcentibus. Humilem
Iob. 3. Deus protegit, & liberat: humilem diligit,
Matth. & conſolatur: humili homini ſe inclinat: humili largitur gratiam magnam, & poſt eius depreſſionem leuat ad gloriam. Humili ſua ſecreta reuelat, & ad ſe dulciter trahit, & inuitat. Humilis accepta contumelia, & confuſione, ſatis benè eſt in pace, quia ſtat in Deo, & non in mundo. Non

reputes

repuntes te aliquid profeciſſe, niſi omnibus inferiorem te eſſe ſentias.

De Bono Pacifico Homine. Cap. III.

1 PONE te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare. Homo pacificus plus prodeſt, quàm benè doctus. Homo paſſionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter malum credit. Bonus pacificus homo, omnia ad bonum conuertit. Qui benè in pace eſt, de nullo ſuſpicatur. Qui autem malè contentus eſt, & commotus, varijs ſuſpicionibus agitatur: nec ipſe quieſcit, nec alios quieſcere permittit. Dicit ſæpe, quod dicere non deberet: & omittit ſæpe, quod ſibi magis facere expediret. Conſiderat; quod alij facere tenentur; & negligit, quod ipſe facere tenetur. Habe ergo primò zelum ſuper teipſum, & tunc zelare poteris iuſtè etiam proximum tuum. Cor.13. Mat.7. Act.1.

2 Tu benè ſcis facta tua excuſare, & colorare, & aliorum non vis recipere excuſationes. Iuſtiùs eſſet, vt te accuſares, & fratrem tuum excuſares. Si portari vis, porta & alium. Vide quàm longè es adhuc a vera charitate, & humilitate: quæ nulli nouit indignari, vel iraſci, niſi tantùm ſibiipſi. Non eſt magnum cum bonis, & māſuetis Gal.6.1. 1.Cor.13.

ſuetis conuerſari: hoc enim omnibus naturaliter placet, & vnuſquiſque libenter pacem habet, & ſecum ſentientes magis diligit. Sed cum duris, & peruerſis, aut indiſciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacificè poſſe viuere, magna gratia eſt, & laudabile nimis, virileque factum.

3 Sed ſunt qui ſeipſos in pace tenent, & cum alijs etiam pacem habent. Et ſunt qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt: alijs ſunt graues, ſed ſibi ſunt ſemper grauiores. Et ſunt qui ſe ipſos in pace retinent, & ad pacem alios reducere ſtudent. Et tamen tota pax noſtra in hac miſera vita, potiùs in humili ſufferentia ponenda eſt, quàm in non ſentiendo contraria. Qui meliùs ſcit pati, pacem tenebit maiorem. Iſte eſt victor ſui, & dominus mundi, amicus Chriſti, & hæres cæli.

De Pura Mente, & ſimplici Intentione. Cap. IV.

1 DVabus alis homo ſubleuatur a terrenis, ſimplicitate ſcilicet, & puritate. Simplicitas debet eſſe in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit eum, & guſtat. Nulla bona actio te impediet, ſi liber

intus

intus ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud, quàm Dei beneplacitum, & proximi vtilitatem intendis, & quæris, interna libertate frueris. Si rectum cor tuum eſſet, tunc omnis creatura ſpeculum vitæ, & liber ſanctæ doctrinæ eſſet. Non eſt creatura tam parua; & vilis, quæ bonitatem Dei non repræſentet. Rom. 1.

2 Si tu eſſes intus bonus, & purus, tunc omnia ſine impedimento videres, & caperes benè. Cor purum penetrat cælum, & infernum. Qualis vnuſquiſque intus eſt, taliter iudicat exteriùs. Si eſt gaudium in mundo, hoc vtique poſſidet puri cordis homo. Et ſi eſt alicubi tribulatio, & anguſtia, hoc meliùs nouit mala conſcientia. Sicut ferrum miſſum in ignem, amittit rubiginem, & totum candens efficitur; ſic homo ad Deum ſe integrè conuertens, a torpore exuitur, & in nouum hominē tranſmutatur. Prou. 3. Pſal. 118.

3 Quando homo incipit tepeſcere, tunc paruum metuit laborem, & libenter externam accipit conſolationem. Sed quando perfectè incipit ſe vincere, & viriliter in via Dei ambulare; tunc minus ea reputat, quæ ſibi priùs grauia eſſe ſentiebat.

De Propria Conſideratione. Cap. V.

1 NOn debemus nobis ipſis nimis credere, quia ſæpe gratia nobis deeſt,
Hier. 17. & ſenſus. Modicum lumen eſt in nobis, & hoc citò per negligentiam amittimus. Sæpe etiam non aduertimus, quòd tam cæci
Pſal. 140. intus ſumus. Sæpe malè agimus, & peius
Matth. 7. excuſamus: & paſſione interdum mouemur, & zelum putamus. Parua in alijs reprehendimus, & noſtra maiora pertranſimus. Satis citò ſentimus, & ponderamus, quid ab alijs ſuſtinemus: ſed quantum alij de nobis ſuſtinent, non aduertimus. Qui benè, & rectè ſua ponderaret, non eſſet, quod de alio grauiter iudicaret.

Matt. 16. 2 Internus homo ſui ipſius curam, omnibus curis anteponit. Et qui ſibi ipſi diligenter intendit, faciliter de alijs tacet. Nũquam eris internus, & deuotus, niſi de alienis ſilueris, & ad te ipſum ſpecialiter reſpe-
1. Cor. 4. & Gal. 1. xeris. Si tibi, & Deo totaliter intendis, modicum te mouebit, quod foris percipis. Vbi es, quando tibi ipſi præſens non es? Et quando omnia percurriſti, quid (te neglecto) profeciſti? Si velles, vt debes, habere pacem, & vnionem veram, oportet, quòd totum mundum adhuc poſtponas, & te

ſolum præ oculis habeas.

3 Multum proinde proficies, ſi te feriatum ab omni temporali cura cõſerues. Valde deficies, ſi aliquid temporale reputaueris. Nil altum, nil magnum, nil gratum, nil acceptum tibi ſit, niſi purè Deus, aut de Deo ſit. (Eccl. 1.) Totum vanum exiſtima, quidquid conſolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, ſub Deo deſpicit vniuerſa. Solus Deus æternus, & immenſus, implens omnia, ſolatium eſt animæ, & vera cordis lætitia.

De Lætitia bonæ Conſcientiæ. Cap. VI.

1 GLoria boni hominis, teſtimonium bonæ conſcientiæ. (2. Cor. 1.) Habe bonam conſcientiam, & ſemper habebis lætitiam. (Sap. 17.) Bona conſcientia, valde multa poteſt portare, & valde læta eſt inter aduerſa. Mala conſcientia; ſemper timida eſt, & inquieta. Suauiter requieſces, ſi te cor tuum non reprehenderit. Noli lætari, niſi cum benè feceris. Mali numquam habent veram lætitiam, nec internam ſentiunt pacem; quia non eſt pax impijs, dicit Dominus. (Eſa. 48.) Et ſi dixerint: In pace ſumus, non venient ſuper nos mala; & quis nobis nocere audebit? (Luc. 12. Eſa. 37.) Ne credas eis, quoniam repente exurget

ira

ira Dei: & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt.

Rom. 8. Gal. 6. 2 Gloriari in tribulatione, non eſt graue amanti: ſic enim gloriari, eſt in Cruce Domini gloriari. Breuis gloria, quæ ab hominibus datur, & accipitur. Io.5. Mundi gloriam 2.Cor.1. ſemper comitatur triſtitia. Bonorum gloria in conſcientijs eorum, & non in ore hominum. Iuſtorum lætitia de Deo eſt, & in Deo eſt: & gaudium eorum de veritate. Qui veram & æternam gloriam deſiderat, temporalem non curat: & qui temporalem quærit gloriam, aut non ex animo contemnit, minùs amare conuincitur cæleſtem. Magnam habet cordis tranquillitatem, qui nec laudes curat, nec vituperia.

3 Facilè erit contentus, & pacatus, cuius conſcientia munda eſt. Non es ſanctior, ſi laudaris: nec vilior, ſi vituperaris. Quod es, hoc es; nec maior dici vales, quàm (Deo teſte) ſis. Si attendis, quid apud te 1.Reg.16. ſis intus, non curabis, quid de te loquantur homines foris. Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo conſiderat actus, Deus verò penſat intentiones. Benè ſemper agere, & modicum de ſe ſentire, humilis animæ indicium eſt. Nolle conſolari ab aliqua creatura, magnæ puritatis, & internæ fiduciæ indicium eſt.

4 Qui nullum extrinſecus pro ſe teſtimonium quærit, liquet quòd ſe totaliter Deo commiſit. Non enim qui ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt (ait B. Paulus) ſed quem Deus commendat. Ambulare cum Deo intus, nec aliqua affectione teneri foris, ſtatus eſt interni hominis. 2.Cor.10.

De Amore IESV ſuper omnia. Cap. VII.

1 Beatus qui intelligit, quid ſit amare Ieſum, & contemnere ſeipſum propter Ieſum. Oportet dilectum propter dilectum omnia relinquere, quia Ieſus vult ſolus ſuper omnia amari. Dilectio creaturæ fallax, & inſtabilis: dilectio Ieſu fidelis, & & perſeuerabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili; qui amplectitur Ieſum, firmabitur in æuum. Illum dilige, & amicum tene tibi: qui omnibus recedentibus, te non relinquet, nec patietur in fine perire. Ab omnibus oportet te aliquando ſeparari, ſiue velis, ſiue nolis. Pſal. 118. Deut.6. Matt. 12.

2 Teneas te apud Ieſum, viuens, & moriens: & illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus, ſolus te poteſt adiuuare. Dilectus tuus talis eſt naturæ, vt alienum non velit admittere: ſed ſolus vult cor tuum habere, & tamquam Rex in proprio

prio throno ſedere. Si ſcires te benè ab omni creatura euacuare, Ieſus vellet libenter tecum habitare. Pænè totum perditum inuenies, quidquid extra Ieſum in hominibus poſueris. Non confidas, nec innitaris ſuper calamum ventoſum: quia omnis caro
Eſa.40. fœnum, & omnis gloria eius, vt flos fœni cadet.

3 Citò decipieris, ſi ad externam hominum apparentiã tantùm aſpexeris. Si enim tuum in alijs quæris ſolatium, & lucrum, ſenties ſæpiùs detrimentum. Si quæris in omnibus Ieſum, inuenies vtique Ieſum. Si autem quæris teipſum, inuenies etiam teipſum, ſed ad tuam perniciem. Plus enim homo nociuior ſibi, ſi Ieſum nõ quærit, quàm totus mundus, & omnes ſui aduerſarij.

De Familiari Amicitia IESV. *Cap. VIII.*

1 QVando Ieſus adeſt, totum bonum eſt, nec quidquam difficile videtur. Quando verò Ieſus non adeſt, totum durum eſt. Quando Ieſus intus non loquitur, conſolatio vilis eſt. Si autem Ieſus vnum verbum loquitur tantùm, magna conſolatio
Io.11. ſentitur. Nonne Maria Magdalena ſtatim ſurrexit de loco, in quo fleuit, quãdo Martha

tha illi dixit: Magiſter adeſt, & vocat te?
Felix hora, quando Ieſus vocat de lacrymis
ad gaudium ſpiritus. Quàm aridus, & du-
rus es ſine Ieſu. Quàm inſipiens, & vanus,
ſi cupis aliquid extra Ieſum. Nonne hoc eſt Mat 16.
maius damnum, quàm ſi totum perderes
mundum?

2 Quid poteſt mũdus conferre ſine Ieſu?
Eſſe ſine Ieſu, grauis eſt infernus: & eſſe
cum Ieſu, dulcis eſt paradiſus. Si fuerit te- Rom.8.
cum Ieſus, nullus poterit nocere inimicus.
Qui inuenit Ieſum, inuenit theſaurum bo- Mat.13.
nũ immo bonum ſuper omne bonum. Et qui Luc. 2.
perdit Ieſum, perdit nimis multum, & plus
quàm totũ mundũ. Pauperrimus eſt, qui vi-
uit ſine Ieſu; ditiſſimus, qui benè eſt cũ Ieſu.

3 Magna ars eſt, ſcire conuerſari cum
Ieſu; & ſcire Ieſum tenere, magna pru-
dentia. Eſto humilis & pacificus, & erit
tecum Ieſus. Sis deuotus & quietus, & Prou.3.
permanebit tecum Ieſus. Potes citò fuga-
re Ieſum, & gratiam eius perdere, ſi volue-
ris ad exteriora declinare. Et ſi illum effu-
gaueris, & perdideris, ad quem tunc fugies,
& quem tunc quæres amicum? Sine amico
non potes benè viuere: & ſi Ieſus non fue-
rit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tri-
ſtis, & deſolatus. Fatuè igitur agis, ſi in Gal.6.
aliquo altero confidis, & lætaris. Eligen-
dum

dum eſt magis, totum mundum habere cõtrarium, quàm Ieſum offenſum. Ex omnibus ergo charis ſit Ieſus ſolus, dilectus ſpecialis.

4 Diligantur omnes propter Ieſum, Ieſus autem propter ſeipſum. Solus Ieſus Chriſtus ſingulariter eſt amandus: qui ſolus bonus, & fidelis inuenitur præ omnibus
Mat. 5. amicis. Propter ipſum, & in ipſo, tam amici, quàm inimici tibi ſint chari: & pro omnibus his exorandus eſt, vt omnes ipſum cognoſcant, & diligant. Numquam cupias ſingulariter laudari, vel amari, quia hoc ſolius Dei eſt, qui ſimilem ſibi non habet. Nec velis, quod aliquis in corde ſuo tecum occupetur; neque tu cum alicuius occuperis amore: ſed ſit Ieſus in te, & in omni bono homine.

5 Eſto purus, & liber ab intus, ſine alicuius creaturæ implicamento. Oportet te eſſe nudum, & purum cor ad Deum gerere: ſi vis vacare, & videre, quàm ſuauis eſt Dominus. Et reuera ad hoc non peruenies, niſi gratia eius fueris præuẽtus, & intractus: vt omnibus euacuatis, & licentiatis, ſolus cum ſolo vniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potẽs fit ad omnia; Et quando recedit, tunc pauper, & infirmus erit, & quaſi tãtũm ad flagella relictus.

In

In his non debes deijci, nec deſperare; ſed ad voluntatem Dei æquanimiter ſtare: & cuncta ſuperuenientia tibi, ad laudem Ieſu Chriſti perpeti; quia poſt hyemem ſequitur æſtas; poſt noctem redit dies; & poſt tempeſtatem ſerenitas magna.

De Carentia omnis Solatij. Cap. IX.

1 NOn eſt graue, humanum contemnere ſolatium, cum adeſt diuinum. Magnum eſt, & valde magnum tam humano, quàm diuino poſſe carere ſolatio: & pro honore Dei libenter exilium cordis velle ſuſtinere: & in nullo ſeipſum quærere, nec ad proprium meritum reſpicere. Quid magni eſt, ſi hilaris ſis, & deuotus, adueniente gratia? Optabilis cunctis hæc hora. Satis ſuauiter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirum, ſi onus non ſentit: qui portatur ab Omnipotente, & ducitur a ſummo Ductore. Phil. 1.

2 Libenter habemus aliquid pro ſolatio, & difficulter homo exuitur a ſeipſo. Vicit ſanctus Martyr Laurentius ſæculum cum ſuo Sacerdote; quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, deſpexit: & ſummum Dei Sacerdotem Sixtum, quem maximè diligebat pro amore Chriſti, etiam a ſe S. Laurentius.

tolli clementer ferebat. Amore igitur Creatoris amorem hominis ſuperauit:& pro humano ſolatio diuinum beneplacitum magis elegit. Ita & tu aliquem neceſſarium, & dilectum amicum pro amore Dei diſce relinquere. Nec grauiter feras, cum ab amico derelictus fueris, ſciens quoniam oportet nos omnes tandem ab inuicem ſeparari.

3 Multùm, & diu oportet hominem in ſeipſo certare, antequam diſcat ſeipſum plenè ſuperare, & totum affectum ſuum plenè in Deum trahere. Quando homo ſtat ſuper ſeipſum, facilè labitur ad conſolationes humanas. Sed verus amator Chriſti, & ſtudioſus ſectator virtutum non cadit ſuper conſolationes, nec quærit tales ſenſibiles dulcedines: ſed magis fortes exercitationes, & pro Chriſto duros ſuſtinere labores.

4 Cum igitur ſpiritualis cõſolatio a Deo datur, cum gratiarum actione accipe eam; ſed Dei munus intellige eſſe, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimium gaudere, nec inaniter præſumere: ſed eſto magis humilior ex dono, cautior quoque, & timoratior in cunctis actibus tuis; quoniam trãſibit hora illa, & ſequetur tentatio. Cum ablata fuerit conſolatio, non ſtatim deſperes: ſed cum humilitate, & patientia expecta cæleſtem viſitationem; quoniam potens

eſt

eſt Deus ampliorem tibi redonare gratiam, & conſolationem. Iſtud non eſt nouum, nec alienum viam Dei expertis: quia in magnis Sanctis, & in antiquis Prophetis fuit talis ſæpe alterationis modus.

5 Vnde Quidam (præſente iam gratia) dicebat: Ego dixi in abundantia mea, non Pſal. 29. mouebor in æternum. Abſente verò gratia, quid in ſe fuerit expertus, adiungit dicens; Auertiſti faciem tuam a me, & factus Ibid. ſum conturbatus. Inter hæc tamen nequaquam deſperat, ſed inſtantiùs Dominum rogat, & dicit: Ad te Domine clamabo, & Ibid. ad Deum meum deprecabor. Denique orationis ſuæ fructum reportat, & ſe exauditum teſtatur, dicens: Audiuit Dominus, Pſal. 29. & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adiutor meus. Sed in quo? Conuertiſti, inquit, planctum meum in gaudium, & circumdediſti me lætitia. Et ſi ſic actum eſt cum magnis Sanctis, non eſt deſperandum nobis infirmis, & pauperibus, ſi interdum in feruore, & interdum in frigiditate ſumus; quoniam Spiritus venit, & recedit ſecundũ Io. 3. ſuæ voluntatis beneplacitum. Vnde beatus Iob. 7. Iob ait: Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum.

6 Super quid igitur ſperare poſſum, aut in quo confidere debeo, niſi in ſola magna

miſericordia Dei, & in ſola ſpe gratiæ cæleſtis? Siue enim adſint homines boni, ſiue deuoti fratres, & amici fideles: ſiue libri ſancti, vel tractatus pulchri; ſiue dulcis cantus, & hymni: omnia hæc modicum iuuant, modicum ſapiunt, quando deſertus ſum a
Luc. 9. gratia, & in propria paupertate relictus; Tũc non eſt melius remedium, quàm patiẽtia, & abnegatio mei in voluntate Dei.

7 Numquam inueni aliquem tam religioſum, qui non habuerit interdum gratiæ ſubtractionem, aut non ſenſerit feruoris diminutionem. Nullus Sanctus fuit tam altè raptus, & illuminatus, qui prius, vel poſtea non fuerit tentatus. Non enim dignus eſt alta Dei contemplatione, qui pro Deo non eſt exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim ſequentis conſolationis, tentatio præcedens eſſe ſignum. Nam tentationibus probatis, cæleſtis promittitur conſo-
Apoc. 2. latio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno Vitæ.

8 Datur etiam conſolatio diuina, vt homo fortior ſit ad ſuſtinendum aduerſa. Sequitur etiam tentatio, ne ſe eleuet de bono.
1. Pet. 5. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua eſt; ideo non ceſſes præparare te ad certamen; quia a dextris, & a ſiniſtris ſunt hoſtes, qui numquam quieſcunt.

De Gratitudine pro Gratia Dei. Cap. X.

1 CVr quæris quietem, cum natus ſis ad laborem? Pone te ad patientiam magis, quàm ad conſolationem: & ad crucem portandam magis, quàm ad lætitiam. Quis enim ſæcularium non libenter conſolationem, & lætitiam ſpiritualem acciperet, ſi ſemper obtinere poſſet? Excedunt enim ſpirituales conſolationes, omnes mũdi delicias, & carnis voluptates. Nam omnes deliciæ mundanæ, aut turpes, aut vanæ ſunt. Spirituales verò deliciæ, ſolæ, iucundæ, & honeſtæ, ex virtutibus progenitæ, & a Deo puris mentibus infuſæ. Sed iſtis diuinis conſolationibus, nemo ſemper pro ſuo affectu frui valet: quia tempus tentationis non diu ceſſat. Iob. 5. Luc. 14.

2 Multùm contrariatur ſupernæ viſitationi falſa libertas animi, & magna confidentia ſui. Deus benè facit conſolationis gratiam dando; ſed homo malè agit, non totum Deo, cum gratiarum actione attribuendo. Et ideo non poſſunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati ſumus Auctori: nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia dignè gratias Eccl. 1.

 refe-

referenti: & auferetur ab elato, quod dari
ſolet humili.

3 Nolo conſolationem, quæ mihi aufert
compunctionem: nec affecto contempla-
tionem, quæ ducit in elationem. Non enim
omne altum, ſanctum; nec omne deſideriū,
purum; nec omne dulce, bonum; nec omne
charum, gratum Deo. Libenter accepto
gratiam, vnde humilior, & timoratior inue-
niar, atque ad relinquendum me paratior
fiam. Doctus dono gratiæ, & eruditus ſub-
tractionis verbere, nō ſibi audebit quidquā
boni attribuere; ſed potiùs ſe pauperem, &
Mat. 22. nudum confitebitur. Da Deo quidquid Dei
eſt: & tibi adſcribe, quod tuum eſt: hoc eſt,
Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem
ſoli culpam, & dignam pœnam pro culpa
deberi ſentias.

4 Pone te ſemper ad infimum, & dabitur
tibi ſummum: nam ſummum non ſtat ſine
infimo. Summi Sancti apud Deum, minimi
Luc. 14. ſunt apud ſe. Et quantò glorioſiores, tantò
in ſe humiliores. Pleni veritate, & gloria
cæleſti non ſunt vanæ gloriæ cupidi. In
Deo fundati, & confirmati, nullo modo poſ-
Io. 5. ſunt eſſe elati. Et qui totum Deo adſcribūt,
quidquid boni acceperunt, gloriam ab inui-
cem non quærunt: ſed gloriam, quæ a ſolo
Deo eſt, volunt: & Deum in ſe, & in omni-
bus

bus Sanctis laudare ſuper omnia cupiunt, & in idipſum tendunt.

5 Eſto igitur gratus pro minimo, & eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimum etiam pro maximo: & magis contemptibile pro ſpeciali dono. Si dignitas Datoris inſpicitur, nullum datum paruum, aut munus vile videbitur. Non enim paruum eſt, quod a ſummo Deo donatur. Etiamſi pœnas, & verbera donauerit, gratum eſſe debet; quia ſemper pro ſalute noſtra facit, quidquid nobis aduenire permittit. Qui gratiam Dei retinere deſiderat, ſit gratus pro gratia data, patiens pro ablata. Oret, vt redeat; cautus ſit, & humilis, ne amittat.

De Paucitate Amatorum Crucis IESV. *Cap. XI.*

1 HAbet Ieſus nunc multos amatores Regni ſui cæleſtis, ſed paucos baiulatores ſuæ Crucis. Habet multos deſideratores conſolationis, ſed paucos tribulationis. Plures inuenit ſocios menſæ, ſed paucos abſtinentiæ. Omnes volunt cum Chriſto gaudere, ſed pauci volunt pro ipſo aliquid ſuſtinere. Multi Ieſum ſequuntur vſque ad fractionem panis: ſed pauci ad bibendum calicem paſſionis. Multi miracula

eius venerantur, ſed pauci ignominiam crucis ſequuntur. Multi Ieſum diligunt, quamdiu aduerſa non contingunt. Multi illum laudant, & benedicunt, quamdiu conſolationes aliquas ab ipſo percipiunt. Si autem Ieſus ſe abſconderit, & modicum eos reliquerit, aut in querimoniam, vel in deiectionem nimiam cadunt.

Luc. 9. & 22.

2 Qui autem Ieſum propter Ieſum, & non propter ſuam propriam aliquam conſolationem diligunt, ipſum in tribulatione, & anguſtia cordis, ſicut in ſumma conſolatione benedicunt. Et ſi numquam eis conſolationem dare vellet, ipſum tamen ſemper laudarent, & ſemper gratias agere vellent.

3 O quantum poteſt amor Ieſu purus, nullo proprio commodo, vel amore permixtus! Nonne omnes mercenarij ſunt dicendi, qui conſolationes ſemper quærunt? Nonne amatores ſui magis, quàm Chriſti probantur, qui ſua commoda, & lucra ſemper meditantur? Vbi inuenietur talis, qui velit Deo ſeruire gratis?

Phil. 2

4 Raró inuenitur tam ſpiritualis aliquis, qui omnibus ſit nudatus. Nam verum pauperem ſpiritu, & ab omni creatura nudum quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam, adhuc nihil eſt.

Prou. 31.

Et

Et ſi fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum eſt. Et ſi apprehenderit omnem ſcientiam, adhuc longè eſt. Et ſi habuerit virtutem magnam, & deuotionem nimis ardentem, adhuc multum ſibi deeſt: vnum ſcilicet, quòd ſummè ſibi neceſſarium eſt. Quid illud? Vt omnibus relictis, ſe relinquat, & a ſe totaliter exeat, nihilq. de priuato amore retineat. Cumque omnia fecerit, quæ facienda nouerit, nihil ſe feciſſe ſentiat. Mat. 16. Luc. 1.7.

5 Non grande ponderet, quod grandis æſtimari poſſit: ſed in veritate ſeruum inutilem ſe pronunciet; ſicut Veritas ait: Cum feceritis omnia, quæ præcepta vobis ſunt, dicite, quia ſerui inutiles ſumus. Tunc verè pauper & nudus ſpiritu eſſe poterit, & cum Propheta dicere: Quia vnicus, & pauper ſum ego. Nemo tamen iſto ditior, nemo tam liberior, nemo potentior, qui ſcit ſe, & omnia relinquere, & ad infimum ſe ponere. Luc. 17. Pſal. 24.

De Regia Via Sanctæ Crucis. Cap. XII.

1 DVrus hic multis videtur ſermo: Abnega temetipſum, tolle crucem tuã, & ſequere Ieſum. Sed multò duriùs erit audire illud extremum verbũ: Diſcedite a me male- Matth. 16. Mat. 25.

Mat.25. maledicti in ignem æternum. Qui enim modò libenter audiunt, & ſequuntur verbum crucis; tunc non timebunt ab auditio-
Pſal. 11. ne damnationis æternæ. Hoc ſignum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandū venerit. Tunc omnes ſerui crucis, qui ſe Crucifixo conformauerunt in vita, ad Chriſtum accedent iudicem cum magna fiducia.

2 Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad Regnum? In cruce ſalus, in cruce vita, in cruce protectio ab hoſtibus; in cruce infuſio ſupernæ ſuauitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium ſpiritus; in cruce virtutis ſumma, in cruce perfectio ſāctitatis. Non eſt ſalus animæ, nec ſpes æ-
Luc. 14. ternæ vitæ, niſi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, & ſequere Ieſum, & ibis in vitam æternam. Præceſſit ille baiulans ſibi cru-
Ioa. 19. cem, & mortuus eſt pro te in cruce: vt & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce. Quia ſi commortuus fueris, etiam
2. Cor. 11. cum illo pariter viues. Et ſi ſocius fueris pœnæ, ſocius eris & gloriæ.

3 Ecce in cruce totum conſtat, & in moriendo totum iacet, & non eſt alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, niſi via ſanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula vbi vis, quære quodcumque volueris; & nō inuènies altiorem viam

ſupra,

ſupra, nec ſecuriorem viam infra, niſi viam ſanctæ crucis. Diſpone, & ordina omnia ſecundùm tuum velle, & videre, & non inuenies, niſi sẽper aliquid pati debere, aut ſpõtè, aut inuitè: & ita crucem ſemper inuenies. Aut enim in corpore dolorem ſenties, aut in anima ſpiritus tribulationẽ ſuſtinebis.

4 Interdum a Deo relinqueris, interdum a proximo exercitaberis, & quod amplius eſt, ſæpe tibimet ipſi grauis eris; nec tamen aliquo remedio, vel ſolatio liberari, ſeu alleuiari poteris: ſed donec Deus voluerit, oportet, vt ſuſtineas. Vult enim Deus, vt tribulationem ſine conſolatione diſcas pati, & vt illi totaliter te ſubijcias, & humilior ex tribulatione fias. Nemo ita cordialiter ſentit paſſionem Chriſti, ſicut is, cui contigerit ſimilia pati. Crux igitur ſemper parata eſt, & vbique te expectat. Non potes effugere quocunque cucurreris: quia vbicumque veneris, teipſum tecum portas, & ſemper teipſum inuenies. Conuerte te ſupra, conuerte te infra: conuerte te extra, conuerte te intra: & in his omnibus inuenies crucem: & neceſſe eſt te vbiq. tenere patientiam, ſi internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.

5 Si libenter crucem portas, portabit te, & deducet te ad deſideratum finem; vbi

ſcilicet

ſcilicet finis patiendi erit, quamuis hic non
erit. Si inuitè portas, onus tibi facis, & te-
ipſum magis grauas: & tamen oportet, vt
ſuſtineas. Si abijcis vnam crucem, aliam
proculdubio inuenies, & forſitan grauiorē.

6 Credis tu euadere, quod nullus mor-
talium potuit præterire? Quis Sanctorum
in mundo ſine cruce, & tribulatione fuit?
Nec enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus
vna hora ſine dolore paſſionis fuit, quam-
Luc. 24. diu vixit. Oportebat autem Chriſtum pa-
ti, & reſurgere a mortuis, & ita intrare in
gloriam ſuam. Et quomodò tu aliam viam
Iob. 7. quæris, quàm hanc regiam viam, quæ eſt
via ſanctæ crucis?

7 Tota vita Chriſti crux fuit, & marty-
rium: & tu tibi quæris requiem & gaudium?
Erras, erras, ſi aliud quæris, quàm pati tri-
bulationes; quia tota iſta vita mortalis, ple-
na eſt miſerijs, & circumſignata crucibus.
Et quantò altiùs quis in ſpiritu profecerit,
tantò grauiores cruces ſæpe inuenit: quia
exilij ſui pœna magis ex amore creſcit.

8 Sed tamen iſte ſic multipliciter affli-
ctus, non eſt ſine leuamine conſolationis:
quia fructum magnum ſibi ſentit accreſce-
re ex ſufferentia ſuæ crucis. Nam dum
ſponte illi ſe ſubijcit, omne onus tribula-
tionis in fiduciam conſolationis diuinæ cō-

uerti-

uertitur. Et quantò caro magis per afflictionem atteritur, tantò ſpiritus ampliùs per internam conſolationem roboratur. Et nonnumquam in tantum confortatur ex affectu tribulationis, & aduerſitatis, ob amorem conformitatis crucis Chriſti, vt non ſine dolore, & tribulatione eſſe vellet: quoniam tantò ſe acceptiorem Deo credit, quantò plura, & grauiora pro eó perferre potuerit. Non eſt illud virtus hominis, ſed gratia Chriſti: quæ tanta poteſt, & agit in carne fragili: vt quod naturaliter ſemper abhorret, & fugit, hoc feruore ſpiritus aggrediatur, & diligat. 2.Cor. 11. & 12.

9 Non eſt ſecundum hominem crucem portare, crucem amare, corpus caſtigare, & ſeruituti ſubijcere; honores fugere, contumelias libenter ſuſtinere, ſeipſum deſpicere, & deſpici optare; aduerſa quæque cũ damnis perpeti, & nihil proſperitatis in hoc mundo deſiderare. Si ad teipſum reſpicis, nihil huiuſmodi ex te poteris. Sed ſi in Domino confidis, dabitur tibi fortitudo de cælo, & ſubijcientur ditioni tuæ mundus, & caro. Sed nec inimicum diabolũ timebis, ſi fueris fide armatus, & Ieſu cruce ſignatus. 2. Cor. 3.

10 Pone ergo te ſicut bonus, & fidelis ſeruus Chriſti ad portandam viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi

Præpara

Præpara te ad toleranda multa aduerſa, & varia incommoda in hac miſera vita; quia ſic tecum erit vbicumque fueris: & ſic reuera eum inuenies, vbicumque latueris. Oportet te ita eſſe: & non eſt remedium euadendi a tribulatione malorum, & dolo-
Mat.20. & Io.18. re, quàm vt patiaris. Calicem Domini affectanter bibe, ſi amicus eius eſſe, & partem cum eo habere deſideras. Conſolationes Deo committe: faciat ipſe cum talibus, ſicut ſibi magis placuerit. Tu verò pone te ad ſuſtinendum tribulationes, & reputa eas maximas conſolationes; quia non ſunt con-
Rom.8. dignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, promerẽdam, etiamſi ſolus omnes poſſes ſuſtinere.

11 Quando ad hoc veneris, quòd tribulatio tibi dulcis eſt, & ſapit pro Chriſto; tũc benè tecum eſſe æſtima, quia inueniſti paradiſum in terra. Quamdiu pati tibi graue eſt,
Gal.6. & fugere quæris; tamdiu malè habebis, & ſequetur te vbique fuga tribulationis.

12 Si ponis te ad quod eſſe debes, videlicet ad patiendum, & moriendum, fiet citò
2. Cor.12 meliùs, & pacem inuenies. Etiam ſi raptus fueris vſque in tertium cælum cum Paulo, non es proptercà ſecurus de nullo contrario ſuſtinendo. Ego (inquit Ieſus) oſten-
Act.9. dam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo

meo pati. Pati ergo tibi remanet, ſi Ieſum diligere, & perpetuò illi ſeruire placet.

13 Vtinam dignus eſſes, pro nomine Ieſu aliquid pati: quàm magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio omnibus Sanctis Dei, quanta quoque ædificatio eſſet proximi! Nam patientiam omnes recommendant, quamuis pauci tamen pati velint. Meritò deberes libenter modicum pati pro Chriſto, cum multi grauiora patiantur pro mundo. Act.1.

14 Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quantò quiſque plus moritur ſibi, tantò magis Deo viuere incipit. Nemo aptus eſt ad comprehendẽdum cæleſtia, niſi ſe ſubmiſerit ad portandum pro Chriſto aduerſa. Nihil Deo acceptiùs, nihil ſibi ſalubriùs in mundo iſto, quã libenter pati pro Chriſto. Et ſi eligendum tibi eſſet, magis optare deberes, pro Chriſto aduerſa pati, quàm multis conſolationibus recreari; quia Chriſto ſimilior eſſes, & omnibus Sanctis magis conformior. Non enim ſtat meritum noſtrum, & profectus ſtatus noſtri in multis ſuauitatibus, & conſolationibus: ſed potiùs in magnis grauitatibus, & tribulationibus perferendis. Pſal.43.

15 Siquidem aliud melius, & vtilius ſaluti hominum, quàm pati fuiſſet, Chriſtus vtique

que verbo, & exemplo oſtendiſſet. Nam, & ſequentes ſe diſcipulos, omneſque eum ſequi cupientes, manifeſtè ad crucem portandam
Luc. 9. hortatur, & dicit: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Omnibus ergo perlectis, & ſcrutatis, ſit iſta con-
Act. 14. cluſio finalis: Quoniam per multas tribulationes, oportet nos intrare in Regnum Dei.

Explicit Liber Secundus Ioannis Gerſenis Abbatis.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

IOANNIS GERSENIS Abbatis.

De Interna Conuerſatione. *Cap.* 1
De Humili ſubmiſſione ſub Prælati regimine. 2
De Bono pacifico Homine. 3
De Pura Mente, & ſimplici Intentione. 4
De Propria Conſideratione. 5

De

De Lætitia bonæ Conſcientiæ. 6
De Amore IESV ſuper omnia. 7
De Familiari Amicitia IESV. 8
De Carentia omnis Solatij. 9
De Gratitudine pro Gratia Dei. 10
De Paucitate Amatorum Crucis IESV. 11
De Regia Via ſanctæ Crucis. 12

Expliciunt Capitula Libri Secundi Ioannis Gerſenis Abbatis.

Incipit Liber Tertius,

IOANNIS GERSENIS ABBATIS,

De Interna Chriſti Locutione ad animam fidelem. Cap. I.

1 AVDIAM, quid loquatur in me Dominus Deus. Beata anima, quæ Dominum in ſe loquentem audit: & de ore eius, verbum cõſolationis accipit. Beatæ aures, quæ venas Diuini ſuſurrij ſuſcipiunt, & de mundi huius ſuſurrationibus nihil aduertunt. Beatæ planè aures, quæ non vocem foris ſonantem, ſed in- Pſal.84. 1.Reg.3. Matt.13.

terius auſcultant veritatē loquentem,& docentem. Beati oculi, qui exterioribus clauſi, interioribus autem ſunt intenti. Beati, qui interna penetrant, & ad capienda arcana cæleſtia magis, ac magis per quotidiana exercitia ſe ſtudent præparare. Beati qui Deo vacare geſtiunt, & ab omni impedimēto ſæculi ſe excutiunt.

2 Animaduerte hæc o anima mea, & claude ſenſualitatis tuæ oſtia: vt poſſis in te
Pſal.84. audire, quid loquatur Dominus Deus tuus.
Pſal.34. Hæc dicit Dilectus tuus: Salus tua ego ſum, pax tua, & vita tua. Serua te apud me, & pacem inuenies. Dimitte omnia tranſitoria, & quære æterna. Quid ſunt omnia temporalia, niſi ſeductoria? Et quid iuuant omnes creaturæ, ſi fueris a Creatore deſerta? Omnibus ergo abdicatis Creatori tuo te redde placitam, ac fidelem, vt veram valeas apprehendere beatitudinem.

Quòd Veritas intus loquitur ſine ſtrepitu verborum. Cap. II.

1.Reg.3. Pſal.118. 1 LOquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua. Inclina cor meum in verba oris tui; fluat vt ros eloquium tuum. Dicebant olim filij

Iſra-

Iſrael ad Moyſen: Loquere nobis tu, & Exo.20.
audiemus: non loquatur nobis Dominus,
ne fortè moriamur. Non ſic Domine, non
ſic oro: ſed magis cum Samuele Propheta
humiliter, ac deſideranter obſecro: Loque- 1.Reg.3.
re Domine, quia audit ſeruus tuus. Non
loquatur mihi Moyſes, aut aliquis ex Pro-
phetis: ſed tu potiùs loquere Domine Deus,
inſpirator, & illuminator omniũ Propheta-
rum; quia tu ſolus ſine eis potes me perfe-
ctè imbuere; illi autem ſine te nihil profi-
cient.

2 Poſſunt quidem verba ſonare, ſed ſpiritum non conferunt. Pulcherrimè dicunt, ſed, te tacente, cor non accendunt. Litteras tradunt, ſed tu ſenſum aperis. Myſteria proferunt, ſed tu reſeras intellectum ſignatorum. Mandata edicunt, ſed tu iuuas ad perficiendum. Viam oſtendunt, ſed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantùm agunt, ſed tu corda inſtruis, & illuminas. Illi exteriùs rigant, ſed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis, ſed tu auditui intelligentiam tribuis.

3 Non ergo loquatur mihi Moyſes, ſed tu Domine Deus meus, æterna veritas: ne fortè moriar, & ſine fructu efficiar, ſi fuero tantùm foris admonitus, & intus non accẽſus: ne ſit mihi ad iudicium, verbum audi-

tum, & non factum; cognitum, nec amatum;
1.Reg.3. creditum, & non ſeruatum. Loquere igi-
Ioan.6. tur Domine, quia audit ſeruus tuus; Verba
enim vitæ æternæ habes. Loquere mihi, ad
qualemcũq. animæ meæ conſolationẽ, & ad
totius vitæ meæ emendationé; tibi autem ad
laudem, & gloriam, & perpetuum honorem.

Quòd Verba Dei cum humilitate ſunt audienda: & quòd multi ea non ponderant.
Cap. III.

1 AVdi fili verba mea, verba ſuauiſſima, omnem Philoſophorum, & Sapiẽtium huius mundi ſcientiam excedentia. Verba mea ſpiritus, & vita ſunt, nec huma-
Io.6. no ſenſu penſanda. Non ſunt ad vanam cõplacentiam trahenda, ſed in ſilentio audienda, & cum omni humilitate, atque affectu magno ſuſpicienda: & dixi: Beatus, quem
Pſal.93. tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; vt mitiges ei a diebus malis, & non deſoletur in terra. Ego, inquit Dominus, docui Prophetas ab initio, & vſque nunc non ceſſo omnibus loqui: ſed multi ad vocem meam ſurdi ſunt, & duri,

2 Plures mundum libentiùs audiunt, quã
Heb.1. Deum; facili ùs ſequuntur carnis ſuæ appetitum, quàm Dei beneplacitum. Promittit mundus temporalia, & parua, & ſerui-

tur

tur ei auiditate magna; ego promitto ſumma, & æterna; & torpeſcunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus ſeruit, & obedit, ſicut mundo, & dominis eius ſeruitur? Erubeſce Sidon, ait mare. Pſal.23. Et ſi cauſam quæris, audi quare. Pro modica Præbenda longa via curritur; pro æterna vita a multis vix pes ſemel a terra leuatur. Vile pretium quæritur: pro vno numiſmate interdum turpiter litigatur: pro vana re, & parua promiſſione die, noctuq. fatigari non timetur.

3 Sed proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore & gloria interminabili vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubeſce ergo ſerue piger, & queruloſe, quòd illi paratiores inueniuntur ad perditionem, Eſa. 25. quàm tu ad vitam. Gaudent illi ampliùs ad vanitatem, quàm ad veritatem. Equidem a ſpe ſua nonnumquam fruſtrantur, Rom.1. ſed promiſſio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod Mat.24. promiſi, dabo; quod dixi, implebo; ſi tamen Apoc.2. vſque in finem fidelis in dilectione mea quis permanſerit. Ego remunerator ſum Mat.5. & 25. omnium bonorum, & fortis probator omnium deuotorum.

4 Scribe verba mea in corde tuo, & per-

tracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis, valde neceſſaria. Quod non intelligis, cum legis, cognoſces in die viſitationis. Dupliciter ſoleo viſitare meos Electos, tentatione ſcilicet, & conſolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego, vnam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea, & ſpernit ea, habet qui iudicet eum in nouiſſimo die.

Oratio ad impetrandam Deuotionis Gratiam.

Gen. 18. & 1. Reg. 18.

1 DOmine Deus meus, omnia bona mea tu es. Et quis ego ſum, vt audeam ad te loqui? Ego ſum pauperrimus ſeruulus tuus, & abiectus vermiculus: multò pauperior, & contemptibilior, quàm ſcio, & dicere audeo. Memento tamen Domine, quia nihil ſum, nihil habeo, nihilq. valeo. Tu ſolus bonus, iuſtus, & ſanctus; Tu omnia potes, omnia præſtas, omnia imples, ſolum peccatorem inanem relinquēs. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & imple cor meum gratia tua, qui non vis vacua eſſe opera tua.

6 Quomodò poſſum me tolerare in hac miſera vita, niſi me confortauerit miſeri-

ſericordia, & gratia tua? Noli auertere Pſal.68.
faciem tuam a me: noli viſitationem tuam
prolongare: noli conſolationem tuam ab-
ſtrahere; ne fiat anima mea ſicut terra ſine
aqua tibi. Domine, doce me facere volun- Pſal.142.
tatem tuam; doce me coram te dignè, &
humiliter conuerſari: quia ſapientia mea
tu es, qui in veritate me cognoſcis, & co-
gnouiſti antequam fieret mundus, & ante-
quam natus eſſem in mundo.

Quòd in Veritate, & Humilitate coram Deo conuerſandum eſt. Cap. IV.

1 FIli, ambula coram me in veritate, & Gen.17.
in ſimplicitate cordis tui, quære me
ſemper. Qui ambulat coram me in verita- Sap.1.
te, tutabitur ab incurſibus malis: & veri-
tas liberabit eum a ſeductoribus, & detra-
ctionibus iniquorum. Si veritas te libera- Io.8.
uerit, verè liber eris, & non curabis de va-
nis hominum verbis. Domine verum eſt,
ſicut dicis: ita, quæſo, mecum fiat. Veritas
tua me doceat, ipſa me cuſtodiat, & vſque
ad ſalutarem finem conſeruet. Ipſa me li-
beret ab omni affectione mala, & inordina-
ta dilectione: & ambulabo tecum in magna
cordis lætitia, & libertate.

2 Ego te docebo (ait Veritas) quæ re-

ꝺa ſunt, & placita coram me. Cogita peccata tua cum diſplicentia magna, & mœrore: & numquam reputes te aliquid eſſe propter opera tua bona. Reuera peccator es, & multis obnoxius paſſionibus, & implicatus. Ex te ſemper ad nihil tendis, citò laberis, citò vinceris, citò turbaris, citò diſ-
1.Cor.4. ſolueris. Non habes quidquam vnde poſſis gloriari, ſed multa vnde te debeas vilificare: quia multò infirmior es, quàm vales comprehendere.

3 Nihil ergo magnum tibi videatur ex omnibus, quæ agis. Nil grande, nil pretioſum, & admirabile, nil reputatione appareat dignum: nil altum, nil verè laudabile, & deſiderabile, niſi quod æternum eſt. Placeat tibi ſuper omnia æterna Veritas, diſpliceat tibi ſuper omnia ſemper maxima vilitas tua. Nil ſic timeas, ſic vituperes, & fugias, ſicut vitia, & peccata tua: quæ magis diſplicere debent, quàm quælibet rerum damna. Quidam non ſyncerè coram me ambulant, ſed quadam curioſitate, & arrogantia ducti, volunt ſecreta mea ſcire, & alta Dei intelligere, ſe, & ſuã ſalutem negli-
Eccl.3&. gentes. Hi ſæpe in magnas tentationes, &
2.Cor..3 peccata, propter ſuam ſuperbiam, & curioſitatem, me eis aduerſante, labuntur.

4 Time iudicia Dei, expaueſce iram

Omni-

Omnipotentis. Noli autem diſcutere opera Altiſſimi, ſed tuas iniquitates perſcrutare, in quantis deliquiſti, & quàm multa bona neglexiſti. Quidam ſolùm ſuam deuotionem in libris portant, quidam in imaginibus, quidam autem in ſignis exterioribus, *Eſa.29.*
& figuris. Quidā habent me in ore, ſed modicum eſt in corde. Sunt alij, qui intellectu illuminati, & affectu purgati, ad æterna ſemper anhelant: de terrenis grauiter audiunt, neceſſitatibus naturæ dolenter inſeruiunt: & *Pſal. 24.*
hi ſentiunt, quid Spiritus Veritatis loquitur *Pſal. 1.*
in eis; quia docet eos terrena deſpicere, & amare cæleſtia: mundum negligere, & cælum tota die, ac nocte deſiderare.

De Mirabili effectu Diuini Amoris. Cap. V.

1 BEnedico te Pater cæleſtis, Pater Domini mei Ieſu Chriſti, quia mei pauperis dignatus es recordari. O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, *1. Cor. 1.*
gratias tibi ago, qui me indignum omni cōſolatione, quandoque tua recreas conſolatione. Benedico te ſemper, & glorifico, cum vnigenito Filio tuo, & Spiritu ſancto paraclito in ſæcula ſæculorum. Eia Domine Deus, amator ſanctæ meus, cum tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora

mea

Pſal. 3. mea. Tu es gloria mea, & exultatio cordis
Pſal. 31. mei. Tu ſpes mea, & refugium meum in die tribulationis meæ.

2 Sed quia adhuc debilis ſum in amore, & imperfectus in virtute; ideo neceſſe habeo a te confortari, & conſolari: propterea viſita me ſæpiùs, & inſtrue diſciplinis ſanctis tuis. Libera me a paſſionibus malis, & ſana cor meum ab omnibus affectionibus inordinatis: vt intus ſanatus, & benè purgatus, aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum, ſtabilis ad perſeuerandum.

3 Magna res eſt amor, magnum omnino bonum: quod ſolùm leue facit omne onerofum, & fert æqualiter omne inæquale. Nam onus ſine onere portat, & omne amarum dulce, ac ſapidum efficit. Amor Ieſu nobilis, ad magna operanda impellit, & ad deſideranda ſemper perfectiora excitat. Amor vult eſſe ſurſum, nec vllis infimis rebus retineri. Amor vult eſſe liber, & ab omni mundana affectione alienus; ne internus eius impediatur aſpectus: ne per aliquod commodum temporale implicationes ſuſtineat, aut per incommodum ſuccumbat. Nihil dulciùs eſt amore, nihil fortiùs, nihil altiùs, nihil latiùs, nihil iucundiùs, nihil pleniùs, nec meliùs in cælo, & in terra; quia amor ex Deo natus eſt, nec poteſt niſi in

Matt. 11.

Deo

Deo, ſuper omnia creata quieſcere.

4 Amans volat, currit, & lætatur; liber eſt, & non tenetur. Dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus; quia in vno ſummo ſuper omnia quieſcit, ex quo omne bonum fluit, & procedit. Non reſpicit ad dona, ſed ad donantem ſe conuertit ſuper omnia bona. Amor ſæpe modum neſcit, ſed ſuper omnem modum ferueſcit. Amor onus non ſentit, labores non reputat; plus affectat, quàm valet: de impoſſibilitate non cauſatur; quia cuncta ſibi poſſe, & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, & multa implet: & affectui mancipat, vbi non amans deficit, & iacet. Rom. 8.

5 Amor vigilat, & dormiens non dormitat. Fatigatus non laſſatur; arctatus non coarctatur; territus non conturbatur; ſed ſicut viuax flamma, & ardens fauilla, ſurſum erumpit, ſecurèq. pertranſit. Si quis amat, nouit, quid hæc vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei eſt ipſe ardens affectus animæ, quæ dicit: Deus meus, amor meus: tu totus meus, & ego tuus.

6 Dilata me in amore, vt diſcam interiori ore cordis deguſtare, quàm ſuaue ſit amare, & in amore liquefieri, & natare. Tenear amore, vadens ſupra me præ nimio feruore, & ſtupore. Cantem amoris canticum, ſequar

quar te Dilectum meum in altum, deficiat in laude tua anima mea, iubilans ex amore. Amem te pluſquam me: nec me niſi propter te: & omnes in te, qui verè amant te, ſicut iubet lex amoris lucens ex te.

i. Cor.13. & Phil.2. 7 Eſt amor velox, ſyncerus, pius, iucūdus, & amœnus; fortis, patiens, fidelis, prudens, longanimis, virilis, & ſeipſum numquā quærens. Vbi enim ſeipſum aliquis quærit, ibi
1. Cor.10. Phil.2. ab amore cadit. Eſt amor circūſpectus, humilis, & rectus: non mollis, non leuis, nec vanis intendens rebus; ſobrius, caſtus, ſtabilis, quietus, & in cunctis ſenſibus cuſtoditus. Eſt amor ſubiectus, & obediens Prælatis, ſibi vilis, & deſpectus, Deo deuotus, & gratificus, fidens, & ſperans ſemper in eo, etiam cum ſibi non ſapit Deus; quia ſine dolore non viuitur in amore.

8 Qui non eſt paratus omnia pati, & ad voluntatē ſtare Dilecti, nō eſt dignus amator
Rom. 8. appellari. Oportet amantem omnia dura, & amara, propter Dilectum libenter amplecti; nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

De Probatione veri Amoris. Cap. VI.

1 Filli, nō es adhuc fortis, & prudēs amator. Quare Domine? Quia propter modicam contrarietatem deficis a cœptis,

&

& nimis auidè conſolationem quæris. Fortis amator ſtat in tẽtationibus, nec callidis credit perſuaſionibus inimici. Sicut ei in proſperis placeo, ita nec in aduerſis ei diſpliceo. Phil. 8.

2 Prudens amator non tam donum amãtis conſiderat, quàm dantis amorem. Affectum potiùs attendit, quàm cenſum; & infra dilectum, omnia data ponit. Nobilis amator non quieſcit in dono, ſed in me ſuper omne donum. Non eſt ideo totum perditũ, ſi quandoque minus benè de me, vel de Sanctis meis ſenſeris, quàm velles. Affectus ille bonus, & dulcis, quem interdum percipis, effectus gratiæ præſentis eſt, & quidam prægustus patriæ cæleſtis: ſuper quo non nimiũ innitendum, quia vadit, & venit. Certare autem aduerſus incidẽtes malos animi motus, ſuggeſtioneſq. ſpernere diaboli, inſigne eſt virtutis, & magni meriti. Matth. 4.

3 Non ergo te conturbent alienæ phantaſiæ, de quacumque materia ingeſtæ. Forte ſerua propoſitum, & intentionem rectam ad Deum. Nec eſt illuſio, quod aliquando in exceſſum ſubitò raperis, & ſtatim ad ineptas cogitationes ſolitas cordis reuerteris. Illas enim magis inuitè pateris, quàm agis: & quamdiù diſplicent, & reniteris, meritum eſt, & non perditio.

4 Scitò,

4 Scito, quòd antiquus inimicus, omnino nititur impedire deſiderium tuum in bono, & ab omni deuoto exercitio euacuare: a Sanctorum ſcilicet cultu, a pia paſſionis meæ memoria, a peccatorum vtili recordatione, a proprij cordis cuſtodia, & a firmo propoſito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit, vt tædium tibi faciat, & horrorem; vt ab oratione reuocet, & lectione ſacra. Diſplicet ipſi humilis Confeſſio, & (ſi poſſet) a Communione ceſſare faceret. Non credas ei, neque cures illum, licet ſæpiùs tibi deceptionis tetenderit laqueos. Sibi imputa, cum mala ingerit, & immunda. Dicito illi: Vade
Mat. 4. & 16. immunde ſpiritus, erubeſce miſer, valde immũdus es tu, qui talia infers auribus meis. Diſcede a me ſeductor peſſime, non habebis in me partem vllam, ſed Ieſus mecum erit, tamquam bellator fortis, & tu ſtabis confuſus. Malo mori, & omnem pœnam ſubire, quàm tibi conſentire. Tace, & obmuteſce; non audiam te ampliùs, licet mi-
Pſal. 26. hi plures moliris moleſtias. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Dominus adiutor meus, & redemptor meus.

5 Certa tamquam miles bonus: & ſi interdum

terdum ex fragilitate corrueris, reſume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia mea: & præcaue a vana complacentia, & ſuperbia. Propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem pænè incurabilem quandoque labuntur. Sit tibi in cautelam, & perpetuam humilitatem ruina hæc ſuperborum, de ſe ſtultè præſumentium.

De Occultanda Gratia ſub Humilitatis Cuſtodia. Cap. VII.

1 FIli, vtiliùs eſt tibi, & ſecuriùs, deuotionis gratiam abſcondere, nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare: ſed magis temetipſum deſpicere, & tamquam indigno datam timere. Non eſt huic affectioni tenaciùs inhærendum, quæ citiùs poteſt mutari in cõtrarium. Cogita in gratia, quàm miſer, & inops eſſe ſoles ſine gratia. Nec eſt in eo tantùm vitæ ſpiritualis profectus, cum conſolationis habueris gratiam: ſed cum humiliter, & abnegatè, patienterq. tuleris eius ſubtractionem: ita quòd tunc ab orationis ſtudio non torpeas, nec reliqua opera tua ex vſu facienda, omnino dilabi permittas: ſed ſicut meliùs potueris, & intellexeris, liben-

benter quod in te eſt facias; nec propter ariditatem, ſeu anxietatem mentis, quam ſentis, te totaliter negligas.

2 Multi enim ſunt, qui cum non benè eis ſucceſſerit, ſtatim impatientes fiunt, aut deſides: Non enim ſemper eſt in poteſtate hominis via eius, ſed Dei eſt dare, & conſolari quando vult, & quantum vult, & cui vult, ſicut ſibi placuerit, & non ampliùs. Quidam incauti, propter deuotionis gratiam, ſeipſos deſtruxerunt: quia plus agere voluerunt, quàm potuerunt, non penſantes ſuæ paruitatis menſuram; ſed magis cordis affectum ſequentes, quàm rationis iudiciũ. Et quia maiora præſumpſerunt, quàm Deo placitũ fuit idcirco gratiam citò perdiderũt. Facti ſunt inopes, & viles relicti, qui in cælum poſuerunt nidum ſibi: vt humiliati & depauperati diſcant non alis ſuis volare, ſed ſub pennis meis ſperare. Qui adhuc noui ſunt, & imperiti in via Domini, niſi conſilio diſcretorum ſe regant, faciliter decipi poſſunt, & elidi.

Hier.10. Rom.9. Eſa.14.

3 Quod ſi ſuum ſentire magis ſequi, quã alijs exercitatis credere volunt, erit eis periculoſus exitus, ſi tamen retrahi a proprio conceptu noluerint. Rarò ſibi ipſis ſapientes, ab alijs regi humiliter patiuntur. Meliùs eſt modicum ſapere cum humilitate, &

parua

parua intelligentia, quàm magni theſauri ſcientiarum,cum vana complacentia. Melius eſt tibi minus habere, quàm multum, vnde poſſes ſuperbire. Non ſatis diſcretè agit,qui ſe totum lætitiæ tradit, obliuiſcens priſtinæ inopiæ ſuæ,& caſti timorisDomini, qui timet gratiam oblatam amittere. Non etiam ſatis virtuosè ſapit, qui tempore aduerſitatis,& cuiuſque grauitatis, nimis deſperatè ſe gerit, & minùs fidenter de me, quàm oportet,recogitat,ac ſentit. Prou.15. &16.

4 Qui tempore pacis,nimis ſecurus eſſe voluerit,ſæpe tempore belli nimis deiectus, & formidoloſus reperietur. Si ſcires ſemper humilis, & modicus in te permanere, nec non ſpiritum tuum benè moderari, & regere;non incideres tam citò in periculũ, & offenſam. Conſilium bonum eſt, vt feruoris ſpiritu concepto,mediteris, quid futurum ſit, abſcedente lumine. Quod dum contigerit,recogita, & denuo lucem poſſe reuerti,quam ad cautelam tibi,mihi autem ad gloriam,ad tempus ſubtraxi. 1. Theſ. 3. Iobi 7.

5 Vtilior eſt enim talis probatio,quàm ſi ſemper proſpera pro tua haberes voluntate. Nam merita non ſunt ex hoc æſtimãda,ſi quis plures viſiones,aut conſolationes habeat; vel ſi peritus ſit in Scripturis, aut in altiori ponatur gradu: ſed ſi vera fue-

rit humilitate fundatus, & diuina charitate repletus: ſi Dei honorem purè, & integrè ſemper quærat: ſi ſeipſum nihil reputet, & in veritate deſpiciat, atque ab alijs
Pſal. 83. etiam deſpici, & humiliari magis gaudeat, quàm honorari.

De vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei.
Cap. VIII.

Gen. 18 1 LOquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis. Si me ampliùs reputauero, ecce tu ſtas contra me: & dicunt teſtimonium verum iniquitates meæ, nec poſſum contradicere. Si autem me vilificauero, & ad nihilum redegero, & ab omni propria reputatione defecero, atque (ſicut ſum) pulueriʒauero, erit mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua: & omnis æſtimatio, quantulacunque minima, in valle nihilatis meæ ſubmergetur, & peribit in æternum. Ibi oſtendes me mihi, quid ſum, quid fui, de quo veni: quia nihil ſum, & neſciui. Si mihi ipſi relinquor, ecce nihil, & tota infirmitas. Si autem ſubitò me reſpexeris, ſtatim fortis efficior, & nouo repleor gaudio. Et mirum valde, quòd ſic repente ſubleuor, & tã benignè a te complector,

ctor; qui proprio pondere ſemper ad ima feror.

2 Facit hoc amor tuus,gratis prçueniẽs me,& in tam multis ſubueniens neceſſitatibus, a grauibus quoque cuſtodiens me periculis,& ab innumeris (vt verè dicam)eripiens malis. Me ſiquidem malè amando, me perdidi: & te ſolum quærendo, & purè amando, me, & te pariter inueni, atque ex amore profundiùs ad nihilum me redegi. Quia tu,o dulciſſime, facis mecum ſupra meritum omne,& ſupra id,quod audeo ſperare,vel rogare. Io. 12.

3 Benedictus ſis Deus meus; quia licet ego omnibus bonis ſim indignus, tua tamẽ nobilitas, & infinita bonitas numquam ceſſat facere etiam ingratis,& longè a te auerſis. Conuerte nos ad te, vt ſimus grati, humiles, & deuoti: quia ſalus noſtra tu es, virtus, & fortitudo noſtra. Matth. 3

Quòd omnia ad Deum, ſicut ad finem vltimum, ſunt referenda. Cap. IX.

1 FIli, ego debeo eſſe finis tuus ſupremus, & vltimatus,ſi verè deſideràs eſſe beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, ſæpiùs ad ſe ipſum, & ad creaturas malè incuruatus. Nam ſi te ipſum in aliquo quæris,ſtatim in te deficis,& areſcis.

ſcis. Omnia ergo ad me principaliter refe-
Eccl. 1. ras, quia ego ſum, qui omnia dedi. Sic ſingula conſidera, ſicut ex ſummo Bono manãtia: & ideo ad me, tamquam ad ſuam originem, cuncta ſunt reducenda.

2 Ex me puſillus & magnus, diues & pau-
Ioan. 4. per, tamquam ex fonte viuo, aquam viuam hauriunt: & qui mihi ſponte, & liberè de-
1. Cor. 1. ſeruiunt, gratiam pro gratia accipient. Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo priuato bono delectari, non ſtabilietur in vero gaudio, neque in corde ſuo dilatabitur, ſed multipliciter impedietur, & anguſtiabitur. Nihil ergo tibi de bono adſcribere debes, nec alicui homini virtutem at-
1. Cor. 4. tribuas; ſed totum da Deo, ſine quo nihil habet homo. Ego totum dedi, ego totum rehabere volo: & cum magna diſtrictione gratiarum actiones requiro.

3 Hæc eſt veritas, qua fugatur gloriæ vanitas. Et ſi intrauerit cæleſtis gratia, & vera charitas, non erit aliqua inuidia, nec cõtractio cordis, neque priuatus amor occupabit. Vincit enim omnia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè ſapis, in
Matth. 19. me ſolo gaudebis, in me ſolo ſperabis; quia
& Luc. 18. nemo bonus, niſi ſolus Deus, qui eſt ſuper omnia laudandus, & in omnibus benedicẽdus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quòd

Quòd, ſpreto mundo, dulce eſt ſeruire Deo. Cap. X.

1 NVnc iterum loquar Domine, & nõ ſilebo; dicam in auribus Dei mei, Domini mei, Regiſque mei, qui eſt in excelſo: O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Pſ. 30. Sed quid es timentibus te, aut amantibus? quid toto corde tibi ſeruientibus? Verè ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te. In hoc maximè oſtendiſti mihi dulcedinẽ charitatis tuæ, quia cum non eſſem, feciſti me: Gen. 1. & cum errarem longè a te, reduxiſti me, vt ſeruirem tibi: & præcepiſti, vt diligam te. Pſal. 18. & Mat. 15.

2 O fons amoris perpetui, quid dicam de te! Quomodò potero tui obliuiſci, qui mei dignatus es recordari, etiam poſtquam cõtabui, & perij? Feciſti vltra omnem ſpem miſericordiam cum ſeruo tuo: & vltra omne meritum, gratiam, & amicitiam exhibuiſti. Quid retribuam tibi pro gratia iſta? Pſ. 115. Non enim omnibus datum eſt, vt omnibus abdicatis, ſæculo renuntient, & Monaſticam Vitam aſſumant. Numquid magnum eſt, vt tibi ſeruiam, Iudic. 16. cui omnis creatura ſeruire tenetur? Non magnum mihi videri debet ſeruire tibi; ſed potiùs hoc mihi magnum, & mi-

randum apparet, quòd tam pauperem, & indignum dignaris in ſeruum recipere, & dilectis ſeruis tuis adunare.

3 Ecce omnia tua ſunt, quæ habeo, & vnde tibi ſeruio. Verumtamen vice verſa, tu mihi magis ſeruis quàm ego tibi. Ecce cælum, & terra, quæ in miniſterium creaſti hominis præſto ſunt, & faciunt quotidie quæcumque mandaſti. Et hoc parum eſt, quin etiam Angelos in miniſteriũ hominis creaſti, & ordinaſti. Tranſcendit autem hæc omnia, quòd tu ipſe homini ſeruire dignatus es, & te ipſum daturum ei promiſiſti.

1. Cor. 4.

Pſ. 90. & Heb. 1

4 Quid dabo tibi pro omnibus iſtis millibus bonis? Vtinam poſſem tibi ſeruire cũctis diebus vitæ meæ. Vtinam vel vno die, dignum ſeruitium exhibere ſufficerem. Verè tu es dignus omni ſeruitio, omni honore, & laude æterna. Verè Dominus meus es, & ego pauper ſeruus tuus, qui totis viribus teneor tibi ſeruire, nec vnquàm in laudibus tuis debeo faſtidire. Sic volo, ſic deſidero: & quidquid mihi deeſt, tu digneris ſupplere.

5 Magnus honor, magna gloria, tibi ſeruire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam, qui ſponte ſe ſubiecerint tuæ ſanctiſſimæ ſeruituti. Inuenient ſuauiſſimam Spiritus ſancti conſolationem, qui pro amore tuo omnem carna-

Matth. 19

lem

lem abiecerint delectationem. Conſequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam. Matth. 7.

6 O grata, & iucunda Dei ſeruitus, qua homo veraciter efficitur liber, & ſanctus? O ſacer ſtatus religioſi famulatus, qui hominem angelis reddit æqualẽ, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem! O amplectendũ, & ſemper optabile ſeruitium, quo ſummum promeretur Bonum, & gaudium acquiritur ſine fine permanſurum. Matth. 11. & Io. 31.

Quòd deſideria carnis examinanda ſunt, & & moderanda. Cap. XI.

1 FIli, oportet te adhuc multa addiſcere, quæ necdum benè didiciſti. Quæ ſunt hæc Domine? Vt deſiderium tuum ponas totaliter ſecũdùm beneplacitum meũ: & tui ipſius amator non ſis, ſed meæ voluntatis cupidus amator, & æmulator. Deſideria te ſæpe accendunt, & vehemẽter impellunt: ſed conſidera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis mouearis. Si ego ſum in cauſa, benè contẽtus eris, quomodocumque ordinauero; ſi autem de proprio quæſitu aliquid latet, Pſ. 107. Matth. 6. Phil. 2.

ecce hoc eſt, quod te impedit, & grauat.

2 Caue ergo, ne nimium innitaris ſuper deſiderio præconcepto, me non conſulto; ne fortè poſtea pœniteat, & diſpliceat, quod primò placuit, et quaſi pro meliore zelaſti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona ſtatim eſt ſequenda: ſed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda. Expedit interdum refrœnatione vti, etiam in bonis ſtudijs, & deſiderijs: ne per importunitatem, mentis diſtractionem incurras; ne alijs per indiſciplinationem, ſcandalum generes; vel etiam per reſiſtentiam aliorum, ſubitò turberis, et corruas.

Matth. 11. Rom. 8. & 2. Cor. 4 2. Cor. 10 1. Cor. 9

3 Interdum verò oportet violentia vti; & viriliter appetitui ſenſitiuo contraire; nec aduertere, quid velit caro: et quid nō velit: ſed hoc magis ſatagere; vt ſubiecta ſit etiā nolens ſpiritui. Et tamdiu caſtigari debet, et cogi ſeruituti ſubeſſe, donec parata ſit ad omnia, paucíſque cōtentari diſcat, et in ſimplicibus delectari, nec cótra aliquod inconueniens murmurare.

De informatione patientiæ, & luctamine aduerſus concupiſcentias. Cap. XII.

1 DOmine Deus, vt audio, patientia eſt mihi valde neceſſaria: multa enim in

In hac vita accidunt contraria. Nam qualitercunque ordinauero de pace mea, non poteſt eſſe ſine bello, et dolore vita mea. Ita eſt fili. Non autē volo te talem quærere pacem, quæ tentationibus careat, aut contraria non ſentiat: ſed tunc etiam æſtimare te pacem inueniſſe, cum fueris varijs tribulationibus exercitatus, & in multis contrarietatibus probatus; Heb.10. Iob.7. Iac.1.

2 Si dixeris, te multa non poſſe pati, quomodò tunc ſuſtinebis ignem Purgatorij? De duobus malis minus ſemper eſt eligendum. Vt ergo æterna ſupplicia futura poſſis euadere, mala præſentia ſtudeas pro Deo æquanimiter tolerare. An putas, quòd homines ſæculi huius nihil, aut parum patiantur? Nec hoc inuenies, etiamſi delicatiſſimos quæſieris. Sed habent, inquis, multas delectationes, et proprias ſequuntur voluntates: ideoque parum ponderant ſuas tribulationes. Eſto, ita ſit, vt habeant quidquid voluerint; ſed quamdiu, putas, durabit?

3 Ecce, quemadmodum fumus, deficient omnes abundantes in ſæculo, et nulla erit recordatio præteritorum gaudiorum. Sed cum adhuc viuunt, non ſine amaritudine, et tædio, ac timore in eis quieſcunt. Ex eadem namque re, vnde delectationem concipiunt ſibi; inde doloris pœnā frequenter recipiūt. Pſ.67.

Iuſtè illis fit: vt, quia inordinatè delectationes quærunt,& ſequuntur, non ſine amaritudine, & confuſione eas expleant.

4 O quàm breues, quàm falſæ, quàm inordinatæ,& turpes omnes ſunt! Verumtamen præ ebrietate, & cæcitate non intelligunt; ſed velut muta animalia propter modicum corruptibilis vitæ delectamentum,
Eccli. 8. mortem animæ incurrunt. Tu ergo fili poſt concupiſcentias tuas non eas, & a volunta-
Pſal. 36. te tua auertere. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Etenim ſi veraciter vis delectari, & abundantiùs a me conſolari; ecce in contẽptu omnium mundanorum,& in abſciſſione omnium infimarum delectationum, erit benedictio tua, et copioſa tibi reddetur conſolatio. Et quantò plùs te ab omni ſolatio creaturarum ſubtraxeris, tantò in me ſuauiores,et potentiores conſolationes inuenies. Sed primò, non ſine quadam triſtitia, & labore certaminis ad has pertinges. Obſiſtet inolita conſuetudo, ſed meliori conſuetudine deuincetur. Remurmurabit caro, ſed feruore ſpiritus frœnabitur. Inſtigabit, & exacerbabit te ſerpens antiquus: ſed oratione fugabitur: inſuper, et labore vtili aditus eius magnus obſtruetur.

De

De Obedientia humilis ſubditi, ad exemplum IESV Chriſti. Cap. XIII.

1 FIli, qui ſe ſubtrahere nititur ab obedientia: ipſe ſe ſubtrahit a gratia. Et qui quærit habere priuata, amittit communia. Qui non libenter, & ſponte ſuo Superiori ſe ſubdit, ſignum eſt, quòd caro ſua necdum perfectè ſibi obedit, ſed ſæpe recalcitrat, & remurmurat. Diſce ergo Superiori tuo celeriter te ſubmittere, ſi carnē propriam optas ſubiugare. Citiùs namque exterior vincitur inimicus, ſi interior homo non fuerit deuaſtatus. Non eſt moleſtior, & peior animæ hoſtis, quàm tu ipſe tibi, non benè concordans ſpiritui. Oportet enim verum te aſſumere tui ipſius contemptum, ſi vis præualere aduerſus carnem, & ſanguinem. Matth. 16

2 Quia adhuc nimis inordinatè te diligis, ideo plenè te reſignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum, tu, qui puluis es, & nihil, ſi propter Deum te ſubdis homini; quando ego Omnipotens, & Altiſſimus, qui cuncta creaui ex nihilo, me homini propter te ſubieci humiliter? Factus ſum omnium humillimus, & infimus, vt tuā ſuperbiam mea humilitate vincerem. Diſce ob- Luc. 2. 1. Ioan. 2.

obtemperare puluis. Diſce te humiliare terra, et limus, & ſub omnium pedibus incuruare. Diſce voluntates tuas frangere, & ad omnem ſubiectionem te dare.

3 Exardeſce contra te, nec patiaris tumorem in te viuere: ſed ita ſubiectum, & paruulum te exhibe, vt omnes ſuper te ambulare poſſint, & ſicut lutum platearum conculcare. Quid habes homo inanis conqueri? Quid ſordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendiſti, & toties infernum meruiſti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretioſa fuit anima tua in conſpectu meo: vt cognoſceres dilectionem meam, & gratus ſemper beneficijs meis exiſteres: & ad veram ſubiectionem, & humilitatem te iugiter dares, patienterque proprium contemptum ferres.

De occultis Dei iudicijs conſiderandis, ne extollamur in bonis. Cap. XIV.

1 INtonas ſuper me iudicia tua Domine, & timore, ac tremore concutis omnia oſſa mea, & expaueſcit anima mea valde. Sto attonitus, & conſidero: quia cæli non ſunt mũdi in cõſpectu tuo. Si in Angelis reperiſti prauitatem, nec tamen pepercisti,

Iob 15.

quid

quid fiet de me? Ceciderunt ſtellæ de cælo, Iob 4.
& ego puluis quid præſumo? Quorum ope- Apoc.8.
ra videbantur laudabilia, ceciderunt ad in-
fima: & qui comedebant panem Angelorũ, Pſal. 77.
vidi ſiliquis delectari porcorum.

2 Nulla eſt ergo ſanctitas, ſi manum tuã Domine ſubtrahas. Nulla ſapiẽtia prodeſt, ſi guburnare deſiſtas. Nulla iuuat fortitudo, ſi conſeruare deſinas. Nulla ſecura caſtitas, ſi eam non protegas. Nulla propria prodeſt cuſtodia, ſi non adſit tua ſancta vigilantia. Nam relicti mergimur, et perimus; viſitati verò viuimus, et erigimur. Inſtabiles quippe ſumus, ſed propter te confirmamur; tepeſcimus, ſed a te accendimur.

3 O quàm humiliter, & abiectè mihi de me ipſo ſentiendum eſt, quàm vilipendendum, ſi quid boni videar habere, O quàm profundè me ſubmittere debeo ſub abyſſalibus iudicijs tuis Domine! vbi nihil aliud me eſſe inuenio, quàm nihil, & nihil. O pondus immenſum! o pelagus intranſmeabile! vbi nihil me reperio, quàm in toto nihil. Vbi eſt ergo latebra gloriæ? vbi confidentia de gloria contempta? Abſorpta eſt omnis gloria vana in profunditate iudiciorum tuorum ſuper me.

4 Quid eſt omnis caro in conſpectu tuo? Eccl.23.
Numquid gloriabitur lutum contra formã- & Eſa.29.
tem

tem ſe? Quomodò poteſt erigi vaniloquio, cuius cor in veritate ſubiectum eſt Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas ſibi ſubiecit; nec omnium laudantium ore mouebitur, qui totam ſpem tuam in Deo firmauit. Nam & ipſi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, & deficient enim cum
Pſal 116 ſonitu verborum; Veritas autem Domini manet in æternum.

Qualiter ſtandum ſit, ac dicendum, in omni re deſiderabili. Cap. XV.

1 FIli, ſic dicas in omni re: Domine, ſi
Iac 3. tibi placitum fuerit, fiat hoc ita: Domine, ſi ſit honor tuus, fiat in nomine tuo hoc. Domine, ſi mihi videris expedire, & vtile eſſe probaueris; tunc dona mihi hoc vti ad honorem tuum. Sed ſi mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ meæ ſaluti prodeſſe, aufer a me tale deſiderium. Non enim omne deſiderium a Spiritu ſancto eſt, etiam ſi homini videatur rectum, & bonum. Difficile eſt pro vero iudicare, vtrum ſpiritus bonus, an alienus te impellat ad deſiderandum hoc, vel illud: an etiam ex proprio mouearis ſpiritu. Multi in fine ſunt decepti, qui primò bono ſpiritu videbantur inducti.

2 Igitur ſemper cum timore Dei, & cordis

dis humilitate deſiderandum eſt, & petendum, quidquid deſiderabile menti occurrit: maximèq. cum propria reſignatione, mihi totum committendum eſt, atque dicendũ: Domine, tu ſcis qualiter melius eſt, fac hoc, vel illud, ſicut volueris. Da quod vis, & quãtum vis, & quando vis. Fac mecum ſicut ſcis, & ſicut tibi magis placuerit, & maior honor tuus fuerit. Pone me vbi vis, & liberè age mecum in omnibus. In manu tua ſum, gyra, & reuerſa me per circuitum. En ego ſeruus tuus, paratus ad omnia: quoniam nõ deſidero mihi viuere, ſed tibi: vtinam dignè, & perfectè.

Oratio pro Beneplacito Dei perficiendo.

3 Concede mihi, benigniſſime Ieſu, gratiam tuam, vt mecum ſit, & mecum laboret, mecumq. vſque in finẽ perſeueret. Sap.9.
Da mihi ſemper deſiderare, & velle, quod tibi magis acceptum, & chariùs placet. Tua voluntas mea ſit: & mea voluntas, tuam ſequatur ſemper, & optimè ei concordet. Sit mihi vnum velle: & nolle tecum: nec aliud poſſe velle, aut nolle, niſi quod tu vis, & nolis.

4 Da mihi omnibus mori, quæ in mundo ſunt: & propter te amare contẽni, & neſciri

in hoc ſæculo. Da mihi ſuper omnia deſiderata in te quieſcere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu ſola requies: extra te omnia ſunt dura, & inquieta. In hac
Pſal. 4. pace, in idipſum, hoc eſt, in te vno ſummo æterno Bono, dormiam, & requieſcam.

Quòd verum ſolatium in ſolo Deo quærendum eſt. Cap. XVI.

1 QVidquid deſiderare poſſum, vel cogitare ad ſolatium meum, non hic
Matth. 26. expecto, ſed in poſterum. Quod ſi omnia ſolatia mundi ſolus haberem, & omnibus delitijs frui poſſem: certum eſt, quòd diu
Pſal. 76. durare non poſſent. Vnde non poteris anima mea plenè cōſolari, nec perfectè recreari, niſi in Deo conſolatore pauperum, & ſuſceptore humilium. Expecta modicum anima mea, expecta diuinum promiſſum, & habebis abundantiam omnium bonorum in cælo. Si nimis inordinatè iſta appetis præſentia, perdes æterna, & cæleſtia. Sint temporalia in vſu, æterna in deſiderio. Non potes aliquo bono temporali ſatiari, quia ad hæc fruenda non es creata.

2 Etiã ſi omnia bona creata haberes, nõ poſſes eſſe felix, & beata: ſed in Deo, qui cuncta creauit, tota beatitudo, tua & felicitas

citas conſiſtit: non qualis videtur, & laudatur a ſtultis mundi amatotibus; ſed qualem expectant boni Chriſti fideles, & prægustant interdum ſpirituales, ac mundi corde, quorum conuerſatio eſt in cælis. Vanum eſt, & breue omne humanum ſolatium. Beatum, & verum ſolatium, quod intus a veritate percipitur. Deuotus homo vbique ſecum fert conſolatorem ſuum Ieſum, & dicit ad eum: Adeſto mihi Domine Ieſu in omni loco, & tempore. Hæc mihi ſit conſolatio, libenter velle carere omni humano ſolatio. Et ſi tua defuerit conſolatio, ſit mihi tua voluntas, & iuſta probatio pro ſummo ſolatio. Non enim in perpetuũ iraſceris, neque in æternum comminaberis.

Sap. 2. Phil. 3. Pſal. 102.

Quòd omnis ſollicitudo in Deo ſtatuenda eſt.
Cap. XVII.

1 Filij, ſine me tecum agere, quod volo: ego ſcio, quid expedit tibi. Tu cogitas vt homo. Tu ſentis in multis, ſicut humanus ſuadet affectus. Domine, verum eſt, quod dicis. Maior eſt ſollicitudo tua pro me, quàm omnis cura, quam ego gerere poſſum pro me. Nimis enim caſualiter ſtat, qui non proijcit omnem ſollicitudinem ſuam in te. Domine, dummodò voluntas

Matth. 6. & Io. 6.

mea recta & firma ad te permaneat, fac de me quidquid tibi placuerit. Nō enim poteſt eſſe niſi bonum, quidquid de me feceris.

2 Si me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus: & ſi me vis eſſe in luce, ſis iterum benedictus. Si me dignaris conſolari, ſis benedictus: & ſi me vis tribulari: ſis æquè ſemper benedictus. Fili, ſic oportet te ſtare, ſi mecum deſideras ambulare. Ita promtus eſſe debes ad patiendum, ſicut ad gaudendum. Ita libenter debes eſſe inops & pauper, ſicut plenus & diues.

Iob. 2. 3 Domine libenter patiar pro te, quidquid volueris venire ſuper me. Indifferenter volo de manu tua bonum, & malū; dulce, & amarum; lætum & triſte ſuſcipere; & pro omnibus mihi contingentibus gratias
Pſal. 22. agere. Cuſtodi me ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum. Dummodò in æternum me non proijcias, nec deleas me de Libro Vitæ: non mihi nocebit quidquid venerit tribulationis ſuper me.

Quòd temporales miſeriæ exemplo Chriſti æquanimiter ſunt ferendæ. Cap. XVIII.

Ioan. 3. Eſi. 53. Luc. 2. 1 FIli, ego deſcendi de cælo pro tua ſalute; ſuſcepi tuas miſerias, non neceſſitate, ſed charitate trahente; vt patientiam diſce-

diſceres, & temporales miſerias non indignanter ferres. Nã ab hora ortus mei, vſque ad exitum in Cruce, non defuit mihi tolerãtia doloris. Defectum rerum temporalium magnum habui: multas querimonias de me frequenter audiui: cõfuſiones, & opprobria benignè ſuſtinui: pro beneficijs ingratitudinem recepi: pro miraculis blaſphemias: pro doctrina reprehenſiones.

2 Domine, quia fuiſti patiens in vita tua, in hoc maximè implendo præceptum Patris tui; dignum eſt, vt ego miſerrimus peccator, ſecundùm voluntatem tuam patienter me ſuſtineam: & donec ipſe volueris, onus corruptibilis vitæ, pro ſalute mea portem. Nã etſi oneroſa ſentitur præſens vita; facta eſt tamen iam per gratiam tuam valde meritoria: atque exemplo tuo, & Sanctorum tuorũ veſtigijs, infirmis tolerabilior, & clarior. Sed & multò magis cõſolatoria, quàm olim in Lege veteri fuerat, cum porta cæli clauſa perſiſteret: & obſcurior etiam via ad cælum videbatur, quando tam pauci Regnum cælorum quærere curabant. Sed neque, qui tũc ſaluandi, & Iuſti erant, ante paſſionem tuã, & ſacræ mortis debitum, cæleſte Regnum poterant introiire. Ioan. 5. Matth. 7.

3 O quantas tibi gratias teneor referre, quòd rectã, & bonam viã dignatus es mihi,

& cunctis fidelibus, ad æternum Regnum tuum oſtendere! Nam vita tua, via noſtra: & per ſanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona noſtra. Niſi tu præceſſiſſes, & docuiſſes, quis ſequi curaret? Heu quanti longè, retroque manerent, niſi tua præclara exempla inſpicerent. Ecce adhuc tepeſcimus, auditis tot ſignis tuis, & doctri-
Io.12. nis: quid fieret ſi tantum lumen ad ſequendum te, non haberemus?

De tolerantia iniuriarum: & quis verus patiẽs probetur. Cap. XIX.

1 QVid eſt, quod loqueris fili? Ceſſa conqueri, conſiderata mea, & aliorum Sanctorum paſſione. Nondum vſque
Hebr. 12. ad ſanguinem reſtitiſti. Parum eſt, quod tu pateris, in comparatione eorum, qui tam
Hebr. 11. multa paſſi ſunt, tam fortiter tentati, tam grauiter tribulati, tam multipliciter probati, & exercitati. Oportet te igitur aliorum grauiora ad mentem reducere, vt leuiùs feras tua minima. Et ſi tibi minima non videntur, vide ne & hoc faciat tua impatientia. Siue tamen parua, ſiue magna ſint, ſtude cuncta patienter ſufferre.

2 Quanto meliùs ad patiendum te diſponis, tantò ſapiẽtiùs agis, & ampliùs promere-

mereris; & feres leuiùs, animo, & vſu ad hoc non ſegniter paratis. Nec dicas: Non valeo hoc ab homine tali pati, nec huiuſcemodi mihi patienda ſunt: graue enim intulit damnum, & improperat mihi, quæ nunquam cogitaueram; ſed ab alio libenter patiar, & ſicut patienda videro. Inſipiens eſt talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ nõ conſiderat, nec a quo coronanda erit; ſed magis perſonas, & offenſas ſibi illatas perpendit.

3 Non eſt verus patiens, qui pati non vult, niſi quantum ſibi viſum fuerit, & a quo ſibi placuerit. Verus autem patiens non attendit a quo homine, vtrum a Prælato ſuo, an ab aliquo æquali, aut inferiori: vtrum a bono, & ſancto viro, vel a peruerſo, & indigno exerceatur. Sed indifferenter ab omni creatura, quãtumcumque, & quotieſcũque ei aliquid aduerſi acciderit, totum hoc gratanter de manu Dei accipit, & ingens lucrum reputat: quia nil apud Deum quantumcumque paruum, pro Deo tamen paſſum, poterit ſine merito tranſire.

4 Eſto igitur expeditus ad pugnam, ſi vis habere victoriam. Sine certamine non potes peruenire ad patientiæ coronam. Si pati non vis, recuſas coronari. Si autem coronari deſideras, certa viriliter, ſuſtine patiẽter. 2. Tim. 2.

Sine labore non tenditur ad requiem; nec ſine pugna peruenitur ad victoriam. Fac mihi Domine poſſibile per gratiam, quod mihi impoſſibile videtur per naturam. Tu ſcis, quòd modicum poſſum pati, & quòd citò deijcior, leui exurgente aduerſitate. Efficiatur mihi quælibet exercitatio tribulationis, & aduerſitatis, pro nomine tuo amabilis, & optabilis: nam pati, & vexari pro te, valde ſalubre eſt animæ meæ.

De confeſsione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miſerijs. Cap. XX.

1 CONfitebor aduerſum me iniuſtitiam
Pſal. 31. meam: confitebor tibi Domine infirmitatem meam. Sæpe parua res eſt, quæ me deijcit, & contriſtat. Propono me fortiter acturum, ſed cum modica tentatio aduenerit, magna mihi anguſtia fit. Valde vilis quandoque res eſt, vnde grauis tentatio prouenit. Et dum puto me aliquantulum tutum, & non ſentio; inuenio me nonnumquam pænè deuictum ex leui flatu.

2 Vide ergo Domine humilitatem meã, & fragilitatem tibi vndique notã. Miſerere
Pſal. 24. mei, & eripe de luto, vt nõ infigar, non per-
Pſal. 68. maneam deiectus vſquequaque. Hoc eſt, quod frequenter me reuerberat, & coram

te

te confundit: quòd tam labilis ſum, & infirmus ad reſiſtendum paſſionibus. Et ſi non omnino ad conſenſionem, tamen mihi etiam moleſta, & grauis eſt earũ inſectatio, & tædet valde ſic quotidie viuere in lite. Ex hinc nota mihi fit infirmitas mea; quia multò faciliùs irruunt abominandæ ſemper phantaſiæ, quàm diſcedunt.

3 Vtinam fortiſſime Deus Iſrael, zelator animarum fidelium, reſpicias ſerui tui laborem, & dolorem; aſſiſtaſque illi in omnibus ad quæcumque perrexerit. Robora me cæleſti fortitudine, ne vetus homo, miſera caro, necdum ſpiritui ſubiecta, valeat dominari: aduerſus quam certare oportebit, quãdiu ſpiratur in hac vita miſerrima. Heu, qualis eſt hæc vita, vbi non deſunt tribulationes, & miſeriæ? vbi plena laqueis, & hoſtibus ſunt omnia? Nàm vna tribulatione, ſeu tentatione recedente, alia accedit; ſed & adhuc priore durante conflictu, alij plures ſuperueniunt, & inſperatè.

4 Et quomodò amari poteſt vita habens tantas amaritudines, tot ſubiecta calamitatibus, & miſerijs? Quomodò etiã dicitur vita, tot generãs mortes, & peſtes? Et tamẽ, amatur, & delectari in ea a multis quæritur. Reprehẽditur frequẽter mũdus, quòd fallax ſit, & vanus, nec tamen facilè relinquitur;

quia concupiſcentiæ carnis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad con-
i. Io. 1. temnendum. Trahunt ad amorem mundi, deſiderium carnis, deſiderium oculorum, & ſuperbia vitæ; ſed pœnæ, & miſeriæ ſequentes ea, odium mundi pariunt, & tædium.

5 Sed vincit, proh dolor, delectatio parua mentem mundo deditam; & eſſe ſub ſenſi-
Iob 30. bus delitias reputat; quia Dei ſuauitates, & internam virtutis amœnitatem, nec vidit, nec guſtauit. Qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo viuere ſub ſancta diſciplina ſtudent, iſti dulcedinem diuinam, veris abrenunciatoribus promiſſam, non ignorant; & quàm grauiter mundus errat, & variè fallitur, vident.

Quòd in Deo ſuper omnia bona, & dona requieſcendum eſt. Cap. XXI.

Rom. 8. 1 SVper omnia, & in omnibus requieſces anima mea in Domino ſemper, quia ipſe eſt Sanctorum æterna requies. Da mihi, dulciſſime, & amantiſſime Ieſu, in te ſuper omnem creaturam requieſcere; ſuper omnẽ ſalutem, & pulchritudinem; ſuper omnem gloriam, & honorem; ſuper omnem potentiam, & dignitatem; ſuper omnem ſcientiam, & ſubtilitatem; ſuper omnes diuitias,

& ar-

& artes; ſuper omnem lætitiam, & exultationem; ſuper omnem famam, & laudem; ſuper omnem ſuauitatem, & conſolationẽ; ſuper omnem ſpem, & promiſſionem; ſuper omne meritum, & deſiderium; ſuper omnia dona, & munera, quæ potes dare, & infundere; ſuper omne gaudium, & iubilationem, quam poteſt mens capere, & ſentire. Denique ſuper Angelos, & Archangelos, & ſuper omnem exercitum cæli; ſuper omnia viſibilia, & inuiſibilia; & ſuper omne, quod tu Deus meus non es.

2 Quia tu Domine Deus meus, ſuper omnia bonus es; tu ſolus altiſſimus, tu ſolus potentiſſimus, tu ſolus ſufficientiſſimus, & pleniſſimus; tu ſolus ſuauiſſimus, & ſolatioſiſſimus; tu ſolus pulcherrimus, & amantiſſimus; tu ſolus nobiliſſimus, & glorioſiſſimus ſuper omnia: in quo cuncta bona ſimul perfectè ſunt, fuerunt, & ſemper erũt: atque ideo minus eſt, & inſufficiẽs quidquid præter te ipſum mihi donas, aut de te ipſo reuelas, vel promittis, te non viſo, nec plenè adepto. Quoniam quidem non poteſt cor meum veraciter requieſcere, nec totaliter contẽtari, niſi in te requieſcat: omniaq; dona, omnemque creaturam tranſcendat.

3 O mi dilectiſsime ſponſe Ieſu Chriſte, amator puriſſime, dominator vniuerſæ crea-

turæ:

Pſal'.54. turæ : quis mihi det pennas veræ libertatis ad volandum,& pauſandum in te?O quando ad plenum dabitur vacare mihi, & videre, quàm ſuauis es Domine Deus meus! Quando ad plenum me recolligam in te, vt præ amore tuo non ſentiam me:ſed te ſolum ſupra omnem ſenſum, & modum, in modo nō
Deut. 13. omnibus noto! Nunc autem frequenter gemo,& infelicitatem meam cum dolore porto. Quia multa mala in hac valle miſeriarū occurrunt mihi,quæ me ſæpiùs conturbant, contriſtant,& obnubilant;ſæpiùs impediūt, & diſtrahunt; alliciunt,& implicant; ne liberum habeam acceſſum ad te,& ne iucundis fruar amplexibus, præſto beatis ſemper ſpiritibus. Moueat te ſuſpirium meum, & deſolatio multiplex in terra.

4 O Ieſu ſplendor æternæ gloriæ,ſolamē peregrinantis animæ: apud te eſt os meum ſine voce,& ſilentium meum loquitur tibi. Vſquequo tardat venire Dominus meus? Veniat ad me pauperculum ſuum, & lætum faciat.Mittat manum ſuam,& miſerum eripiat de omni anguſtia. Veni,veni, quia ſine te nulla erit læta dies,aut hora;quia tu lætitia mea:& ſine te vacua eſt menſa mea.Miſer ſum, & quodammodò incarceratus, & compedibus grauatus; donec luce præſentiæ tuæ me reficias, ac libertati dones, vul-

tumque

rumque amicabilem demonſtres.

5 Quærant alij pro te aliud quodcumque libuerit: mihi aliud interim nil placet, nec placebit, niſi tu Deus meus, ſpes mea, ſalus æterna. Non reticebo, nec deprecari ceſſabo; donec gratia tua reuertatur, mihique tu intus loquaris: Ecce adſum: Ecce ego ad te, quia inuocaſti me; lacrymæ tuæ, & deſiderium animæ tuæ, humiliatio tua, & contritio cordis tui inclinauerunt me, & adduxerunt ad te. Et dixi: Domine, inuocaui te, & deſideraui frui te, paratus omnia reſpuere propter te. Tu enim prior excitaſti me, vt quærerem te. Sis ergo benedictus Domine, qui feciſti hanc bonitatem cum ſeruo tuo, ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ.

6 Quid habet vltra dicere, Domine, ſeruus tuus coram te, niſi vt humiliet ſe valde ante te, memor ſemper propriæ vilitatis, & iniquitatis? Non enim eſt ſimilis tui in cunctis mirabilibus cæli, & terræ. Sunt opera tua bona valde, iudicia vera, & prouidentia tua reguntur vniuerſa. Laus ergo tibi, & gloria, o Patris ſapientia: te laudet, & benedicat os meum, anima mea, & cuncta creata ſimul. Pſal. 85.

De

De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. Cap. XXII.

1 APeri Domine, cor meum in lege tua, & in præceptis tuis doce me
Pſal. 118. ambulare. Da mihi intelligere voluntatem tuam :& cum magna reuerentia,ac diligenti conſideratione beneficia tua, tam in generali,quàm in ſpeciali memorari : vt dignè tibi ex hinc valeam gratias referre. Verùm ſcio, & confiteor, nec pro minimo puncto me poſſe debitas gratiarum laudes perſoluere. Minor ego ſum omnibus bonis mihi præſtitis : & cum tuam nobilitatem attendo, deficit præ magnitudine illius ſpiritus meus.

2 Omnia,quæ in anima habemus,& corpore, & quæcumque exteriùs ,vel interiùs, naturaliter, vel ſupernaturaliter poſſidemus,tua ſunt beneficia, & te beneficum, pium,ac bonum commendant, a quo bona cuncta accepimus. Et ſi alius accipit plura, alius pauciora,omnia tamen tua ſunt, nec ſine te, nec minimũ habere poſſum. Ille qui maiora accepit, non poteſt ſuo merito gloriari, neque ſuper alios extolli, nec minori inſultare : quia ille maior,& melior,qui ſibi minus adſcribit, & in regratiando humilior

eſt,

eſt, atque deuotior. Et qui omnibus ſe viliorem exiſtimat, & indigniorem ſe iudicat, aptior eſt ad percipiendum maiora.

3 Qui autem pauciora accepit, contriſtari non debet, nec indignāter ferre, neque ditiori inuidere: ſed te potiùs attendere, & tuam bonitatem maximè laudare, quòd tā affluenter, tam gratis, & libenter, ſine perſonarum acceptione tua munera largiris. Omnia ex te, & ideo in omnibus es laudandus. Tu ſcis, quid vnicuique donari expediat: & cur iſte minus, & ille amplius habeat; non noſtrum, ſed tuum eſt hoc diſcernere, apud quem ſingulorum definita ſunt merita.

4 Vnde, Domine Deus, pro magno etiā reputo beneficio, non multa habere, vnde exteriùs, & ſecundùm homines, laus, & gloria apparet; ita vt quis conſiderata paupertate, & vilitate perſonæ ſuæ, non modò nullam grauitatem, aut triſtitiam, vel deiectionem inde concipiat, ſed potiùs conſolationem, & hilaritatem magnam; quia tu Deus pauperes, & humiles, atque huic mundo 1. Cor. 1.
deſpectos tibi elegiſti in familiares, & domeſticos. Teſtes ſunt ipſi Apoſtoli tui, quos principes conſtituiſti ſuper omnem terram. Pſal 44.
Fuerunt tamen ſine querela conuerſati in 2. Theſ. 2.
mundo, tam humiles, & ſimplices, ſine omni mali-

Act.5. malitia; & dolo, vt etiam pati contumelias pro nomine tuo gauderent: & quæ mundus abhorret, ipſi amplecterētur affectu magno.

5 Nihil ergo amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum ita lætificare debet, ſicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ diſpoſitionis tuæ: de qua tantū contentari debet, & conſolari, vt ita libenter velit eſſe minimus, ſicut aliquis optaret eſſe maximus: & ita pacificus, & contentus in nouiſſimo, ſicut in loco primo: atque libenter ita deſpicabilis, & abiectus, nullius quoque nominis, & famæ, ſicut cæteris honorabilior, & maior in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui omnia excedere debet: & plus eum conſolari, magiſque placere, quàm omnia beneficia ſibi data, vel danda.

De quatuor magnam importantibus pacem. Cap. XXIII.

Matth. 26 & Ioan. 5. & 6. 1 FIli, nunc docebo te viam pacis, & veræ libertatis. Fac Domine, quod dicis, quia hoc mihi gratum eſt audire. Stude fili, alterius facere voluntatem potiùs, quàm tuam.

1. Cor. 10. Elige ſemper minus, quàm plus habere.

Luc. 14. Quære ſemper inferiorem locum, & omnibus ſubeſſe.

Matth. 6. Opta ſemper,

per, & ora, vt voluntas Dei integrè in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis, & quietis.

2 Domine, ſermo tuus iſte breuis multum in ſe continet perfectionis. Paruus eſt dictu, ſed plenus ſenſu, & vber in fructu. Nam ſi poſſet a me fideliter cuſtodiri, non deberet tam facilis in me turbatio oriri. Nam quoties me impacatum ſentio, & grauatum, ab hac doctrina me receſſiſſe inuenio. Sed tu, qui omnia potes, & profectum animæ ſemper diligis, adauge maiorem gratiam: vt poſſim tuum complere ſermonem, & meam perficere ſalutem. Matt. 5.

Oratio contra malas cogitationes.

3 Domine Deus meus, ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum reſpice: quoniam inſurrexerunt in me variæ cogitationes, & timores magni affligẽtes animam meam. Quomodò pertranſibo illæſus? Quomodò perfringam eas? Ego, inquit, ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. Aperiam ianuas carceris, & arcana ſecretorum reuelabo tibi. Fac Domine, vt loqueris: & fugiant a facie tua omnes iniquæ cogitationes. Hæc ſpes, & vnica conſolatio mea, ad te in omni tribulatione mea Pſal. 70. Eſa. 45.

con-

confugere, t bi confidere, & te ex intimo inuocare, & patienter conſolationem tuam expectare.

Oratio pro illuminatione mentis.

4 CLarifica me bone Ieſu, claritate interni luminis: & educ de habitaculo cordis mei tenebras vniuerſas. Cohibe euagationes malas, & elide vim facientes tentationes. Pugna fortiter pro me, & expugna malas beſtias, concupiſcentias dico illecebroſas: vt fiat pax in virtute tua, & abundantia laudis tuæ reſonet in aula ſancta, hoc eſt, in conſcientia pura. Impera
Matth. 8. ventis, & tempeſtatibus: dic mari, quieſce, ac Aquiloni, ne flaueris, & erit tranquillitas magna.

5 Emitte lucem tuam, & veritatem, vt luceāt ſuper terram: quia terra ſum inanis, & vacua donec illumines me. Effunde gratiā deſuper perfunde cor meūm rore cæleſti: miniſtra deuotionis aquas, ad irrigandum faciem terræ ad producendum fructū
Pſal. 42. bonum, & optimum. Eleua mentem preſſam mole peccatorū, & ad cæleſtia totum deſiderium meum ſuſpende: vt guſtata ſuauitate ſupernæ felicitatis, pigeat de terrenis cogitare.

6 Ra.

6 Rape me,& eripe me ab omni creaturarum indurabili conſolatione: quia nulla res creata appetitum meum valet plenariè quietare, & conſolari. Iunge me tibi inſeparabili dilectionis vinculo: quoniam tu ſolus ſufficis amanti, & abſque te friuola ſunt vniuerſa.

De Euitatione curioſæ inquiſitionis ſuper alterius vita. Cap. XXIV.

1 Fili noli eſſe curioſus, nec vagas geras ſollicitudines. Quid hoc, vel illud ad te? tu me ſequere. Quid enim ad te, vtrum ille ſit talis, vel talis, aut iſte ſic,& ſic agit, vel loquitur? Tu non indiges reſpondere pro alijs, ſed pro te ipſo rationem reddes. Quid ergo te implicas? Ecce ego omnes cognoſco: & cuncta, quæ ſub ſole fiunt, video: & ſcio, qualiter cum vnoquoque ſit, quid cogitet, quid velit,& ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur committenda ſunt omnia; tu verò ſerua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantũ voluerit. Veniet ſuper eum quidquid dixerit, vel fecerit, quia me fallere non poteſt.

Eccli. 3. & 1. Tim. 5. Ioan. 21. Gal. 9,

2 Non ſit tibi curæ de magni nominis vmbra, non de multorum familiaritate, & de priuata hominum dilectione. Iſta enim gene-

generant diſtractiones, & magnas in corde obſcuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum, & abſcondita reuelarem, ſi aduentum meum diligenter obſeruares, & oſtium cordis mihi aperires. Eſto prouidus, et vigila in orationibus, et humilia te in omnibus.

In quibus vera pax cordis, & verus profectus conſiſtit. Cap. XXV.

Ioan. 14. 1 FIli, ego locutus ſum: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat, ego do vobis. Pacem omnes deſiderant, ſed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curãt. Pax mea cum humilibus, & manſuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. Si me audieris, & vocem meam ſecutus fueris, poteris multa pace frui. Quid igitur faciam? In omni re attende tibi, quid facias, & quid dicas: & omnem intentionem tuam dirige ad hoc, vt mihi ſoli placeas, & extra me nihil cupias, vel quæras. Sed & de aliorum dictis, vel factis nil temerè iudices: nec cum rebus tibi non commiſſis te implices; & poterit fieri, vt parum, vel rarò turberis.

2 Numquam autem ſentire aliquam turbationem, nec aliquam pati cordis, vel cor-

poris

poris moleſtiam, non eſt præſentis temporis, ſed ſtatus æternæ quietis. Non ergo æſtimes te veram pacem inueniſſe, ſi nullam ſenſeris grauitatem: nec tunc totum eſſe bonum, ſi neminem pateris aduerſarium: nec hoc eſſe perfectum, ſi cuncta fiant ſecundùm tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te repures, aut ſpecialiter dilectum æſtimes, ſi in magna fueris deuotione, aut dulcedine: quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis: nec in iſtis conſiſtit profectus, & perfectio hominis.

3 In quo ergo Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati diuinæ, non quærendo quæ tua ſunt, nec in paruo, nec in magno; nec in tempore, nec in æternitate: ita vt vna æquali facie, in gratiarum actione permaneas inter proſpera, & contraria, omnia æqua lance penſando. Si fueris tam fortis, & longanimus in ſpe, vt ſubtracta inferiori conſolatione, etiam ad ampliora ſuſtinenda cor tuum præparaueris, nec te iuſtificaueris; quaſi hæc tantaque pati immeritò deberes, ſed me in omnibus diſpoſitionibus iuſtificaueris, & ſanctum laudaueris, in vera, & recta via pacis ambulas: & ſpes indubitata erit, quòd rurſus in iubilo faciem meam ſis viſurus. Quòd ſi ad plenum tui ipſius contemptum perueneris, ſcito,

quòd tunc abũndantia pacis perfrueris, ſecundùm poſſibilitatem tui incolatus.

De Eminentia liberæ mentis, quam ſupplex Oratio magis meretur, quàm Lectio.
Cap. XXVI.

1 DOmine, hoc opus eſt perfecti viri, numquam ab intentione cæleſtium animum relaxare; & inter multas curas, quaſi ſine cura tranſire: non more torpentis, ſed prærogatiua quadam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo.

2 Obſecro te, pijſſime Deus meus, præſerua me a curis huius vitæ: ne nimis implicitcr a multis neceſſitatibus corporis: ne voluptate capiar ab vniuerſis animæ obſtaculis: ne moleſtijs fractus deijciar. Non tantum dico ab his rebus, quas toto affectu ambit mundus, ſiue mundana vanitas: ſed
Gen. 2. ab his miſerijs, quæ animam ſerui tui com-
Rom. 7. muni maledicto mortalitatis pœnaliter grauãt, & retardant: ne in libertatem ſpiritus, quotiens libuerit, valeat introire.

3 O Deus meus, dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem conſolationem carnalem, ab æternorum amore me abſtrahentem: & ad ſe, intuitu cuiuſdam

boni

boni delectabilis præſentis malè allicientē.
Non me vincant, Deus meus, non me vincant caro, & ſanguis; non me decipiat mūdus, & breuis gloria eius; non me ſupplantet diabolus, & aſtutia illius. Da mihi fortitudinem reſiſtendi, patientiam tolerandi, conſtantiam perſeuerandi. Da pro omnibus mundi conſolationibus, ſuauiſſimam Spiritus tui vnctionem; & pro carnali amore, tui nominis infunde amorem. Rom. 12.

4 Ecce cibus, potus, veſtis, ac cætera vtenſilia, ad corporis ſuſtentaculum pertinentia, feruenti ſpiritui ſunt oneroſa. Tribue talibus fomentis temperatè vti, non deſiderio nimio implicari. Abijcere omnia non licet, quia natura ſuſtētanda eſt: requirere autem ſuperflua, & quæ magis delectant, lex ſancta prohibet: nam alias caro aduerſus ſpiritum inſoleſceret. Inter hæc, quæſo, manus tua me regat, & doceat, ne quid nimium fiat.

Quòd priuatus amor a ſummo Bono maximè retardat. Cap. XXVII.

1 Fili, oportet te dare totum pro toto, & nihil tui ipſius eſſe. Scito, quòd amor tui ipſius magis nocet tibi, quàm aliæ res mundi. Secundùm amorem, & affectū,

quem geris, quælibet res plus, vel minus
Matth. 6. adhæret. Si fuerit amor tuus purus, ſimplex, & benè ordinatus, eris ſine captiuitate rerum: Noli concupiſcere, quod non licet habere. Noli habere, quod te impedire, & libertate interiori poſſit priuare. Mirum, quod non ex toto fundo cordis teipſum mihi committas, cum omnibus, quæ deſiderare potes, vel habere.

2 Quare vano mœrore conſumeris? Cur
Exod. 18. & Mic. 4. ſuperfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentū. Si quæris hoc, vel illud, & volueris eſſe ibi: vel ibi propter tuum commodum, & proprium beneplacitum tuum magis habendum, numquam eris in quietudine, nec liber a ſollicitudine: quia in omni re reperiſur aliquis defectus: & in omni loco erit, qui aduerſetur.

3 Iuuat ergo non quælibet res adepta, vel multiplicata exteriùs: ſed potiùs contempta, & deciſa ex corde radicitùs. Quod non tantùm de cenſu æris, & diuitiarum intelligas, ſed de honoris etiam ambitu, ac vanæ laudationis deſiderio: quæ omnia tranſeunt cum mundo. Munit parum locus, ſi deeſt ſpiritus feruoris: nec diu ſtabit pax illa quæſita foriſecus, ſi vacat a vero fundamento ſtatus cordis, hoc eſt, niſi ſteteris

in

in me; permutare te potes, ſed non meliorare. Nam occaſione orta, & accepta, inuenies quod fugiſti, & ampliùs.

Oratio pro pùrgatione Cordis.

4 Confirma me Deus per gratiam ſancti Spiritus. Da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili ſollicitudine, & angore euacuare, nec varijs deſiderijs trahi cuiuſcumque rei vilis, aut pretioſæ: ſed omnia inſpicere ſicut tranſeuntia, & me pariter cum illis tranſiturum: quia nihil permanens ſub ſole, vbi omnia vanitas, & afflictio ſpiritus. O quàm ſapiens, qui ita conſiderat. Pſal. 50. Epheſ. 3. Matth. 6. Eccl. 1. & 2.

5 Da mihi Domine cæleſtem ſapientiã, vt diſcam te ſuper omnia quærere, & inuenire: ſuper omnia ſapere, & diligere: & cætera, ſecundùm ordinem ſapientiæ tuæ, prout ſunt, intelligere. Da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre aduerſantẽ: quia hæc magna ſapientia, non moueri omni vento verborum, nec autem malè blandienti præbere Sireni: ſic enim incepta pergitur via ſecurè. Sap. 9. Epheſ. 4.

Contra linguas obtrectatorum.
Cap. XXVIII.

1. Cor. 4. 1 FIli,non ægrè feras, ſi quidem de te malè ſenſerint, & dixerint,quod non libenter audias. Tu deteriora de te ipſo ſentire debes,& neminem infirmiorem te credere. Si ambulas ab intra,non multum ponderabis volantia verba. Eſt non parua prudentia,ſilere in tempore malo, & introrſus ad me conuerti,nec humano iudicio diſturbari.

2 Non ſit pax tua in ore hominum. Siue enim benè, ſiue malè interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Vbi eſt vera pax,& vera gloria? Nonne in me? Et qui non ap-
Ioan.16. petit hominibus placere, nec diſplicere timet, multa perfruetur pace. Ex inordinato amore,& vano timore oritur omnis inquietudo cordis,& diſtractio ſenſuum.

Qualiter, inſtante tribulatione, Deus inuocandus, & benedicendus eſt.
Cap. XXIX.

Iob 1. 1 SIt nomen tuum, Domine, benedictũ in ſæcula: qui voluiſti hanc tentationem,& tribulationem venire ſuper me.

Non

Non poſſum eam effugere, ſed neceſſe habeo ad te confugere: vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine, modò ſum in tribulatione, & non eſt cordi meo benè, ſed multùm vexor a præſenti tribulatione. Et nunc, Pater dilecte, quid dicam? Deprehenſus ſum inter anguſtias. Saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horã, vt tu clarificeris, cum fuero valde humiliatus, & per te liberatus. Complaceat tibi Domine, vt eruas me: nam ego pauper, quid agere poſſum, & quò ibo ſine te? Da patiẽtiam Domine, etiam hac vice. Adiuua me Deus meus, & non timebo quãtumcumque grauatus fuero:

Pſal. 112. Matth. 26. Pſal. 39.

2 Et nunc inter hæc, quid dicam? Domine, fiat voluntas tua. Ego bene merui tribulari, & grauari. Oportet vtique vt ſuſtineã: & vtinam patienter, donec tranſeat tempeſtas, & meliùs fiat. Potens eſt autem omnipotens manus tua, etiam hanc tentationem a me auferre, & eius impetum mitigare: ne penitus ſuccumbam, quemadmodũ & priùs ſæpiùs egiſti mecum, Deus meus, miſericordia mea. Et quantò mihi difficiliùs, tantò tibi facilior eſt hæc mutatio dexteræ Excelſi.

Matth. 6. Pſal. 76.

De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ. Cap. XXX.

Nahum. 1. Matth. 11. 1 FIli, ego Dominus confortans in die tribulationis. Venias ad me, cum tibi non fuerit benè. Hoc eſt, quod maximè impedit conſolationem cæleſtem, quia tardiùs te conuertis ad orationem. Nam antequã me intentè roges, multa interim ſolatia quæris, vt recrees te in externis. Ideoq. fit, vt parum omnia proſint, donec aduertas; quia ego ſum, qui eruo ſperantes in me: nec eſt extra me valens auxilium, neque vtile conſilium, ſed neque durabile remedium. Sed iam reſumpto ſpiritu, poſt tempeſtatẽ reconualeſce in luce miſerationum mearũ: quia prope ſum (dicit Dominus) vt reſtaurẽ vniuerſa, non ſolùm integrè, ſed & abundanter, & cumulatè.

2 Numquid mihi quidquam eſt difficile,
Matth. 23. aut ero ſimilis dicenti, & non facienti? Vbi eſt fides tua? Sta firmiter, & perſeueranter. Eſto longanimis, & fortis vir, veniet tibi cõſolatio in tempore ſuo. Expecta me, expecta: veniam, & curabo te. Tentatio eſt, quæ te vexat: & formido vana, quæ te exterret. Quid importat ſollicitudo de futuris contingentibus, niſi vt triſtitiam ſuper triſtitiã

ha-

habeas? Sufficiat diei malitia ſua. Vanum eſt, & inutile, de futuris contingentibus conturbari, vel gratulari, quæ fortè numquam euenient. Match. 6.

3 Sed humanum eſt huiuſmodi imaginationibus illudi: & parui adhuc animi ſignum, tam leuiter trahi a ſuggeſtione inimici. Ipſe enim non curat, vtrum veris, an falſis illudat, & decipiat: vtrum præſentium amore, aut futurorum formidine proſternat. Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet. Crede in me, & in miſericordia mea habeto fiduciam. Quando tu putas te elongatum a me, ſæpe ſum propinquior. Pſal. 90. Quando tu æſtimas pænè totum perditum, tunc ſæpe maius merendi inſtat lucrum. Non eſt totum perditum, quando res accidit in contrarium. Non debes iudicare ſecundùm præſens ſentire: nec ſic grauitati alicui, vndecumque venienti inhærere, & accipere, tamquam omnis ſpes ſit ablata emergendi.

4 Noli putare te relictum ex toto, quamuis ad tempus tibi miſerim aliquam tribulationem, vel etiam optatam ſubtraxerim conſolationem: ſic enim tranſitur ad Regnum cælorum. Et hoc ſine dubio magis expedit tibi, & omnibus ſeruis meis, vt exercitemini aduerſis, quàm ſi cūcta ad libitum habe-

habereti. Ego noui cogitationes abſconditas: quia multùm expedit pro ſrlnte tua, vt interdum ſine ſapore relinquaris: ne fortè eleueris in bono ſucceſſu, & tibi ipſi placere velis in eo, quod non es. Quod dedi, auferre poſſum; & reſtituere, cum mihi placuerit.

5 Cum dedero, meum eſt; cum ſubtraxero, tuum non tuli: quia meum eſt omne datum bonum, & omne donum perfectum. Si
Iac.1. tibi mandauero grauitatem, aut quamlibet contrarietatem, ne indigneris, neque concidat cor tuum; & ego citò ſubleuare poſſum, & omne onus in gaudium tranſmutare. Verumtamen iuſtus ſum, & recommendabilis multùm, cum ſic facio tecum.

6 Si rectè ſapis, & in veritate aſpicis, nũquam debes propter aduerſa tam deiectè contriſtari, ſed magis gaudere, & gratias agere; immo hoc vnicum reputare gaudiũ, quod affligens te doloribus, non parco tibi.
Ioan.16. Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos; dixi dilectis meis Diſcipulis: quos vtique non miſi ad gaudia temporalia, ſed ad magna certamina; non ad honores, ſed ad deſpectiones, non ad otium, ſed ad labores; non ad requiem, ſed ad afferendum fructum multum in patientia. Horum memento, fili mi, verborum.

De

De neglectu omnis creaturæ, vt Creator poſſit inueniri. Cap. XXXI.

1 DOmine mi, adhuc benè indigeo maiori gratia, ſi debeam illuc peruenire, vbi me nemo poterit, nec vlla creatura, impedire. Nam quamdiu res aliqua me retinet, non poſſum liber ad te volare. Cupiebat liberè volare, qui dicebat: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Quid ſimplici oculo quietius? Et quid liberius, nil deſiderante in terris? Oportet igitur omnem ſupertranſire creaturam, & ſe ipſum perfectè deſerere, ac in exceſſu mentis ſtare, & videre te omnium Conditorem, cum creaturis nil ſimile habere. Et niſi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere diuinis. Ideo enim pauci inueniuntur contemplatiui, quia pauci ſciunt ſe a peritu-ris, & creaturis ad plenum ſequeſtrari. Pſal. 54. Matth. 6.

2 Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animam leuet, & ſupra ſeipſam rapiat. Et niſi homo ſit in ſpiritu eleuatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac Deo totus vnitus; quidquid ſcit, quidquid etiam habet, non eſt magni ponderis. Diu paruus erit, & infra iacebit, qui aliquid magni æſtimat, niſi

ſolum

ſolum vnum immenſum, æternum bonum. Nam quidquid Deus non eſt, nihil eſt, & pro nihilo computari debet. Eſt quippe magna differentia ſapientia illuminati, & deuoti viri: & ſcientia litterati, atque ſtudioſi Clerici. Multò nobilior eſt illa doctrina, quæ de ſurſum ex diuina influentia manat; quàm quæ laberiosè humano acquiritur ingenio.

3 Plures reperiuntur contemplationem deſiderare, ſed quæ ad eam requiruntur, non ſtudent exercere. Eſt magnum impedimentũ, quia in ſignis, & in rebus ſenſibilibus ſtatur, & parum de perfecta mortificatione habetur. Neſcio quid eſt, quo ſpiritu ducimur, & quid prætendimus, qui ſpirituales dici videmur: quòd tantum laborem, & ampliorem ſollicitudinem pro tranſitorijs, & vilibus rebus agimus, & de interioribus noſtris vix rarò, plenè recollectis ſenſibus, cogitamus.

4 Proh dolor, ſtatim poſt modicam recollectionem, foras erumpimus: nec opera noſtra, diſtricta examinatione ruminamus. Vbi iacent affectus noſtri, non attendimus: & quàm impura ſint omnia noſtra, non deploramus. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam, & ideo ſequebatur diluuium magnum. Cum ergo interior affectus noſter

Gen. 6. & 7.

ſter

ſter multum corruptus ſit, neceſſe eſt, vt actio ſequens, index carentiæ interioris vigoris, corrumpatur. Ex puro corde procedit fructus bonæ vitæ.

5 Quantum quis fecerit, quæritur: ſed ex quanta virtute agit, non tam ſtudioſè penſatur. Si fuerit fortis, diues, pulcher, habilis, vel bonus ſcriptor, vel cantor bonus, laborator bonus, inueſtigatur: quàm pauper ſit ſpiritu; quàm patiens, & mitis; quàm deuotus, & internus, a multis tacetur. Natura exteriora hominis reſpicit, gratia ad interiora ſe conuertit. Illa frequenter fallitur, iſta in Deo ſperat, vt non decipiatur.

De abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis. Cap. XXXII.

1 FIli, non potes perfectam poſſidere libertatem, niſi totaliter abneges te- Matth. 16. & 19.
metipſum. Compediti ſunt omnes proprietarij, & ſui ipſius amatores, cupidi, curioſi, gyrouagi, quærentes ſemper mollia, non quæ Ieſu Chriſti; ſed ſæpe hoc fingentes, & componentes, quod nō ſtabit. Peribit enim totum, quod non eſt ex Deo ortum. Tene breue, & conſummatum verbum: Dimitte omnia, & inuenies omnia. Dimitte cupiditatem, & reperies requiem. Hoc mēte pertracta: & cum impleueris, intelliges omnia.

2 Domine, hoc non eſt opus vnius diei, nec ludus paruulorum: immo in hoc breui includitur omnis perfectio religioſorum. Fili, non debes auerti, nec ſtatim deijci, audita via perfectorum; ſed magis ad ſublimiora prouocari, & ad minus ad hæc ex deſiderio ſuſpirare. Vtinam ſic tecum eſſet, & ad hoc perueniſſes, vt tui ipſius amator non eſſes, ſed ad nutum meum purè ſtares, & eius, quem tibi præpoſui patris: tunc mihi valde placeres, & tota vita tua cum gaudio, & pace tranſiret. Adhuc multa habes ad relinquendum: quæ niſi mihi ex integro reſignaueris, non acquires, quod poſtulas.
Apoc. 3. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, vt locuples fias, id eſt, cæleſtem ſapientiam, omnia infima conculcantem. Poſtpone terrenam ſapientiam, omnem humanam complacentiam, & propriam.

3 Dixi, viliora tibi emenda pro pretioſis, & altis in rebus humanis. Nam vilis, & parua, ac penè obliuioni tradita, videtur vera cæleſtis ſapientia, non ſapiens alta de ſe, nec magnificari quærens in terra, quam multi ore tenus prædicant; ſed vita longè diſſentiunt: ipſa tamen eſt pretioſa marga-
Matth. 13. rita, a multis abſcondita.

De inſtabilitate cordis, & intentione finali ad Deum habenda. Cap. XXXIII.

1 FIli,noli credere affectui tuo:qui nũc eſt,citò mutabitur in aliud:Quamdiu vixeris, mutabilitati ſubiectus es,etiam nolens;vt modò lætus ,modò triſtis ,modò placatus, modò turbatus ; nunc deuotus, nunc indeuotus; nunc ſtudioſus,nunc acedioſus; nunc grauis, nunc leuis inueniaris. Sed ſtat ſuper hæc mutabilia ſapiens:& benè doctus in ſpiritu,non attendens , quid in ſe ſentiat,vel qua parte ſtet ventus inſtabilitatis: ſed vt tota intentio mentis eius , ad debitum,& optimum proficiat finem. Nam ſic poterit vnus, & idem,inconcuſſuſq. permanere, & ſimplici intentionis oculo, per tot varios euentus ad me imprætermiſsè directo. Iob 14.

2 Quantò autem fuerit purior intentionis oculus, tantò conſtantiùs inter diuerſas itur procellas. Sed in multis caligat oculus puræ intentionis : reſpicit enim citò in aliquod delectabile,quod occurrit.Nam & raròtotus liber quis inuenitur a næuo propriæ exquiſitionis.Sic Iudæi olim venerant in Bethaniam ad Mariam, & Martham non propter Ieſum tantùm,ſed & vt Lazarum Matth.6. Ioan. 12.

viderent. Mundandus eſt ergo intentionis
Matth.6. oculus, vt ſit ſimplex, & rectus, atque vltra
omnia varia media ad me dirigendus.

Quòd amanti ſapit Deus ſuper omnia, & in omnibus. Cap. XXXIV.

1 Ecce Deus meus, & omnia. Quid volo amplius, & quid felicius deſiderare poſſum? O ſapidum, & dulce verbum! ſed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt. Deus meus, & omnia. Intelligenti ſatis dictum eſt: & ſæpe repetere, iucundum eſt amanti. Te ſiquidem præſente, iucunda ſunt omnia; te autem abſente, faſtidiunt omnia. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiamque feſtiuam. Tu facis benè ſentire de omnibus, & in omnibus te laudare: nec poteſt aliquid diu ſine te placere: ſed ſi debet gratum eſſe, & benè ſapere, oportet gratiam tuam adeſſe, & condimento tuæ ſapientiæ condiri.

2 Cui tu ſapis, quid ei rectè non ſapiet? Et cui tu non ſapis, quid ei ad iucunditatem
1. Cor. 1. eſſe poterit? Sed deficiunt in tua ſapientia
Rom.8. & mundi ſapientes, & qui carnem ſapiũt; quia
Ioan.2. ibi plurima vanitas, & hic mors inuenitur. Qui autem te per contemptum mundanorum, & carnis mortificationem ſequuntur,

verè

verè ſapientes eſſe cognoſcuntur; quia de vanitate ad veritatem, de carne ad ſpiritum transferuntur. Iſti ſapit Deus, & quidquid boni inuenitur in creaturis, totum referunt ad laudem ſui Creatoris. Diſſimilis tamen, & multum diſſimilis ſapor Creatoris, & creaturæ; æternitatis, & temporis; lucis increatæ, & lucis illuminatæ.

3 O Lux perpetua, cuncta creata tranſcendens lumina, fulgura coruſcationem, de ſublimi penetrantem omnia intima cordis mei! Purifica, lætifica, clarifica, & viuifica ſpiritum meum, cum ſuis potentijs ad inhærendum tibi iubiloſis exceſſibus. O quãdo veniet hæc beata, & deſiderabilis hora, vt tua me ſaties præſentia, & ſis mihi omnia in omnibus! Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit. Adhuc, proh dolor, viuit in me vetus homo; non eſt totus crucifixus, non eſt perfectè mortuus. Adhuc concupiſcit fortiter aduerſus ſpiritum, bella mouet inteſtina, nec regnum animæ patitur eſſe quietum. Rom. 7.

4 Sed tu, qui dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius mitigas, exurge, adiuua me. Diſſipa gentes, quæ bella volunt: contere eas in virtute tua: oſtende, quæſo, magnalia tua, & glorificetur dextera tua; quia non eſt ſpes alia, nec Pſal. 88. Pſal. 71.

Pſal. 30. refugium mihi, niſi in te Domine Deus meus.

Quòd non eſt ſecuritas a tentatione in hac vita. Cap. XXXV.

Iob 7. 1 FIli, numquam ſecurus es in hac vita, ſed quoad vixeris, ſemper arma ſpiritualia tibi ſunt neceſſaria. Inter hoſtes verſatis, & a dextris, & a ſiniſtris impugnaris. Si ergo non vteris vndique ſcuto patientiæ, non eris diu ſine vulnere. Inſuper ſi non ponis cor tuum fixè in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris iſtum ardorem ſuſtinere, nec ad palmam pertingere Beatorum. Oportet te ergo viriliter omnia pertranſire, & potenti manu vti aduerſus obiecta. Nam vincenti datur manna, ſed & torpenti relinquitur multa miſeria.

2. Cor. 6. (margin)

Apoc. 2. (margin)

2 Si quæris in hac vita requiem, quomodò tunc peruenies ad æternam requiem? Non ponas te ad multam requiem, ſed ad magnam patientiam. Quære veram pacem, non in terris, ſed in cælis; non in hominibus, nec in cæteris creaturis, ſed in Deo ſolo. Pro amore Dei, debes omnia libenter ſubire, labores ſcilicet, & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, neceſſitates, infirmi-

firmitates, iniurias, oblocutiones, reprehẽſiones, humiliationes, confuſiones, correctiones, & deſpectiones. Hæc iuuant ad virtutem: hæc probant Chriſti tyronem: hæc fabricant cæleſtem coronam. Ego reddam ei æternam mercedem pro breui labore, & infinitam gloriam pro tranſitoria confuſione.

3 Putas, quòd ſemper habebis pro tua voluntate conſolationes ſpirituales? Sancti mei non habuerunt ſemper tales, ſed multas grauitates, & tentationes varias, magnaſq. deſolationes. Sed patienter ſuſtinuerunt in omnibus, & magis confiſi ſunt Deo, quàm ſibi: ſcientes, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam promerendam. Vis tu ſtatim habere, quod multi poſt multas lacrymas, & magnos labores vix obtinuerunt? Expecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere, noli diſcedere; ſed corpus, & animam expone conſtanter pro gloria Dei. Ego reddam pleniſſimè; ego tecum erō in omni tribulatione.

Rom. 8.

Pſal. 26.

Contra vana hominum iudicia.
Cap. XXXVI.

1 FIli, iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudiciũ,

vbi te conſcientia pium reddit, & inſontem. Bonum eſt, & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humili cordi, & Deo magis, quàm ſibi ipſi confidenti. Multi multa loquuntur, & ideo parua fides eſt adhibēda. Sed & omnibus ſatis eſſe, non eſt poſſibile. Et ſi Paulus omnibus ſtuduit in Domino placere, & omnibus omnia factus eſt: tamen etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuerit.

1. Cor. 9. & 2. Cor. 4. & Coloſs. 1.

2 Egit ſatis pro aliorum ædificatione, & ſalute, quantum in ſe erat, & poterat: ſed ne ab alijs aliquando iudicaretur, vel deſpiceretur, cohibere non potuit. Ideo totum Deo commiſit, qui totum nouerat: & patientia, ac humilitate contra ora loquentium iniqua; aut etiam vana, ac mendoſa cogitantium, atque pro libitu ſuo quæque iactantium, ſe defendit. Reſpondit tamen interdum, ne infirmis ex ſua taciturnitate generaretur ſcandalum.

Act. 26. & Phil. 1.

3 Quis tu, vt timeas a mortali homine? Hodie eſt, & cras non cōparet. Deū time; & hominū terrores non expaueſces. Quid poteſt aliquis in te verbis, aut iniurijs? Sibi potiùs nocet, quàm tibi: nec poterit iudiciū Dei effugere, quicumque eſt ille. Tu habe Deum præ oculis, & noli contendere verbis queruloſis. Quòd ſi ad præſens tu videris ſuc-

1. Mac. 2.

Rom. 2. & 1. Cor. 11.

ſuccumbere, & confuſionem pati, quam non meruiſti: ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minus coronam tuam: ſed potiùs ad me reſpice in cælum, qui potens ſum eripere ab omni confuſione, & iniuria, & vnicuique reddere ſecundùm opera ſua. Heb. 12.

De pura & integra reſignatione ſui, ad obtinendam cordis libertatem. *Cap. XXXVII.*

1 FIli, relinque te, & inuenies me. Sta ſine electione, & omni proprietate, & ſemper lucraberis. Nam & adijcietur tibi amplior gratia, ſtatim vt te reſignaueris, nec reſumpſeris. Domine, quotiens me reſignabo, & in quibus me relinquam? Semper, & omni hora, ſicut in paruo, ſic & in magno. Nihil excipio, ſed in omnibus te nudatum inueniri volo. Alioquin quomodò poteris eſſe meus, & ego tuus, niſi fueris ab omni propria voluntate, intus, & foris ſpoliatus? Quantò celeriùs hoc agis, tantò meliùs habebis; & quantò pleniùs, & ſynceriùs, tantò mihi plus placebis, & ampliùs lucraberis. Matth. 16

2 Quidam ſe reſignant, ſed cum aliquali exceptione: non enim plenè Deo confidũt,

ideo ſibi prouidere ſatagunt. Quidam etiã primò totum ſe offerunt, ſed poſtea, tentatione pulſante, ad propria redeunt, ideo in virtute minimè proficiunt. Hi ad veram puri cordis libertatem, & iucundæ familiaritatis meæ gratiam non pertingent: niſi integra reſignatione, & quotidiana ſui immolatione priùs facta: ſine qua non ſtat, nec ſtabit vnio fruitiua.

3 Dixi tibi ſæpiſſimè, & nunc iterum dico: Relinque te, reſigna te, & frueris magna in terna pace. Da totum pro toto: nil exquire, nil repete: ſta purè, & inhæſitanter in me, & habebis me. Eris liber in corde, & tenebræ non conculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc ſtude deſiderare, vt ab omni proprietate poſſis exſpoliari, & nudus nudũ Ieſum ſequi; tibi mori, & mihi æternaliter viuere. Tunc deficient omnes vanæ phantaſiæ, conturbationes iniquæ, & curæ ſuperfluæ. Tunc etiam recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

Matth. 16.

De bono regimine in externis & recurſu ad Deum in periculis.
Cap. XXXVIII.

1 FIli, ad iſtud diligenter tendere debes, vt in omni loco, & actione, ſeu occupatio-

patione externa, ſis intus liber, & tui ipſius potens, & ſint omnia ſub te, & tu non ſub eis: vt ſis Dominus actionum tuarum, & rector, non ſeruus, nec emptitius: ſed magis exemptus, veruſque Hebræus, in ſortem, ac libertatem tranſiens filiorum Dei: qui ſtant ſuper præſentia, & ſpeculantur æterna: qui tranſitoria ſiniſtro intuentur oculo, & dextro cæleſtia: quos temporalia non trahunt ad inhærendum, ſed trahunt ipſi ea magis ad benè ſeruiendum: prout ordinata ſunt a Deo, & inſtituta a ſummo Opifice: qui nil inordinatum reliquit in ſua creatura.

2 Si etiam in omni euentu ſtas, non in apparentia externa, nec oculo carnali luſtras viſa, vel audita: ſed mox in qualibet cauſa, intras cum Moyſe in tabernaculum, Exod. 33.
ad conſulendum Dominum: audies nonnumquam diuinum reſponſum, & redies inſtructus de multis præſentibus & futuris. Semper enim Moyſes recurſum habuit ad tabernaculum, pro dubijs, & quæſtionibus ſoluendis: fugitque ad orationis adiutoriũ, pro periculis, & improbitatibus hominum ſubleuandis. Sic & tu confugere debes in Matt. 6.
cordis tui ſecretarium, diuinum intentiùs implorando ſuffragium. Propterea namque Ioſue, & filij Iſrael, a Gabaonitis leguntur Ioſue 9.
decepti, quia os Domini priùs non interroga-

gaue-

gauerunt, ſed nimium creduli dulcibus ſermonibus, falſa pietate deluſi ſunt.

Quòd homo non ſit importunus in negotÿs.
Cap. XXXIX.

1 FIli, cõmitte mihi ſemper cauſam tuã, ego benè diſponam in tempore ſuo. Expecta ordinationem meam, & ſenties inde profectum. Domine, ſatis libenter omnes res tibi committo, quia parum poteſt cogitatio mea proficere. Vtinam non multùm adhærerem futuris euentibus, ſed ad beneplacitum tuum incunctanter me offerrem.

2 Fili mi, ſæpe homo rem aliquam vehementer agitat, quam deſiderat: ſed cum ad eam peruenerit, aliter incipit ſentire, quia affectiones circa idem non ſunt durabiles; ſed magis de vno ad aliud impellunt. Non ergo minimum eſt, etiam in minimis ſeipſum relinquere.

3 Verus profectus hominis eſt abnegatio ſui ipſius; & homo abnegatus, valde li-
1. Pet. 5. ber eſt, & ſecurus. Sed antiquus hoſtis, omnibus bonis aduerſans, a tentationibus non ceſſat; ſed die, noctuq. graues molitur inſidias, ſi fortè in laqueũ deceptionis poſſit
Matth. 16 præcipitare incautũ. Vigilate, & orate, dicit Dominus, vt non intretis in tentationem.

Quòd

Quòd homo nihil boni ex ſe habet, & de nullo grauari poteſt. X L.

1 DOmine, quid eſt homo, quòd memor ſis eius: aut filius hominis, quia viſitas eum? Quid promeruit homo, vt dares illi gratiam tuam? Domine, quid poſſum conqueri, ſi deſeris me? aut quid iuſtè obtendere poſſum, ſi quod peto, non feceris? Certè hoc in veritate cogitare poſſum, & dicere: Domine nihil ſum, nihil poſſum, nihil boni ex me habeo: ſed in omnibus deficio, & ad nihil ſemper tendo. Et niſi a te fuero adiutus, & interiùs informatus, totus efficior tepidus, & diſſolutus. Pſal. 8.

2 Tu autem Domine, ſemper idem ipſe es, & permanes in æternum: ſemper bonus, iuſtus, & ſanctus: benè, iuſtè, ac ſanctè agens omnia, & diſponens in ſapientia. Sed ego, qui ad defectum, magis pronus ſum, quàm ad profectum; non ſum ſemper in vno ſtatu perdurans; quia ſeptem tempora mutantur ſuper me. Verumtamen citò melius fit, cum tibi placuerit, & manum porrexeris adiutricem: quia tu ſolus ſine humano ſuffragio poteris auxiliari, & in tantum confirmare, vt vultus meus ampliùs in diuerſa non mutetur; ſed in te vno cor meum conuertatur, & quieſcat. Pſal. 101.

3 Vnde,

3 Vnde, ſi benè ſcirem omnem humanã conſolationem abijcere, ſiue propter deuotionẽ adipiſcendã, ſiue proprer neceſſitatem, qua compellor te quærere, quia non eſt homo, qui me conſoletur; tunc meritò poſſem de gratia tua ſperare, & de dono gratiæ nouæ exultare.

4 Gratias tibi, vnde totum venit, quotieſcumque mihi benè ſuccedit. Ego autem vanitas, & nihilum ante te, inconſtans homo, & infirmus. Vnde ergo poſſum gloriari, aut cur appeto reputari? Numquid de nihilo? & hoc vaniſſimum eſt. Verè inanis gloria, mala peſtis, vanitas maxima; quia a vera trahit gloria, & cæleſti ſpoliat gratia. Dum enim homo complacet ſibi, diſplicet tibi; dum inhiat laudibus humanis, priuatur veris virtutibus.

Abac. 3. 5 Eſt autem vera gloria, & exultatio ſancta gloriari in te, & non in ſe: gaudere in nomine tuo, non in virtute propria: nec in aliqua creatura gloriari, & delectari, niſi pro-
Pſal. 112. & 113. pter te. Laudetur nomen tuum, non meum; magnificetur opus tuum, non meum; benefica tur nomen ſanctum tuum, nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei; In te gloriabor, & exultabo tota die; pro me autẽ nihil, niſi in infirmitatibus meis.

6 Quæ-

6 Quærant Iudæi gloriam, quæ ab inuicem eſt; ego hanc requiram, quæ a ſolo Deo eſt. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ gloriæ tuæ comparata, vanitas eſt ſtultitia. O veritas mea & miſericordia mea, Deus meus, Trinitas beata! tibi ſoli laus, virtus, honor, & gloria, per infinita ſæcula ſæculorum. Ioan. 5.

De contemptu omnis temporalis honoris. Cap. XLI.

1 FIli, noli tibi attrahere, ſi videas alios honorari, & eleuari; te autem deſpici, & humiliari. Erige cor tuum ad me in cælũ, & non contriſtabit te contemptus hominis in terris. Domine, in cæcitate ſumus, igitur pro vanitate citò ſeducimur. Si rectè me inſpicio, numquam facta eſt mihi iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iuſtè habeo conqueri aduerſum te.

2 Quia autẽ frequenter, & grauiter peccaui tibi, meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur iuſtè debetur confuſio, & contemptus; tibi autem laus, honor, & gloria. Et niſi me ad hoc præparauero, quod velim libenter ab omni creatura deſpici, & relinqui, atque penitus nihil videri;

non poſſum interius pacificari, & ſtabiliri; nec ſpiritualiter illuminari, neque tibi plenè vniri.

Quòd pax non eſt ponenda in hominibus. *Cap. XLII.*

1 FIli, ſi ponis pacem tuam cum aliqua perſona, propter tuum ſentire, vel conuiuere, inſtabilis eris, & implicatus. Sed ſi recurſum habes ad ſemper viuentem, & manentem Veritatem, non contriſtabit te amicus recedens, & moriens. In me debet amici dilectio ſtare: & propter me diligendus eſt, quiſquis tibi bonus viſus eſt, & multum charus in hac vita. Sine me non valet, nec durabit amicitia: nec eſt munda, & vera dilectio, quam ego nõ copulo. Ita mortuus debes eſſe talibus affectionibus dilectorum hominum, vt (quantum ad te pertinet) ſine omni humano optares eſſe conſortio. Tantò homo Deo magis appropinquat, quantò ab omni ſolatio terreno longiùs recedit. Tantò etiam altiùs aſcendit ad Deum, quãtò profundiùs in ſe deſcendit, & plus ſibi ipſi vileſcit.

2 Qui autem aliquid boni ſibi attribuit, gratiam Dei in ſe venire impedit: quia gra-
1. Petr. 5. tia Spiritus sãcti cor humile ſemper quærit.

Si

Si ſcires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore euacuare, tūc deberem in te cum magna gratia emanare. Quando tu reſpicis ad creaturas, ſubtrahitur tibi aſpectus Creatoris. Diſce te in omnibus propter Creatorem vincere, tunc ad diuinam valebis cognitionem pertingere. Quātumcumque modicum ſit, ſi inordinatè diligitur, & reſpicitur, retardat a ſummo Bono, quod ſuper omnia diligendum eſt & reſpiciendum: & vitiat.

Contra vanam, & ſæcularem ſcientiam.
Cap. XLIII.

1 FIli, non moueant te pulchra, & ſubtilia hominum dicta. Non enim eſt Regnum Dei in ſermone, ſed in virtute. Attēde verba mea, quæ corda accendunt, & mētes illuminant: inducunt compunctionem, & variam ingerunt conſolationem. Nunquā ad hoc legas verbum, vt doctior, aut ſapientior poſſis videri; ſed ſtude mortificationi vitiorum, quia hoc ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæſtionum. 1. Cor. 4.

2 Cum multa legeris, & cognoueris, ad vnum ſemper oportet redire principium. Ego ſum, qui doceo hominem ſcientiam: &

cla-

clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quàm ab homine poſſit doceri. Cui ego loquor, citò ſapiens erit, & multùm in ſpiritù proficiet. Væ eis, qui multa curioſa ab hominibus inquirunt, & de via mihi ſeruiẽdi parum curant. Veniet tempus, quando apparebit Magiſter magiſtrorum, Chriſtus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc eſt, ſingulorum examinaturus conſcientias. Et tunc ſcrutabitur Hieruſalem in lucernis, & manifeſta erunt abſcondita tenebrarum, tacebuntq. argumenta linguarum.

Soph. 1. 1. Cor. 4.

3 Ego ſum, qui humilem in puncto eleuo mentem, vt plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm ſi quis decem annis ſtuduiſſet in ſcholis. Ego doceo ſine ſtrepitu verborum, ſine confuſione opinionum, ſine faſtu honoris, ſine impugnatione argumentorum. Ego ſum qui doceo terrena deſpicere, præſentia faſtidire, æterna quærere, ac ſapere, honores fugere, ſcandala ſufferre, omnem ſpem in me ponere, extra me nil cupere, & ſuper omnia ardenter me amare.

4 Nam quidam amando me intimè, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in ſtudẽdo difficilia. Sed alijs loquor communia, alijs ſpecialia: aliquibus in ſignis, & figu-

An ſe ipſum intelligit?

figuris dulciter appareo, quibuſdam verò in multo lumine reuelo myſteria. Vna vox librorum, ſed non æquè omnes informat: quia intus ſum doctor, veritatis cordis ſcrutator, cogitationum intellector, actionum promotor, diſtribuens ſingulis, ſicut dignũ iudicauero.

De non attrahendo ſibi res exteriores. Cap. XLIV.

1 Filí, in multis oportet te eſſe inſciũ, & æſtimare te tamquam mortuum ſuper terram, & cui totus mundus crucifixus ſit. Gal 6. Multa etiam oportet ſurda aure pertranſire, & quæ tuæ pacis ſunt magis cogitare. Vtiliùs eſt oculos a rebus diſplicentibus auertere, & vnicuique ſuum ſentire relinquere, quàm contentioſis ſermonibus deſeruire. Si benè ſteteris cum Deo, & eius iudicium aſpexeris. faciliùs te victum portabis.

2 O Domine quouſque venimus? Ecce damnum defletur temporale, pro modico quæſtu laboratur, & curritur: & ſpirituale detrimentum in obliuionem tranſit, & vix ſerò reditur. Quod parum, vel nihil prodeſt, attenditur; & quod ſummè neceſſarium eſt, negligenter præteritur: quia totus

homo ad externa defluit, & niſi citò reſipiſcat, libens in exterioribus iacet.

Quòd omnibus non eſt credendum, & de facili lapſu verborum. Cap. XLV.

Pſal. 59. 1 DA mihi auxilium, Domine, de tribulatione, quia vana ſalus hominis. Quàm ſæpe ibi non inueni fidem, vbi me habere putaui? Quoties etiam ibi reperi, vbi minus præſumpſi? Vana ergo ſpes in hominibus; ſalus autem Iuſtorum in te Deus. Benedictus ſis Domine Deus in omnibus, quæ nobis accidunt. Infirmi ſumus, & inſtabiles, citò fallimur, & permutamur.

2 Quis eſt homo, qui ita cautè, & circũſpectè in omnibus ſe cuſtodire valet, vt aliquando in aliquam deceptionem, vel per-
Prou. 10. plexitatem non veniat? Sed qui in te, Domine, confidit, ac ſimplici ex corde quærit, non tam facilè labitur. Et ſi inciderit in aliquam tribulationem, quomodocumque etiam fuerit implicatus, citiùs per te eruetur, aut a te conſolabitur: quia tu non deſeres in te ſperantem vſque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perſeuerans preſſuris. Tu Domine, tu ſolus es fideliſſimus in omnibus, & præter te non eſt talis alter.

3 O quàm benè ſapuit ſancta illa anima, quæ dixit: Mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata! Si ita mecum foret, non tam facilè timor humanus me ſollicitaret, nec verborum iacula mouerent. Quis omnia præuidere, quis præcauere mala futura ſufficit? Si præuiſa etiam lædunt ſæpe, quid improuiſa, niſi grauiter feriunt? Sed quare mihi miſero nō meliùs prouidi? Cur etiã tã facilè alijs credidi? Sed homines ſumus, nec aliud quàm fragiles homines ſumus, etiamſi Angeli a multis æſtimamur, & dicimur. Cui credam, Domine? Cui, niſi tibi? Veritas es, quæ non fallis, nec falli potes. Et rurſum: Omnis homo mendax, infirmus, & inſtabilis, labilis maximè in verbis: ita vt ſtatim vix credi debeat, quod rectum in facie ſonare videtur. S. Agatha.

4 Quam prudenter præmonuiſti, cauendum ab hominibus: & quia inimici hominis domeſtici eius: nec credendum, ſi quis dixerit: Ecce hic, aut ecce illic. Doctus ſum damno meo, & vtinam ad cautelam maiorem, & non ad inſipientiam mihi. Cautus eſto (ait quidam) cautus eſto, ſerua apud te quod dico. Et dum ego ſileo, & abſconditũ credo, nec ille ſilere poteſt, quod ſilendum petijt, ſed ſtatim prodit me, & ſe, & abijt. Ab huiuſmodi fabulis, & incautis homini- Mich. 7.

bus, protege me Domine, ne in manus eorũ incidam, nec vmquam talia committam. Verbum verum, & ſtabile da in os meum, & linguam callidam longè fac a me. Quod pati nolo, omnimodè cauere debeo.

Prou. 25. & Eſa. 24. 5 O quàm bonum, & pacificum de alijs tacere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili vlterius effari: paucis ſe ipſum reuelare, te ſemper inſpectorem cordis quærere: nec omni vento verborum circũferri, ſed omnia intima, & externa, ſecundùm tuæ beneplacitum voluntatis optare perfici. Quàm tutũ, pro conſeruatione cæleſtis gratiæ, humanam fugere apparentiam, nec appetere quæ foris admirationem vidẽtur præbere: ſed ea tota ſedulitate ſectari, quæ vitæ emendationem dant, & feruorem.

6 Quàm multis nocuit virtus ſcita, ac præproperè laudata. Quàm ſanè profuit gratia ſilentio ſeruata in hac fragili vita,
Iob 7. quæ tota tentatio fertur, & militia?

De confidentia in Deo habenda, quando inſurgunt verborum iacula. Cap. XLVI.

Pſal. 35. 1 FIli, ſta firmiter, & ſpera in me. Quid enim ſunt verba, niſi verba? Per aërẽ volant, ſed lapidem non lædunt. Si reus es, cogita, quòd libenter te velis emendare.

Si

Si nihil tibi conſcius es, penſa, quod velis libenter pro Deo hoc ſuſtinere. Parum ſatis eſt, vt vel verba interdum ſuſtineas, qui nec. dum fortia verbera tolerare vales. Et quare tam parua tibi ad cor tranſeunt, niſi quia adhuc carnalis es, & homines magis quàm oportet, attendis? Nam quia deſpici metuis, reprehendi pro exceſſibus non vis: & excuſationum quæris vmbracula.

2 Sed inſpice te meliùs, & agnoſces, quia viuit adhuc in te mundus; & vanus amor placendi hominibus. Cum enim baſſari refugis, & confundi pro defectibus, conſtat vtique, quòd nec verus humilis ſis, nec verè mundo mortuus, nec tibi mundus crucifixus. Sed audi verbum meum, & non curabis decem millia hominum verba. Ecce, ſi cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitioſiſſimè poſſent; quid tibi nocerent, ſi omnino trãſire permitteres, nec plus quàm feſtucam perpenderes? Numquid vel vnum capillum extrahere poſſent? Matth.10. & Luc.12

3 Sed qui cor intus non habet, nec Deũ præ oculis, faciliter mouetur verbo vituperationis: qui autem in me confidit, nec proprio iudicio ſtare appetit, abſque humano terrore erit. Ego enim ſum Iudex, & Dominus omnium ſecretorum: ego ſcio, qualiter res acta eſt, ego iniuriantem noui, & Pſal.7.

ſuſtinentem. A me exijt verbum iſtud, me permittente, hoc accidit, vt reuelentur ex
Luc. 2. multis cordibus cogitationes. Ego reum, & innocentem iudicabo, ſed occulto iudicio vtrumque ante probare volui.

4 Teſtimonium hominum ſæpe fallit: meum iudicium verum eſt, ſtabit, & non ſubuertetur. Latet plerumque, & paucis ad ſingula patet: numquam tamen errat, nec errare poteſt, etiamſi oculis inſipientiũ nõ rectum videatur. Ad me ergo recurrendum eſt in omni iudicio, nec proprio innitendũ
Prou. 12. arbitrio. Iuſtus enim non conturbabitur quidquid ei a Deo acciderit. Etiamſi iniuſtè aliquid contra eum prolatum fuerit, non multùm curabit. Sed nec vanè exultabit, ſi per alios rationabiliter excuſetur. Penſat
Pſal. 7. namque: quia ego ſum ſcrutans corda, &
Apoc. 2. renes: qui non iudico ſecundùm faciem, & humanam apparentiam. Nam ſæpe in oculis meis reperitur culpabile, quod hominum iudicio creditur laudabile.

5 Domine Deus, Iudex iuſte, fortis, & patiens, qui hominum noſti fragilitatem, & prauitatem; eſto robur meum, & tota fiducia mea: non enim mihi ſufficit conſcientia mea. Tu noſti, quod ego non noui; & ideo in omni reprehenſione humiliare me debui, & manſuetè ſuſtinere. Ignoſce ergo mihi pro-

propitius, quotiens ſic non egi, & dona iterum gratiam amplioris ſufferentiæ. Melior eſt mihi tua copioſa miſericordia ad conſecutionem indulgentiæ, quàm mea opinata iuſtitia pro defenſione latentis conſcientiæ. Et ſi nihil mihi conſcius ſum, tamen in hoc iuſtificare me non poſſum; quia remota miſericordia tua, non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 1. Cor. 4. Pſal. 142.

Quòd omnia grauia pro æterna vita ſunt toleranda. Cap. XLVII.

1 Fili, non frangant te labores, quos aſſumpſiſti propter me, nec tribulationes te deijciant vſquequaque: ſed mea promiſſio in omni euentu te roboret, & conſoletur. Ego ſufficiens ad reddendum ſupra omnem modum, & menſuram. Non hic diu laborabis, nec ſẽper grauaberis doloribus. Expecta pauliſper, & videbis celerem finem malorum. Veniet vna hora, quando ceſſabit omnis labor, & tumultus. Modicum eſt, & breue omne, quod tranſit cum tempore.

2 Age ergo vt agis: fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter cõtraria: digna eſt his omnibus æterna vita, & maioribus prælijs. Veniet pax in die vna, Matth. 20.

quæ nota eſt Domino: non enim erit nox, vel dies, huius ſcilicet temporis, ſed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, & re-
Rom. 7. quies ſecura. Non dices tunc: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Nec cla-
Pſal. 119. mabis: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; quoniam præcipitabitur mors, & ſalus erit indefectiua; anxietas nulla, iucunditas beata, ſocietas dulcis, & decora.
Sap. 3. & 5

3 O ſi vidiſſes in cælo Sanctorum coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultãt gloria (qui huic mundo olim contemptibiles, & quaſi vita ipſa indigni putabantur) profectò te ſtatim humiliares vſque ad terram, & affectares potiùs omnibus ſubeſſe, quàm præeſſe vni: nec huius vitæ lætos concupiſceres dies, ſed magis pro Deo tribulari gauderes: & pro nihilo inter homines computari, maximum lucrum duceres.

4 O ſi tibi hæc ſaperent, & profundè ad cor tranſirent, quomodò auderes vel ſemel conqueri? Nonne pro vita æterna cuncta laborioſa ſunt toleranda? Non eſt paruum quid, lucrari, aut perdere Regnum Dei. Leua igitur faciem tuam in cælum. Ecce ego, & omnes Sancti mei mecum, qui in hoc ſæculo magnum habuere certamen, modò gaudent, modò conſolantur, modò ſecuri ſunt, modò requieſcunt, &

fine

ſine fine mecum in Regno Patris mei permanebunt.

De die æternitatis, & huius vitæ anguſtijs.
Cap. XLVIII.

1 O Supernæ ciuitatis manſio beatiſſima! O dies æternitatis clariſſima, quã nox nõ obſcurat; ſed ſumma veritas sẽper irradiat, dies ſemper læta, ſemper ſecura, & numquam ſtatum mutans in cõtraria! O vtinam dies illa illuxiſſet, & cunctæ hæc temporalia finem accepiſſent? Lucet quidẽ Sanctis perpetua claritate, ſplendida; ſed nõ niſi a longè, & per ſpeculum peregrinantibus in terra. Apoc. 21.

2 Norunt cæli ciues, quàm gaudioſa ſit illa; gemunt exules filij Euæ, quòd amara, & tædioſa ſit iſta. Dies huius temporis parui, & mali, pleni doloribus, & anguſtijs: vbi homo peccatis multis inquinatur, multis paſſionibus irretitur, multis timoribus ſtringitur, multis curis diſtenditur, multis curioſitatibus diſtrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus grauatur, delitijs eneruatur, egeſtate cruciatur. Iob 7.

3 O quando finis horum multorum laborum!

Rom. 7. borum! quando liberabor a miſera ſeruite Pſal. 70. vitiorum? quando memorabor, Domine tui ſolius? quando ad plenum lætabor in te? Quando ero ſine omni impedimento, in vera libertate, ſine omni grauamine mentis, & corporis? Quando erit pax ſolida; pax imperturbabilis, & ſecura; pax intus, & foris; pax ex omni parte firma? Ieſu bone, quando ſtabo ad videndũ te? quando contemplabor gloriã Regni tui? quãdo eris mihi omnia in omnibus? O quando ero tecũ in Regno tuo, quod præparaſti dilectis tuis ab æterno? Relictus sũ pauper, & exul in terra hoſtili: vbi bella quotidiana, & infortunia maxima.

4 Conſolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te ſuſpirat omne deſiderium meum. Nam onus totum mihi eſt, quid quid mundus hic offert ad ſolatium. Deſidero te intimè frui, ſed nequeo apprehendere. Opto inhærere cæleſtibus, ſed deprimũt res tẽporales, & immortificatæ paſſiones. Mente omnibus rebus ſupereſſe volo, carne autem inuitè ſubeſſe cogor. Sic Rom. 7. & 8. ego infelix homo mecum pugno, & factus ſum mihi metipſi grauis, dum ſpiritus ſurſum, & caro quærit eſſe deorſum.

5 O quid intus patior, dum mente cæleſtia tracto, & mox carnalium turba occurPſalm. 70. rit oranti. Deus meus, ne elongeris a me,

ne-

neque declines in ira a ſeruo tuo. Fulgura coruſcationem tuam,& diſſipa eas: Emitte ſagittas tuas,& conturbentur omnes phantaſiæ inimici. Recollige ſenſus meos ad te: fac me obliuiſci omnium mundanorum: da citò abijcere,& contemnere phantaſmata vitiorum. Succurre mihi æterna Veritas, vt nulla me moueat vanitas. Adueni cæleſtis ſuauitas,& fugiat a facie tua omnis impuritas. Ignoſce quoque mihi, & miſericorditer indulge, quotiens præter te aliud in oratione reuoluo. Confiteor etenim verè, quia valde diſtractè me habere conſueui. Nam ibi multotiens non ſum, vbi corporaliter ſto, aut ſedeo: ſed ibi magis ſum, quo cogitationibus feror. Ibi ſum, vbi cogitatio mea eſt. Ibi eſt frequenter cogitatio mea, vbi eſt, quod amo. Hoc mihi citò occurrit, quod naturaliter delectat, aut ex vſu placet.

6 Vnde tu Veritas apertè dixiſti: Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Matth. 6
Si cælum diligo, libenter de cæleſtibus penſo. Si mundum amo, de felicitatibus mundi congaudeo,& de aduerſitatibus eius triſtor. Si carnem diligo, quæ carnis ſunt, ſæpe imaginor. Si ſpiritum amo, de ſpiritualibus cogitare delector: Quæcumque enim diligo, de his libenter loquor, & audio, atque taliũ imagines mecum ad domum reporto. Sed bea-

Matth. 19. beatùs ille homo, qui propter te Domine omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit: qui naturæ vim facit, & concupiſcentias carnis feruore ſpiritus crucifigit, vt ſerenata conſcientia, puram tibi orationem offerat, dignuſque ſit Angelicis intereſſe choris, omnibus terrenis, foris, & intus excluſis.

De deſiderio æternæ vitæ, & quanta ſint bona certantibus promiſſa. Cap. XLIX.

1 Fili mi, cum tibi deſiderium æternæ beatitudinis deſuper infundi ſentis, & de tabernaculo corporis exire concupiſcis, vt claritatem meam ſine viciſſitudinis vmbra contemplari poſſis; dilata cor tuum, & omni deſiderio hanc ſanctam inſpirationem ſuſcipe. Redde ampliſſimas ſupernæ bonitati gratias, quæ tecum ſic dignanter agit, clementer viſitat, ardenter excitat, potenter ſubleuat, ne proprio pondere ad terrena labaris. Neque enim hoc cogitatu tuo, aut conatu accipis, ſed ſola dignatione ſupernæ gratiæ, & diuini reſpectus; quatenus in virtutibus, & maiori humilitate proficias, & ad futura certamina te præpares; mihiq. toto cordis affectu adherere, ac feruenti voluntate ſtudeas deſeruire.

2 Fili,

2 Fili, ſæpe ignis ardet, ſed ſine fumo flamma non aſcendit. Sic & aliquorum deſideria ad cæleſtia flagrant, & tamen a tentatione carnalis affectus liberi non ſunt. Idcirco nec omnino purè pro honore Dei agunt, quod tam deſideranter ab eo petunt. Tale eſt, & tuum ſæpe deſiderium, quod inſinuaſti fore tam importunum. Non enim eſt hoc purum, & perfectum, quod propria commoditate eſt infectum.

3 Pete, non quod tibi eſt delectabile, & commodum, ſed quod mihi eſt acceptabile, atque honorificum: quia ſi rectè iudicas, meam ordinationem tuo deſiderio, & omni deſiderato præferre debes, ac ſequi. Noui deſiderium tuum, & frequentes gemitus audiui. Iam velles eſſe in libertate gloriæ filiorum Dei: iam te delectat domus æterna, & cæleſtis patria gaudio plena, ſed nondum venit hora iſta; ſed eſt adhuc aliud tēpus, ſcilicet tempus belli, tempus laboris, & probationis. Optas ſummo repleri bono, ſed non potes hoc aſſequi modò. Ego ſum: expecta me (dicit Dominus) donec veniat Regnum Dei. Iob 7.

4 Probandus es adhuc in terris, & in multis exercitandus. Conſolatio tibi interdum dabitur, ſed copioſa ſatietas non concedetur. Confortare igitur, & eſto robuſtus, Ioſue 1.

tam

tam in agendo, quàm in patiendo naturæ contraria. Oportet te nouum induere ho-
Ephes. 4. minem,& in alterum virum mutari. Oportet te ſæpe agere,quod non vis:& quod vis, oportet relinquere. Quod alijs placet,proceſſum habebit; quod tibi placet,vltra non proficiet. Quod alij dicunt, audietur; quod tu dicis, pro nihilo computabitur. Petent alij,& accipient;tu petes,nec impetrabis.

5 Erunt alij magni in ore hominum,de te autem tacebitur. Alijs hoc,vel illud committetur ,tu autem ad nihil vtilis iudicaberis. Nam propter hoc natura aliquando contriſtabitur, & magnum certamen ſuſtinebit,ſed ſilens portabis. In his,& ſimilibus multis probari ſolet fidelis Domini ſeruus: qualiter ſe abnegare, & in omnibus frangere quiuerit. Vix eſt aliquid tale, in quo tantumdem mori indiges,ſicut videre, & pati, quæ voluntati tuæ aduerſa ſunt; maximè autem cum diſconuenientia, & quæ minus vtilia tibi apparent,fieri iubentur. Et quia non audes reſiſtere altiori poteſtati,ſub dominio conſtitutus; ideo durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare, & omne proprium ſentire,omittere.

6 Sed penſa fili, horum fructum laborum, finemque celerem, atque præmium nimis magnum; & non habebis inde grauamen,

men,ſed fortiſſimum patientiæ tuæ ſolamẽ. Nam & pro modica hac voluntate, quam nunc ſponte deſeris,habebis ſemper voluntatem tuam in cælis. Ibi quippe inuenies omne,quod volueris: omne, quod deſiderare poteris. Ibi aderit tibi totius facultas boni, ſine timore amittendi. Ibi voluntas tua vna ſemper mecum,nil cupiet extraneũ, vel priuatum. Ibi nullus reſiſtet tibi,nemo de te conqueretur,nemo impediet,nihil obuiabit: ſed cuncta deſiderata ſimul erunt præſentia,totumque affectum tuum reficiẽt, & adimplebunt vſque ad ſummum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpeſſa; pallium laudis pro mœrore; pro loco nouiſſimo ſedem Regni in ſæcula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, & humilis ſubiectio coronabitur laborioſè.

7 Nunc ergo inclina te humiliter ſub omnium manibus: nec ſit curæ,quis hoc dixerit;vel iuſſerit.Sed hoc magnopere curato,vt ſiue Prælatus,ſeu Iunior, aut æqualis, aliquid a te expoſcerit;vel innuerit, pro bono totum accipias, & ſyncera voluntate ſtudeas adimplere. Quærat alius hoc, alius illud; glorietur ille in illo,&iſte,in iſto:laudeturq. millies mille: tu autem nec in iſto, nec in illo; ſed in tui ipſius gaude contem-

ptu,

ptu,& in mei ſolius beneplacito,& honore. Hoc optandum eſt tibi,vt ſiue per vitam, ſiue per mortem, Deus ſemper in te glorificetur.

Qualiter homo deſolatus ſe debet in manus Dei offerre. Cap. L.

2 DOmine Deus,ſancte Pater,ſis nunc & in æternum benedictus,quia ſicut vis,factum eſt: & quod facis, bonum eſt. Lætetur in te ſeruus tuus,non in ſe,nec in aliquo alio: quia tu ſolus lætitia vera,tu ſpes mea,& corona mea,tu gaudium meum, &
1 Cor. 4. honor meus, Domine. Quid habet ſeruus tuus,niſi quod a te accepit, etiam ſine merito ſuo? Tua ſunt omnia quæ dediſti, &
Pſal. 87. quæ feciſti. Pauper ſum, & in laboribus meis a iuuentute mea: & contriſtatur anima mea nonnumquam vſque ad lacrymas: quandoque etiam conturbatur ad ſe propter imminentes paſſiones.

2 Deſidero pacis gaudium, pacem filiorum tuorum flagito, qui in lumine conſolationis a te paſcuntur. Si das pacem, ſi gaudium ſanctum infundis, erit anima ſerui tui plena modulatione, & deuota in laude tua. Sed ſi ſubtraxeris, ſicut ſæpiſſimè ſoles,
Pſal. 118. non poterit currere viam mādatorum tuorum:

rum: ſed magis ad tundendum pectus genua incuruantur, quia non eſt illi ſicut heri, & nudiuſtertius, quando ſplendebat lucerna tua ſuper caput eius, & ſub vmbra alarum tuarum protegebatur a tentationibus irruentibus.

3 Pater iuſte, & ſemper laudande, venit hora, vt probetur ſeruus tuus. Pater amande, dignum eſt, vt hora hac patiatur aliquid pro te ſeruus tuus. Pater perpetuò venerande, venit hora, quam ab æterno præſciebas affuturam, vt ad modicum tempus ſuccumbat foris ſeruus tuus, viuat verò ſemper apud te interius. Paululum vilipendatur, humilietur, & deficiat co. ã hominibus; paſſionibus conteratur, & languoribus: vt iterum tecum in aurora nouæ lucis reſurgat, & in cæleſtibus clarificetur. Pater ſancte, tu ſic ordinaſti, & ſic voluiſti: & hoc factum eſt, quod ipſe præcepiſti.

4 Hæc eſt enim gratia ad amicum tuum, pati, & tribularī in hoc mundo pro amore tuo, quotieſcumque, & a quocunque id per. miſeris fieri. Sine conſilio, & prouidentia tua, & ſine cauſa nihil fit in terra. Bonum mihi, Domine, quod humiliaſti me, vt diſcã iuſtificationes tuas: & omnes elationes cordis, atque præſumptiones abijciam. Vtile mihi, quod confuſio cooperuit faciem Pſal. 118.

meam, vt te potius, quàm homines ad conſolandum requiram. Didici etiam ex hoc inſcrutabile iudicium tuum expaueſcere: qui affligis iuſtum cum impio, ſed non ſine æquitate, & iuſtitia.

5 Gratias tibi, qui non pepercisti malis meis, ſed attriuiſti me verberibus amoris infligens dolores, & immittens anguſtias intus, & foris. Non eſt qui me conſoletur ex omnibus, quæ ſub cælo ſunt, niſi tu Domine Deus meus, cæleſtis medicus animarum; qui percutis, & ſanas; deducis ad inferos, & reducis. Diſciplina tua ſuper me, & virga tua ipſa me docebit.

Tob. 13.

Pſal. 19.

6 Ecce Pater dilecte, in manibus tuis ego ſum, ſub virga correctionis tuæ me inclino: percute dorſum meum, & collum meum, vt incuruem ad voluntatem tuam tortuoſitatem meam. Fac me pium, & humilem diſcipulum, ſicut benè facere conſueuiſti, vt ambulem ad omnem nutum tuũ. Tibi me, & omnia mea ad corrigendum committo: meliùs eſt hic corripi, quàm in futuro. Tu ſcis omnia, & ſingula, & nil te latet in humana conſcientia. Antequam fiant, noſti ventura; & non opus eſt tibi, vt quis te doceat, aut admoneat de his, quæ geruntur in terra. Tu ſcis, quid expediat ad profectum meum, & quantum deſeruit tribula-

bulatio ad rubiginem vitiorum purgandam. Fac mecum conſideratum beneplacitum tuum, & ne deſpicias peccaminoſam vitam meam, nulli meliùs, nec clariùs, quàm tibi ſoli notam.

7 Da mihi Domine ſcire, quod ſciendũ eſt: hoc eſt, amare, quod amandum eſt: hoc laudare, quod tibi ſumme placet: hoc reputare, quod tibi pretioſum apparet: hoc vituperare, quod oculis tuis ſordeſcit. Non me ſinas ſecundùm viſionem oculorum exteriorum iudicare, neque ſecundùm auditum aurium hominum imperitorum ſententiare: ſed in iudicio vero de ſpiritualibus, & viſibilibus diſcernere, atque ſuper omnia beneplacitum voluntatis tuæ, ſemper inquirere.

8 Falluntur, ſæpe hominum ſenſus in iudicando; falluntur & amatores ſæculi, viſibilia tantummodò amando. Quid eſt homo inde melior, quia reputatur ab homine major? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat: & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantum vnuſquiſque eſt in oculis tuis; tantùm eſt, & nõ ampliùs: ait humilis ſanctus Franciſcus. S. Frãciſci Apophthegma.

Quòd humilibus inſiſtendum eſt operibus, cum deficitur a ſummis. Cap. LI.

1 FIli, non vales ſemper in feruentiori deſiderio virtutum ſtare, nec in altiori gradu contemplationis conſiſtere: ſed neceſſe habes interdum ob originalem corruptelam, ad inferiora deſcendere; & onus corruptibilis vitæ, etiam inuitè, & cũ tædio portare. Quamdiu mortale corpus geris, tædium ſenties, & grauamen cordis. Oportet ergo ſæpe in carne de carnis onere gemere; eo quòd non vales ſpiritualibus ſtudijs & diuinæ contemplationi indeſinenter inhærere.

2 Tunc expedit tibi ad humilia, & exteriora opera confugere, & in bonis te actibus recreare; aduentum meum, & ſupernam viſitationem firma confidentia expectare; exilium tuum, & ariditatem mentis patienter ſufferre, donec iterum a me viſiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciã te laborum obliuiſci, & interna quiete perfrui. Expandam coram te prata Scripturarum, & dilatato corde currere incipies viam mandatorum meorum. Et dices:

Rom. 8 Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Quòd

Quòd homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed magis dignum verberibus. Cap. LII.

1 DOmine, non ſum dignus conſolatione tua, nec aliqua ſpirituali viſitatione; & ideo iuſtè mecum agis, quando me inopem, & deſolatum relinquis. Si enim ad inſtar maris lacrymas effundere poſſem, adhuc conſolatione tua dignus non eſſem; Vnde nihil dignus ſum, quàm flagellari, & puniri; quia grauiter, & ſæpe te offendi, & in multis valde deliqui. Ergo vera penſata ratione, nec minima ſum dignus conſolatione. Sed tu clemens, & miſericors, qui non vis perire opera tua, ad oſtendendum diuitias bonitatis tuæ in vaſa miſericordiæ, etiam præter omne proprium meritum dignaris conſolari ſeruum tuum ſupra humanum modum. Tuæ enim conſolationes non ſunt ſicut humanæ conſolationes.

2 Quid egi, Domine, vt mihi conferres aliquam cæleſtem conſolationem? Ego nihil boni egiſſe me recolo, ſed ſemper ad vitia pronũ, & ad emendationem pigrum fuiſſe. Verum eſt, & negare non poſſum. Si aliter Iob 9.
dicerem; tu ſtares contra me, & non eſſet qui defenderet. Quid merui pro peccatis

meis,niſi inferoum, & ignem æternum? In veritate conſiteor, quoniam dignus ſum omni ludibrio,& contemptu, nec decet me inter deuotos tuos cõmorari. Et licet hoc ægrè audiam,tamen aduerſum me, pro veritate,peccata mea arguam, vt faciliùs miſericordiam tuam merear impetrare.

3 Quid dicam reus,& omni confuſione dignus? Non habeo os loquendi niſi tantùm
Pſalm.50. hoc verbum:Peccaui Domine,peccaui: miſerere mei,ignoſce mihi. Sine me paululum,
Iob 10. vt plangam dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertã mortis caligine. Quid tam maximè a reo, & miſero peccatore requiris, niſi vt conteratur,& humiliet ſe pro delictis ſuis? in vera contritione,& cordis humiliatione naſcitur ſpes veniæ, reconciliatur perturbata conſcientia, reparatur gratia perdita, tuetur homo a futura ira, & occurrunt ſibi mutuò in oſculo ſancto Deus,& pœnitens anima.

4 Humilis peccatorum contritio acceptabile tibi eſt Domine ſacrificium, longè ſuauiùs odorans in conſpectu tuo, quàm thuris incenſum. Hoc eſt etiam quàm vn-
Luc. 7. guentum, quod pedibus tuis infundi voluiſti;
Pſalm.50. quia cor contritum, & humiliatum numquam deſpexiſti.Ibi eſt locus refugij a facie iræ inimici. Ibi emendatur, & abluitur,

quid-

quid quid aliunde contractum eſt, & inquinatum.

Quòd gratia Dei non miſcetur ſapientibus terrena. Cap. LIII.

1 FIli, pretioſa eſt gratia mea, non patitur ſe miſceri extraneis rebus, nec conſolationibus terrenis. Abijcere ergo oportet omnia impedimēta gratiæ, ſi optas eius infuſionem ſuſcipere. Pete ſecretum tibi, ama ſolus habitare tecum, nullius require confabulationem: ſed magis ad Deum deuotam effunde precem, vt compunctam teneas mentem, & puram conſcientiam. Totum mundum nihil æſtima; Dei vocationem omnibus exterioribus antepone. Matth. 19
Non enim poteris mihi vacare, & in tranſitorijs pariter delectari. A notis, & a charis oportet elongari, & ab omni temporali ſolatio mentem tenere priuatam. Sic obſecrat 1. Pet. 2.
beatus Apoſtolus Petrus: Vt tamquam aduenas, & peregrinos in hoc mundo ſe contineant Chiſti fideles a carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.

2 O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo: ſed ſic ſegregatum cor habere ab omnibus, æger necdum capit animus, nec animalis homo

nouit interni hominis libertatem. Attamen ſi verè velit eſſe ſpiritualis, oportet eum renunciare tam remotis, quàm propinquis: & a nemine magis cauere, quàm a ſe ipſo. Si temetipſum perfectè viceris, cætera faciliùs ſubiugabis. Perfecta victoria eſt de ſemetipſo triumphare. Qui enim ſe ipſum ſubiectũ tenet, vt ſenſualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor eſt ſui, & Dominus mundi.

3 Si ad hunc apicem ſcandere gliſcis, oportet viriliter incipere, & ſecurim ad radicem ponere, vt euellas, & deſtruas occultam inordinatam inclinationem ad te ipsũ, & ad omne priuatum & materiale bonum. Ex hoc vitio, quòd homo ſemetipſum nimis inordinatè diligit, pænè totum pendet, quidquid radicaliter vincendum eſt. Quo deuicto, & ſubacto malo, pax magna, & tranquillitas erit continuò. Sed quia pauci ſibi ipſis perfectè mori laborant, nec plenè extra ſe tendunt; propterea in ſe implicati remanẽt, nec ſupra ſe in ſpiritu eleuari poſſunt. Qui autem liberè mecum ambulare deſiderat, neceſſe eſt, vt omnes prauas, & inordinatas affectiones ſuas mortificet, atque nulli creaturæ priuato amore concupiſcenter inhæreat.

De diuerſis motibus naturæ, & gratiæ. *Cap. LIV.*

1 Filli, diligenter aduerte motus naturæ, & gratiæ, quia valde contrariè, & ſubtiliter mouentur: & vix niſi a ſpirituali, & intimo illuminato homine diſcernuntur. Omnes quidem bonum appetunt, & aliquid boni in ſuis dictis, vel factis prætendunt, ideo ſub ſpecie boni multi falluntur. Natura callida eſt, & multos trahit, illaqueat, & decipit; & ſe ſemper pro fine habet. Sed gratia ſimpliciter ambulat, & ab omni ſpecie mala declinat; fallacias non prætendit, & omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requieſcit.

2 Natura inuitè vult mori, nec premi, nec ſuperari, nec ſubeſſe, nec ſponte ſubiugari. Gratia verò ſtudet mortificationi propriæ, reſiſtit ſenſualitati, quærit ſubijci, appetit vinci, nec propria vult libertate fungi: ſub diſciplina amat teneri, nec alicui cupit dominari, ſed ſub Deo ſemper viuere, ſtare, & eſſe: atque propter Deum omni humanæ creaturæ humiliter parata eſt inclinari. Natura pro ſuo commodo laborat, & quid lucri ſibi ex alio proueniat, attendit. Gratia autem non quid ſibi vtile, & comodum ſit;

ſed

ſed quod multis proficiat magis cõſiderat. Natura libenter honorem,& reuerentiam accipit; Gratia verò omnem honorem, & gloriam Deo fideliter attribuit.

3 Natura confuſionem timet,& contemptum; Graria aurem gaudet pro nomine
Act.5. Ieſu contumeliam pati. Natura otium amat, & quietem corporalem; Gratia verò vacua eſſe non poteſt, ſed libenter amplectitur laborem. Natura quærit curioſa habere, & pulchra,& fugit vilia,& groſſa; Gratia verò ſimplicibus delectatur.& humibus, aſpera non aſpernatur,nec vetuſtis refugit indui pannis. Natura reſpicit temporalia,gaudet ad lucra terrena,triſtatur de damno, irritatur leuis iniuriæ verbo; ſed gratia attendit æterna,non inhæret temporalibus, nec in perditione rerum turbatur, neque verbis durioribus acerbatur; quia theſaurum ſuum,& gaudium in cælo,vbi nil perit, conſtituit.

4 Natura cupida eſt,& libentiùs accipit, quàm donat: amat propria,& priuata. Gratia autem pia eſt,& communis, vitat ſingularia,contentatur paucis,beatiùs dare iudicat,quàm accipere. Natura inclinat ad creaturas,ad carnem propriam,ad vanitatẽ, & diſcurſus; ſed gratia trahit ad Deũ, & ad virtutes: renunciat creaturis, fugit mundum,

dum, odit carnis deſideria, reſtringit euagationes, erubeſcit in publico apparere. Natura libenter aliquod ſolatium habet externum, in quo delectetur ad ſenſum; ſed gratia in ſolo Deo quærit conſolari, & in ſummo Bono delectari ſuper omnia viſibilia.

5 Natura totum agit propter lucrum, & commodum proprium, nil gratis facere poteſt, ſed aut æquale, aut meliùs, aut laudem, vel fauorem pro benefactis conſequi ſperat: & multum ponderari ſua geſta, & dona concupiſcit. Gratia verò, nil temporale quærit, nec aliud præmium quàm Deum ſolum, pro mercede poſtulat: nec ampliùs de neceſſarijs temporalibus deſiderat, niſi quantum hæc ſibi ad aſſecutionem æternorum valeant deſeruire.

6 Natura gaudet de amicis multis, & propinquis: gloriatur de nobili loco, & ortu generis: arridet potentibus, blanditur diuitibus, applaudit ſibi ſimilibus. Gratia autem & inimicos diligit, nec de amicorum turba extollitur; nec locum, nec ortum natalium reputat, niſi virtus ibi maior fuerit: fauet magis pauperi, quàm diuiti; compatitur plus innocenti, quàm potenti; gaudet veraci, non fallaci; exhortatur ſemper bonos, meliora chariſmata æmulari, & Filio Dei per virtutes aſſimilari. Natura de defe-

ctu

ctu,& moleſtia citò conqueritur; Gratia conſtanter fert inopiam.

7 Natura omnia ad ſe reflectit, pro ſe certat,& arguit; Gratia autem ad Deum cuncta reducit, vnde originaliter emanant: nil boni ſibi adſcribit, nec arroganter præſumit; non contendit,nec ſuam ſententiam alijs præfert: ſed in omni ſenſu, & intellectu æternæ ſapientiæ, & diuino examini ſe ſubmittit. Natura appetit ſcire ſecreta,& noua audire: vult exterius apparere, & multa per ſenſus experiri; deſiderat agnoſci, & agere,vnde laus & admiratio procedit. Sed gratia non curat noua, nec curioſa percipere;quia totum hoc de corruptionis vetuſtate eſt ortum,cum nihil nouum, & durabile ſit ſuper terram. Docet itaque ſenſus reſtringere,vanam complacentiam, & oſtentationem deuitare; laudanda, & digne miranda humiliter abſcondere, & de omni re & in omni ſcientia vtilitatis fructum, atque Dei laudem,& honorem quærere. Non vult ſe,nec ſua prædicari,ſed Deum in donis ſuis optat benedici, qui cuncta ex vera charitate largitur.

8 Hæc gratia ſupernaturale lumen, & quoddam Dei ſpeciale donum eſt, & propriè Electorum ſignaculum, & pignus ſalutis æternæ: quæ hominem de terrenis ad

cæle-

cæleſtia amanda ſuſtollit, & de carnali ſpiritualem facit. Quanto igitur natura ampliùs præmitur, & vincitur, tantò maior gratia infunditur: & quotidie nouis viſitationibus interior homo ſecundùm imaginem Dei reformatur.

De corruptione naturæ, & efficacia gratiæ Diuinæ. *Cap. LV.*

1 DOmine Deus meus, qui me creaſti ad imaginem, & ſimilitudinem tuã, concede mihi hanc gratiam, quam oſtendiſti tam magnam, & neceſſariam ad ſalutem: vt vincam peſſimam naturam meam, trahẽtem ad peccata, & in perditionem. Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem ad obediendum ſenſualitati in multis: nec poſſum reſiſtere paſſionibus eius, niſi aſſiſtat ſanctiſſima gratia tua, cordi meo ardenter infuſa. Gen. 1. Rom. 7.

2 Opus eſt gratia tua, & magna gratia; vt vincatur natura; ad malum ſemper prona ab adoleſcentia ſua. Nam per primum hominem Adam lapſa, & vitiata per peccatũ, in omnes homines pœna huius maculæ deſcendit: vt ipſa natura, quæ benè, & recta a te condita fuit, pro vitio iam, & infirmitate cor- Gen. 8.

corruptæ naturæ ponatur, eo quod motus eius ſibi relictus ad malum, & inferiora trahit. Nam modica vis, quæ remanſit, eſt tamquàm ſcintilla quædam latens in cinere. Hæc eſt ipſa ratio naturalis, circumfuſa magna caligine adhuc iudicium habens boni, & mali, veri, falſiq. diſtantiam, licet impotens ſit adimplere omne, quod approbat: nec pleno iam lumine veritatis, nec ſanitate affectionum ſuarum potiatur.

Rom. 7. 3 Hinc eſt, Deus meus, quòd condelector legi tuæ ſecundùm interiorem hominem, ſciens mandatum tuum fore bonum, iuſtum, & ſanctum, arguens etiam omne malum, & peccatum fugiendum. Carne autē ſeruio legi peccati, dum magis ſenſualitati obedio, quàm rationi. Hinc eſt, quòd velle bonum mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Hinc ſæpè multa bona propono, ſed quia gratia deeſt ad adiuuandum infirmitatem meam, ex leui reſiſtentia reſilio, & deficio. Hinc accidit, quòd viam perfectionis agnoſco, & qualiter agere debeam, clarè ſatis video: ſed propriæ corruptionis pondere preſſus, ad perfectionem non aſſurgo.

4 O quàm maximè eſt mihi neceſſaria, Domine, gratia tua ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & perficiendum! Nam ſine ea nihil boni poſſum facere: omnia autē

poſſum

poſſum in te, confortante me gratia tua. Ioan. 15.
O verè cæleſtis gratia, ſine qua nulla ſunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda! Nihil artes, nihil pulchritudo, nihil diuitiæ, nihil fortitudo, nihil ingeniũ, nihil eloquentia, valent apud te, Domine, ſine gratia. Nam dona naturæ bonis, & malis ſunt communia; Electorum autem proprium donum eſt gratia, ſiue dilectio, qua inſigniti, digni habentur vita æterna. Tantùm eminet hæc gratia, vt nec donum prophetiæ, nec ſignorum operatio, nec quantalibet alta ſpeculatio aliquid æſtimetur ſine ea. Sed neque fides, neque ſpes, neque aliæ 1. Cor. 13.
virtutes tibi acceptæ ſunt ſine charitate, & gratia.

5 O beatiſſima gratia, quæ pauperem ſpiritu, virtutibus diuitem facis: & diuitem multis bonis humilem corde reddis. Veni, deſcende ad me, reple me mane tua conſolatione; ne deficiat præ laſſitudine, & ariditate mentis anima mea. Obſecro, Domine, vt inueniam gratiam in oculis tuis: ſufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtentis, quæ deſiderat natura. Si fuero tentatus, & Pſal. 22.
vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum fuerit mecum gratia tua. Ipſa fortitudo mea, ipſa conſilium confert, & auxilium. Cunctis hoſtibus potentior

eſt,

eſt, & ſapientior vniuerſis ſapientibus.

6 Magiſtra eſt veritatis, doctrix diſciplinæ, lumen cordis, ſolamen preſſuræ, fugatrix triſtitiæ, ablatrix timoris, nutrix deuotionis, productrix lacrymarum. Quid ſum ſine ea, niſi aridum lignum, & ſtipes inutilis ad eijciendum? Tua ergo me, Domine, gratia ſemper præueniat, & ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentum.

Quòd nos ipſos abnegare debemus, & Chriſtũ per Crucem imitari. Cap. LVI.

1 Fili, quantum vales a te exire, tantum poteris in me tranſire. Sicut nihil foris concupiſcere internam pacem facit; ſic ſe interiùs relinquere, Deo coniungit. Volo te addiſcere perfectam abnegationem tui in voluntate mea, ſine contradictione, & querela. Sequere me: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Sine via non itur; ſine veritate non cognoſcitur; ſine vita non viuitur. Ego ſum via, quam ſequi debes; veritas, cui credere debes; vita, quam ſperare debes. Ego via inuiolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego ſum rectiſſima via: veritas ſuprema, vita vera, vita beata, vita increata. Si manſeris in via mea, cognoſces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam.

Ioan.10.

2 Si

2 Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matth. 19
Si vis veritatem agnoſcere, crede mihi. Si Ibid.
vis perfectus eſſe, vende omnia. Si vis eſſe Luc. 9.
diſcipulus meus, abnega temetipſum. Si vis Ioan. 12.
beatam vitam poſſidere, præſentem vitam
contemne. Si vis exaltari in cælo, humilia te
iu mundo. Si vis regnare mecum, porta Luc. 14.
Crucem mecū. Soli enim ſerui Crucis inue-
niunt viam beatitudinis, & veræ lucis.

3 Domine Ieſu Chriſte, quia arcta eſt vi-
ta tua, & mundo deſpecta, dona mihi tecum
mundi deſpectum imitari. Non enim maior Matth. 5.
eſt ſeruus Domino ſuo, nec diſcipulus ſuper
magiſtrum. Exerceatur ſeruus tuus in vita Luc. 6.
tua, quia ibi eſt ſalus mea, & ſanctitas vera.
Quidquid extra eam lego, vel audio, non me
recreat, nec delectat plenè.

4 Fili, quia hæc ſcis, & legiſti omnia;
beatus eris, ſi feceris. Qui habet mandata Ioan. 14.
mea, & ſeruat ea, ipſe eſt, qui diligit me: &
ego diligam eum, & manifeſtabo me ipſum:
& faciam eum conſedere mecum in Regno
Patris mei. Domine igitur, ſicut dixiſti, &
promiſiſti, ſic vtique mihi promereri cōtin-
gat. Suſcepi, ſuſcepi de manu tua crucem,
portabo eam vſque ad mortem, ſicut impo-
ſuiſti mihi. Verè vita beati Monachi crux Io. Gerſen
eſt, ſed dux Paradiſi. Inceptum eſt, retrò Monachū
abire non licet, nec relinquere oportet. ſe profitetur.

5 Eia fratres, pergamus ſimul, Ieſus erit nobiſcum: propter Ieſum ſuſcepimus hanc crucem: propter Ieſum perſeueremus in cruce. Erit adiutor noſter, qui eſt dux noſter, & præceſſor. En, Rex noſter ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; ſimus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ noſtræ, vt fugiamus a cruce.

Quòd homo non ſit nimis deiectus, quando in aliquos labitur defectus. *Cap. LVII.*

1 Filii, magis placent mihi patientia, & humililas in aduerſis; quàm multa conſolatio, & deuotio in proſperis. Vt quid te contriſtat paruum factum contra te dictum? Si amplius fuiſſet, moueri non debuiſſes. Sed nunc dimitte tranſire: non eſt primum, nec nouum, nec vltimum erit, ſi diu vixeris. Satis virilis es, quamdiu nil obuiat mali, aut aduerſi. Benè etiam cõſulis, & alios noſti roborare verbis; ſed cum ad ianuam tuam venit repentina tribulatio, deficis cõſilio, & robore. Attende magnam fragilitatem tuam, quam ſæpe experiris in modicis obiectis; tamen pro ſalute tua iſta fiunt, cũ hæc, & ſimilia contingunt.

2 Pone,

2 Pone, vt melius noſti, ex corde: & ſi te tetigit, non tamen deijciat, nec diu implicet. Ad minus ſuſtine patienter, ſi non potes gaudenter. Etiamſi minus libenter audis, & indignationem ſentis; reprime te, nec patiaris aliquid inordinatum ex ore tuo exire, vnde paruuli ſcandalizentur. Citò conquieſcet commotio excitata, & dolor internus, reuertente gratia, dulcorabitur. Adhuc viuo ego (dicit Dominus) iuuare te paratus, & ſolitò ampliùs conſolari; ſi confiſus fueris mihi, & deuotè inuocaueris. Eſa. 49.

3 Animæquior eſto, & ad maiorem ſuſtinentiam accingere. Non eſt totum fruſtratum, ſi ſæpiùs percipis te tribulatum, vel grauiter tentatum. Homo es, & non Deus; caro es, & non Angelus. Quomodò tu poſſes ſemper in eodem ſtatu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in cælo, & primo homini in Paradiſo, qui non diu ſteterunt? Ego ſum, qui mœrentes erigo ſoſpitate: & ſuam cognoſcentes infirmitatem, ad meum proueho diuinitatem. Gen. 3.

4 Domine, benedictum ſit verbum tuũ, dulce ſuper mel, & fauum ori meo. Quid facerem in tantis tribulationibus & meis anguſtijs, niſi me confortares tuis ſanctis ſermonibus? Dummodo ad portum ſalutis tãdem perueniam: quid curæ eſt, quæ, & quãta Pſal. 118.

paſſus fuero? Da finem bonum; da felicem ex hoc mundo tranſitum. Memento mei Deus meus, & dirige me recto itinere in Regnum tuum. Amen.

De altioribus rebus, & occultis iudicijs Dei non ſcrutandis. Cap. LVIII.

1 FIli, caueas diſputare de altis materijs, & de occultis Dei iudicijs: cur iſte ſic relinquitur, & ille ad tantam gratiam aſſumitur. Cur etiam iſte tantùm affligitur, & ille tam eximiè exaltatur. Iſta omnem humanam facultatem excedunt: nec ad inueſtigandum diuinum iudicium vlla ratio præualet, vel diſputatio. Quando ergo hæc ſuggerit inimicus, vel quidam curioſi inquirunt homines, reſponde illud
Pſal. 118. Prophetæ: Iuſtus es Domine, & rectum
Pſal. 18. iudicium tuum. Et illud: iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Iudicia mea metuenda ſunt, non diſcutienda, quia humano intellectui ſunt incomprehenſibilia.

2 Noli etiam inquirere, nec diſputare de meritis Sāctorum, quis alio ſit Sanctior, aut quis maior fuerit in Regno cælorum.
2. Tim. 2. Talia generant ſæpe lites, & contentiones inutiles; nutriunt quoque ſuperbiam, &

vanam

vanam gloriam: vude oriuntur inuidiæ, & diſſenſiones, dum iſte iſtum Sanctum, & alius alium conatur ſuperbè perferre. Talia autem velle ſcire, & inueſtigare, nullum fructum afferunt, ſed magis Sanctis diſplicent; quia non ſum Deus diſſenſionis, ſed pacis; quæ pax magis in humilitate vera, quàm in propria exaltatione conſiſtit.

3 Quidam zelo deuotionis trahuntur ad hos, vel ad illos ampliori affectu, ſed humano potiùs, quàm diuino. Ego ſum, qui cũctos condidi Sanctos; ego donaui gratiam; ego præſtiti gloriam. Ego noui ſingulorum merita; ego præueni eos in benedictionibus dulcedinis meæ. Ego præſciui dilectos ante ſæcula; ego eos elegi de mundo, non ipſi prælegerunt. Ego vocaui per gratiam, attraxi per miſericordiam; ego perduxi eos per tentationes varias. Ego infudi conſolationes magnificas; ego dedi perſeuerantiã; ego coronaui eorum præſentiam. Ioan. 15.

4 Ego primum, & nouiſſimum agnoſco; ego omnes inæſtimabili dilectione amplector. Ego laudandus ſum in omnibus Sanctis meis; ego ſuper omnia benedicendus ſum, & honorandus in ſingulis, quos ſic glorioſè magnificaui, & prædeſtinaui ſine vllis præcedentibus meritis proprijs. Qui ergo vnũ de minimis meis contempſerit, nec magnũ Iac. 2. Sap. 9.

honorat;quia puſillum, & magnum ego feci. Et qui derogat alicui Sanctorum, derogat & mihi, & cæteris omnibus in Regno cælorum. Omnes vnum ſunt per charitatis vinculum;idem ſentiunt,idem volunt,& omnes in vnum ſe diligunt.

5 Adhuc autem (quod multò altiùs eſt) plus me,quàm ſe,& ſua merita diligunt. Nã ſupra ſe rapti, & extra propriam dilectionẽ tracti,toti in amorem meum pergunt, & in quo fruitiuè quieſcunt. Nihil eſt, quod eos auertere, aut poſſit deprimere, quippe qui æterna veritate pleni, igne ardeſcunt inextinguibilis charitatis. Taceant igitur carnales,& animales homines de Sanctorum ſtatu diſſerere,qui non norunt niſi priuata gaudia diligere. Demunt, & addunt pro ſua inclinatione, non prout placet æternæ veritati.

6 In multis eſt ignorantia,eorum maximè,qui parum illuminati, raro aliquem perfecta dilectione ſpirituali diligere norunt. Multùm adhuc naturali affectu,& humana amicitia ad hos, vel ad illos trahuntur; & ſicut in inferioribus ſe habent, ita de cæleſtibus imaginantur. Sed eſt diſtantia incomparabilis eorum, quæ imperfecti non cogitant, & quæ illuminati viri per reuelationẽ ſuperna ſpeculantur.

7 Caue ergo fili, de iſtis curioſis tracta- Eccli. 3.
re, quæ tuam ſcientiam excedunt: ſed hoc magis ſatage, & intende, vt vel minimus in Regno Dei queas inueniri. Et ſi quiſpiam ſciret, quis ſanctior alio eſſet, vel maior haberetur in Regno cælorum; quid ei hæc notitia prodeſſet, niſi ſe ex hac cognitione coram me humiliaret, & in maiorem mei nominis exurgeret laudem? Multò acceptiùs Deo facit, qui de peccatorum ſuorum magnitudine, & virtutum ſuarum paruitate cogitat, & quàm longè a Sanctorum perfectione diſtat; quàm is, qui de eorum maioritate, vel paruitate diſputat. Melius eſt Sãctos deuotis precibus, & lacrymis exorare, & eorum glorioſa ſuffragia humili mente implorare, quàm eorum ſecreta vana inquiſitione perſcrutari.

8 Illi benè, & optimè contentantur, ſi homines ſcirent contentari, & vanaloquia ſua compeſcere. Non gloriantur de proprijs meritis: quippe qui ſibi nil bonitatis adſcribunt, ſed totum mihi; quoniam ipſis cuncta ex infinita charitate mea donaui. Tanto amore diuinitatis, & gaudio ſupereffluenti replentur; vt nihil eis deſit gloriæ, nihilque deeſſe poſſit felicitatis. Omnes Sancti quantò altiores in gloria, tantò humiliores in ſeipſis, & mihi viciniores, & di-

lectiores exiſtunt. Ideoque habes ſcriptū;
Apoc. 4. quia mittebant coronas ſuas ante Deum, & ceciderunt in facies ſuas coram Agno, & adorauerunt Viuentem in ſæcula ſæculorum. Amen.

9 Multi quærũt, quis maior ſit in Regno cælorum, qui ignorant, an cum minimis debeant computari. Magnum eſt, vel minimũ eſſe in cælo, vbi omnes magni ſunt; quia omnes filij Dei vocabuntur, & erunt. Minimus erit in mille, & peccator centum annorum morietur. Cum enim quærerent
Matth. 18. Diſcipuli: Quis maior eſſet in Regno cælorum? tale audierunt reſponſum: Niſi cõuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicumque ergo ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in Regno cælorum.

10 Væ eis, qui cum paruulis humiliare ſe ſponte dedignantur: quoniam humilis ianua cæleſtis Regni, eos non admittet intrare.
Matth. 6. Væ etiam diuitibus, qui habent hic conſolationes ſuas: quia pauperibus intrantibus in Regnum cælorum, ipſi ſtabunt foris
Matth. 5. eiulantes. Gaudete humiles, & exultate pauperes; quia veſtrum eſt Regnum Dei, ſi tamen in veritate ambulatis.

Quòd omnis ſpes, & fiducia in ſolo Deo figenda eſt. Cap. LIX.

1 DOmine, quæ eſt fiducia mea, quam in hac vita habeo? aut quod maius ſolatium meum, ex omnibus apparentibus ſub cælo? Nonne tu, Domine Deus meus, cuius miſericordiæ non eſt numerus? Vbi mihi benè fuit, ſine te? Aut quando malè eſſe potuit præſente te? Malo pauper eſſe propter te, quàm diues ſine te. Eligo potiùs in terra tecum peregrinari, quàm ſine te cælum poſſidere. Vbi tu, ibi cælum: atque ibi mors, & infernus, vbi tu non es. Tu mihi in deſiderio es: & ideo poſt te gemere, & clamare, & exorare neceſſe eſt. In nullo denique poſſum confidere plenè, qui in neceſſitatibus auxilietur opportunis, niſi in te ſolo Deo meo. Tu es ſpes mea, & fiducia mea; tu conſolator meus, & fideliſſimus in omnibus.

2 Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt: tu ſalutem meam, & profectum meum ſolummodò prætendis, & omnia in bonum mihi conuertis. Etiam ſi varijs tentationibus, & aduerſitatibus exponas, hoc totum ad vtilitatem meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare conſueuiſti. Phil. 2.

In

In qua probatione non minus diligi debes, & laudari, quàm ſi cæleſtibus conſolationibus me repleres.

3 In te ergo, Domine Deus meus, pono totam ſpem meam, & refugium: & omnem tribulationem, & anguſtiam meam conſtituo; quia totum infirmum, & inſtabile inuenio, quid quid extra te conſpicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt; neque prudentes conſiliarij reſponſum vtile dare, neque libri Doctorum conſolari, nec aliqua pretioſa ſubſtantia liberare, nec locus aliquis ſecretus contutari; ſi tu ipſe non aſſiſtas, iuues, conſortes, conſoleris, inſtruas, & cuſtodias:

4 Omnia namque, quæ ad pacem videtur eſſe, & felicitatem habendam, te abſente, nihil ſunt, nihilq. felicitatis conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es: & in te ſuper. omnia ſperare fortiſſimum ſolatium ſeruorum Dei. Ad te ſunt oculi mei, in te confido, Deus meus, miſericordiarũ Pater. Benedic, & ſanctifica animam meam benedictione cæleſti: vt fiat habitatio tua ſancta, & ſedes æternæ gloriæ tuæ; nihilque in templo tuæ dignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maieſtatis offendat. Secundùm

magni-

magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me, & exaudi orationem pauperis ſerui tui, longè exulantis in regione vmbræ mortis. Protege, & conſerua animam ſeruuli tui, & inter tot diſcrimina vitæ corruptibilis, ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

Explicit Liber Tertius Ioannis Gerſenis Abbatis.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI TERTII.

IOANNIS GERSENIS Abbatis.

DE Interna Christi locutione ad animã fidelem. Cap. 1
Quòd veritas intus loquitur ſine ſtrepitu verborum. 2
Quòd verba Dei humiliter ſunt audienda, & quòd multi ea non ponderant. 3
Quòd in veritate, & humilitate coram Deo conuerſandum eſt. 4

De Mirabili effectu Diuini Amoris. 5
De Probatione veri Amoris. 6
De Occultanda gratia ſub humilitatis cuſtodia. 7
De Vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei. 8
Quòd omnia ad Deum, ſicut ad finem vltimum, ſunt referenda. 9
Quòd ſpreto mundo, dulce eſt ſeruire Deo. 10
Quòd deſideria carnis examinanda ſunt, & moderanda. 11
De Informatione patientiæ, & luctamine aduerſus concupiſcentias. 12
De Obedientia humilis ſubditi, ad exemplum Ieſu Chriſti. 13
De occultis Dei Iudicijs conſiderandis, ne extollamur in bonis. 14
Qualiter ſtandum ſit, ac dicendum, in omni re deſiderabili. 15
Quòd verum ſolatium in ſolo Deo eſt quærendum. 16
Quòd omnis ſollicitudo in Deo ſtatuenda ſit. 17
Quòd temporales miſeriæ exemplo Chriſti æquanimiter ſint ferendæ. 18
De Tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur. 19
De Confeſſione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miſerijs. 20
Quòd in Deo ſuper omnia bona, & dona requie-

requieſcendum eſt. 21
De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. 22
De quatuor magnam importantibus pacem. Cap. 23
De Euitatione curioſæ inquiſitionis ſuper alterius vita. 24
In quibus firma pax cordis; & verus profectus conſiſtit. 25
De Eminentia liberæ mentis, quam ſupplex oratio magis meretur, quàm lectio. 26
Quòd priuatus amor a ſummo Bono maximè retardat. 27
Contra linguas obtrectatorum. 28
Qualiter inſtante tribulatione Deus inuocandus eſt, & benedicendus. 29
De Diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ. 30
De Neglectu omnis creaturæ, vt Creator poſſit inueniri. 31
De Abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis. 32
De Inſtabilitate cordis, & intentione finali ad Deum habenda. 33
Quòd amanti, ſapit Deus ſuper omnia, & in omnibus. 34
Quòd non eſt ſecuritas a tentatione in hac vita. 35
Contra vana hominum Iudicia. 36

De

De Pura & Integra reſignatione ſui, ad obtinendam cordis libertatem. 37
De bono regimine in externis, & recurſu ad Deum in periculis. 38
Quòd homo non ſit importunus in negotijs. 39
Quòd homo nihil boni ex ſe habet, & de nullo gloriari poteſt. 40
De Contemptu omnis temporalis honoris. 41
Quòd pax non eſt ponenda, ſiue petenda in hominibus. 42
Contra vanam, & ſæcularem ſcientiam. 43
De non attrahendo ſibi res exteriores. 44
Quòd omnibus non eſt credendum, & de facili lapſu verborum. 45
De Confidentia in Deo habenda, quando inſurgunt verborum iacula. 46
Quòd omnia grauia pro æterna vita ſunt toleranda. 47
De die æternitatis, & huius vitæ anguſtijs. Cap. 48
De deſiderio æternæ vitæ, & quanta ſint certantibus promiſſa. 49
Qualiter homo deſolatus ſe debet in manus Dei offerre. 50
Quòd humilibus ſit inſiſtendum operibus cum deficitur a ſummis. 51
Quòd homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed magis dignum verberibus 52
Quòd gratia Dei non miſcetur ſapientibus terre-

terrena.
De Diuerſis motibus naturæ, & gratiæ. 53
De Corruptione naturæ, & efficacia gratiæ 54
diuinæ. 55
Quòd nos ipſos abnegare, & Chriſtum imitari debemus per Crucem. 56
Quòd homo non ſit nimis deiectus, quando in aliquos labitur defectus. 57
De Altioribus rebus; & occultis Iudicijs Dei non ſcrutandis. 58
Quòd omnis ſpes, & fiducia in ſolo Deo figenda eſt. 59

Expliciunt Capitula Libri Tertij.
Ioannis Gerſenis Abbatis.

Incipit Liber Quartus,

IOANNIS GERSENIS ABBATIS,

De Sacramento Corporis Chriſti.

PROOEMIVM.

VENITE ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, dicit Dominus. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Matth. 11. Ioan. 6.

Matth.16 vita. Accipite, & comedite, hoc eſt corpus
& 1. Cor. meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite
11. in meam commemorationem Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meũ,
Ioan.6. in me manet, & ego in illo. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.

Cum quanta reuerentia Chriſtus ſit ſuſcipiendus. Cap. I.

1 HÆc ſunt verba tua, Chriſte, veritas æterna, quamuis non vno tempore prolata, nec vno in loco conſcripta. Quia ergo tua ſunt verba, grataunter mihi, & fideliter cuncta ſunt accipienda. Tua ſunt, & tu ea protuliſti: & mea quoque ſunt, quia pro ſalute mea ea edediſti. Libenter ſuſcipio ea ex ore tuo, vt aptiùs inſerantur cordi meo. Excitant me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis, & dilectionis. Sed terrent me delicta propria: & ad capienda tanta myſteria me reuerberat impura conſcientia. Prouocat me dulcedo verborum meorum, ſed onerat me multitudo vitiorum tuorum.

2 Iubes, vt fiducialiter ad te accedam, ſi tecum velim habere partem: vt immortalitatis accipiam alimoniam, ſi æternam cupiam obtinere vitam, & gloriam. Venite,
Matth.12. inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati

rati eſtis, & ego reficiam vos: O dulce & amicabile verbũ in aure peccatoris, quòd tu, Domine Deus meus, egenum, & pauperem inuitas ad communionem tui ſanctiſſimi Corporis. Sed quis ego ſum, Domine, vt ad te præſumam accedere? Ecce, cæli cælorum te non capiunt, & tu dicis: Venite ad me omnes.

3 Quid ſibi vult iſta pijſſima dignatio, & tam amicabilis inuitatio? Quomodò auſus ero venire, qui nihil boni mihi cõſcius ſum, vnde poſsim præſumere? Quomodò te introducam in domum meam, qui ſæpiùs offendi benigniſsimam faciem tuam? Reuerẽtur Angeli, & Archangeli, metuunt Sancti, & Iuſti; & tu dicis: Venite ad me omnes? Niſi tu, Domine, hoc diceres, quis verum eſſe crederet? Et niſi tu iuberes, quis accedere attentaret? Ecce, Noe, vir iuſtus, in arcæ fabrica, centum annos laborauit; vt cum paucis ſaluaretur: & ego quomodò me potero vna hora præparare, vt mundi Fabricatorem cum reuerentia ſumam? Gen. 6.

4 Moyſes famulus tuus, magnus, & ſpecialis amicus tuus, arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundiſſimo veſtiuit auro, vt tabulas Legis in ea reponeret: & ego putrida creatura audebo te Conditorem Legis, ac vitæ datorem, tam facilè ſu- Exod. 25. & 26.

3.Reg.6. ſcipere? Salomon, ſapientiſsimus Regum Iſrael, magnificum templum ſeptem annis, in laudem nominis tui ædificauit: & octo diebus feſtũ Dedicationis eius celebrauit: 3.Reg 8. mille hoſtias pacificas obtulit: & arcam fœderis clangore buccinæ, & iubilo, in locum ſibi præparatum ſolemniter collocauit. Et ego infelix, & pauperrimus hominum, quomodò te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere deuotè noui horam? & vtinam vel ſemel dignè, ferè mediam!

5 O mi Deus, quantum illi ad placendũ tibi agere ſtuduerunt! Heu, quàm puſillum eſt, quod ago! quàm breue expleo tempus, cum me ad communicandum diſpono! Rarò totus collectus, rariſsimè ab omni diſtractione purgatus. Et certè in tua ſalutari Deitatis præſentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare creatura: quia non Angelum, ſed Angelorũ Dominum ſuſcepturus ſum hoſpitio.

6 Eſt tamen magna diſtantia inter arcam fœderis cum ſuis reliquijs, & mundiſsimum Corpus tuũ cum ſuis ineffabilibus virtutibus: inter legalia illa Sacrificia, futurorum præfiguratiua, & verã tui Corporis Hoſtiã, omnium antiquorum Sacrificiorũ complectiuam. Quare igitur non magis, ad tuam

vene-

venerabilem inardeſco præſentiam? Cur nō maiori me præparo ſollicitudine ad tua Sancta ſumenda, quando illi antiqui ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, Reges quoque, & Principes cum vniuerſo populo, tantùm deuotionis demonſtrarunt affectum, erga cultum diuinum?

7 Saltauit Rex deuotiſsimus Dauid coram arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta Patribus: fecit diuerſi generis organa, Pſalmos edidit, & cantari inſtituit cum lætitia; cecinit & ipſe frequēter in cithara, Spiritus ſancti afflatus gratia; docuit populum Iſraël toto corde Deum laudare, & ore conſono diebus ſingulis benedicere, & prædicare. Si tanta agebatur tunc deuotio, ac diuinæ laudis extitit recordatio coram arca Teſtamenti; quanta nunc mihi, & omni populo Chriſtiano habenda eſt reuerentia, & deuotio in præſentia Sacramenti, in ſumptione excellentiſsimi Corporis Chriſti? 2. Reg. 6.

8 Currunt multi ad diuerſa loca pro viſitandis Reliquijs Sanctorum; & mirantur auditis geſtis eorum; alta ædificia templorum inſpiciunt, & oſculantur ſericis, & auro inuoluta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce, tu præſens es hic apud me in altari, Deus meus, Sanctus Sanctorum, & Dominus Angelorū.

Sæpe in talibus videndis eſt curioſitas hominum, & nouitas inuiſorum: & modicus reportatùr emendationis fructus, maximè vbi eſt tam leuis, ſine vera contritione diſcurſus. Hìc autem in Sacramento altaris totus præſens es, Deus meus, homo Chriſtus Ieſus: vbi & copioſus percipitur æternæ ſalutis fructus, quotieſcumque fueris dignè, ac deuotè ſuſceptus. Ad iſtud autem, non trahit leuitas aliqua, nec curioſitas, aut ſenſualitas: ſed firma Fides, deuota Spes, & ſyncera Charitas.

9 O inuiſibilis conditor mundi Deus, quàm mirabiliter agis nobiſcum: quàm ſuauiter, & gratioſè cum electis tuis diſponis, quibus temetipſum in Sacramento ſumendum proponis. Hoc namque omnem intellectum ſuperat: hoc ſpecialiter deuotorum corda trahit, & accendit affectum. Ipſi enim veri fideles tui, qui totam vitam ſuam ad emendationem diſponunt, ex hoc digniſſimo Sacramento magnam deuotionis gratiam, & virtutis amorem frequenter recipiunt.

10 O admirabilis, & abſcondita gratia Sacramenti, quam norunt tantùm Chriſti fideles: infideles autem, & peccatis ſeruientes experiri non poſſunt. In hoc Sacramento confertur ſpiritualis gratia, & reparatur

in anima virtus amiſſa: & per peccatum deformata, redit pulchritudo. Tanta eſt aliquando hæc gratia, vt ex plenitudine collatæ deuotionis non tantùm mens, ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores.

11 Dolendum tamen valde, & miſerandum, ſuper tepiditate, & negligentia noſtra, quòd non maiori affectu trahitur ad Chriſtum ſumendum: in quo tota ſpes ſaluandorum conſiſtit, & meritum. Ipſe enim eſt ſanctificatio noſtra, & redemptio: ipſe conſolatio Viatorum, & Sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valde, quòd multi tam parum hoc ſalutare myſterium aduertunt, quod cælum lætificat, & mundum conſeruat vniuerſum. Heu cæcitas, & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, & ex quotidiano vſu etiam ad inaduertentiam defluere.

12 Si enim hoc ſanctiſſimum Sacramentũ in vno tantùm celebraretur loco, & ab vno tantùm conſecraretur Sacerdote in mũdo; quanto putas deſiderio ad illum locum, & ad talem Dei Sacerdotem, homines afficerentur, vt diuina myſteria celebrari audirent. Nunc autem multi facti Sacerdotes, & in multis locis offertur Chriſtus; vt tantò maior appareat gratia, & dilectio Dei ad

lectiores exiſtunt. Ideoque habes ſcriptũ;
Apoc. 4. quia mittebant coronas ſuas ante Deum, & ceciderunt in facies ſuas coram Agno, & adorauerunt Viuentem in ſæcula ſæculorum. Amen.

9 Multi quærũt, quis maior ſit in Regno cælorum, qui ignorant, an cum minimis debeant computari. Magnum eſt, vel minimũ eſſe in cælo, vbi omnes magni ſunt; quia omnes filij Dei vocabuntur, & erunt. Minimus erit in mille, & peccator centum annorum morietur. Cum enim quærerent
Matth. 18. Diſcipuli: Quis maior eſſet in Regno cælorum? tale audierunt reſponſum: Niſi cõuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Quicumque ergo ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in Regno cælorum.

10 Væ eis, qui cum paruulis humiliare ſe ſponte dedignantur: quoniam humilis ianua cæleſtis Regni, eos non admittet intra-
Matth. 6. re. Væ etiam diuitibus, qui habent hic conſolationes ſuas: quia pauperibus intrantibus in Regnum cælorum, ipſi ſtabunt foris
Matth. 5. eiulantes. Gaudete humiles, & exultate pauperes; quia veſtrum eſt Regnum Dei, ſi tamen in veritate ambulatis.

Quòd omnis ſpes, & fiducia in ſolo Deo figenda eſt. Cap. LIX.

1 DOmine, quæ eſt fiducia mea, quam in hac vita habeo? aut quod maius ſolatium meum, ex omnibus apparentibus ſub cælo? Nonne tu, Domine Deus meus, cuius miſericordiæ non eſt numerus? Vbi mihi benè fuit, ſine te? Aut quando malè eſſe potuit præſente te? Malo pauper eſſe propter te, quàm diues ſine te. Eligo potiùs in terra tecum peregrinari, quàm ſine te cælum poſſidere. Vbi tu, ibi cælum: atque ibi mors, & infernus, vbi tu non es. Tu mihi in deſiderio es: & ideo poſt te gemere, & clamare, & exorare neceſſe eſt. In nullo denique poſſum confidere plenè, qui in neceſſitatibus auxilietur opportunis, niſi in te ſolo Deo meo. Tu es ſpes mea, & fiducia mea; tu conſolator meus, & fideliſſimus in omnibus.

2 Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt: tu ſalutem meam, & profectum meum ſolummodò prætendis, & omnia in bonum mihi conuertis. Etiam ſi varijs tentationibus, & aduerſitatibus exponas, hoc totum ad vtilitatem meam ordinas, qui mille modis dilectos tuos probare conſueuiſti. Phil. 2.

In

In qua probatione non minus diligi debes, & laudari, quàm ſi cæleſtibus conſolationibus me repleres.

3 In te ergo, Domine Deus meus, pono totam ſpem meam, & refugium: & omnem tribulationem, & anguſtiam meam conſtituo; quia totum infirmum, & inſtabile inuenio, quid quid extra te conſpicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt; neque prudentes conſiliarij reſponſum vtile dare, neque libri Doctorum conſolari, nec aliqua pretioſa ſubſtantia liberare, nec locus aliquis ſecretus contutari; ſi tu ipſe non aſſiſtas, iuues, confortes, conſoleris, inſtruas, & cuſtodias:

4 Omnia namque, quæ ad pacem vidētur eſſe, & felicitatem habendam, te abſente, nihil ſunt, nihilq. felicitatis conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, & profunditas eloquiorum tu es: & in te ſuper omnia ſperare fortiſſimum ſolatium ſeruorum Dei. Ad te ſunt oculi mei, in te confido, Deus meus, miſericordiarū Pater. Benedic, & ſanctifica animam meam benedictione cæleſti: vt fiat habitatio tua ſancta, & ſedes æternæ gloriæ tuæ; nihilque in templo tuæ dignitatis inueniatur, quod oculos tuæ maieſtatis offendat. Secundùm

magni-

magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me, & exaudi orationem pauperis ſerui tui, longè exulantis in regione vmbræ mortis. Protege, & conſerua animam ſeruuli tui, & inter tot diſcrimina vitæ corruptibilis, ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis. Amen.

Explicit Liber Tertius Ioannis Gerſenis Abbatis.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI TERTII. IOANNIS GERSENIS Abbatis.

De Interna Chriſti locutione ad animã fidelem. Cap. 1

Quòd veritas intus loquitur ſine ſtrepitu verborum. 2

Quòd verba Dei humiliter ſunt audienda, & quòd multi ea non ponderant. 3

Quòd in veritate, & humilitate coram Deo conuerſandum eſt. 4

De

De Mirabili effectu Diuini Amoris. 5
De Probatione veri Amoris. 6
De Occultanda gratia ſub humilitatis cuſtodia. 7
De Vili æſtimatione ſui ipſius in oculis Dei. 8
Quòd omnia ad Deum, ſicut ad finem vltimum, ſunt referenda. 9
Quòd ſpreto mundo, dulce eſt ſeruire Deo. 10
Quòd deſideria carnis examinanda ſunt, & moderanda. 11
De Informatione patientiæ, & luctamine aduerſus concupiſcentias. 12
De Obedientia humilis ſubditi, ad exemplum Ieſu Chriſti. 13
De occultis Dei Iudicijs conſiderandis, ne extollamur in bonis. 14
Qualiter ſtandum ſit, ac dicendum, in omni re deſiderabili. 15
Quòd verum ſolatium in ſolo Deo eſt quærendum. 16
Quòd omnis ſollicitudo in Deo ſtatuenda ſit. 17
Quòd temporales miſeriæ exemplo Chriſti æquanimiter ſint ferendæ. 18
De Tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur. 19
De Confeſſione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miſerijs. 20
Quòd in Deo ſuper omnia bona, & dona requie-

requieſcendum eſt. 21
De recordatione multiplicium beneficiorum Dei. 22
De quatuor magnam importantibus pacem. Cap. 23
De Euitatione curioſæ inquiſitionis ſuper alterius vita. 24
In quibus firma pax cordis; & verus profectus conſiſtit. 25
De Eminentia liberæ mentis, quam ſupplex oratio magis meretur, quàm lectio. 26
Quòd priuatus amor a ſummo Bono maximè retardat. 27
Contra linguas obtrectatorum. 28
Qualiter inſtante tribulatione Deus inuocandus eſt, & benedicendus. 29
De Diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ. 30
De Neglectu omnis creaturæ, vt Creator poſſit inueniri. 31
De Abnegatione ſui, & abdicatione omnis cupiditatis. 32
De Inſtabilitate cordis, & intentione finali ad Deum habenda. 33
Quòd amanti, ſapit Deus ſuper omnia, & in omnibus. 34
Quòd non eſt ſecuritas a tentatione in hac vita. 35
Contra vana hominum Iudicia. 36

De

De Pura & Integra reſignatione ſui, ad obtinendam cordis tibertatem. 37
De bono regimine in externis, & recurſu ad Deum in periculis. 38
Quòd homo non ſit importunus in negotijs. 39
Quòd homo nihil boni ex ſe habet, & de nullo gloriari poteſt. 40
De Contemptu omnis temporalis honoris. 41
Quòd pax non eſt ponenda, ſiue petenda in hominibus. 42
Contra vanam, & ſæcularem ſcientiam. 43
De non attrahendo ſibi res exteriores. 44
Quòd omnibus non eſt credendum, & de facili lapſu verborum. 45
De Confidentia in Deo habenda, quando inſurgunt verborum iacula. 46
Quòd omnia grauia pro æterna vita ſunt toleranda. 47
De die æternitatis, & huius vitæ anguſtijs. Cap. 48
De deſiderio æternæ vitæ, & quanta ſint certantibus promiſſa. 49
Qualiter homo deſolatus ſe debet in manus Dei offerre. 50
Quòd humilibus ſit inſiſtendum operibus cum deficitur a ſummis. 51
Quòd homo non reputet ſe conſolatione dignum, ſed magis dignum verberibus 52
Quòd gratia Dei non miſcetur ſapientibus terre-

terrena.
De Diuerſis motibus naturæ, & gratiæ. 53
De Corruptione naturæ, & efficacia gratiæ 54
diuinæ. 55
Quòd nos ipſos abnegare, & Chriſtum imitari debemus per Crucem. 56
Quòd homo non ſit nimis deiectus, quando in aliquos labitur defectus. 57
De Altioribus rebus; & occultis Iudicijs Dei non ſcrutandis. 58
Quòd omnis ſpes, & fiducia in ſolo Deo figenda eſt. 59

Expliciunt Capitula Libri Tertij. Ioannis Gerſenis Abbatis.

Incipit L'ber Quartus,

IOANNIS GERSENIS ABBATIS,

De Sacræmento Corporis Chriſti.

PROOEMIVM.

VENITE ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, dicit Dominus. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Matth. 11. Ioan. 6.

Matth.16 & 1. Cor. 11. vita. Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meũ, Ioan.6. in me manet, & ego in illo. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.

Cum quanta reuerentiæ Chriſtus ſit ſuſcipiendus. Cap. I.

1 HÆc ſunt verba tua, Chriſte, veritas æterna, quamuis non vno tempore prolata, nec vno in loco conſcripta. Quia ergo tua ſunt verba, grataner mihi, & fideliter cuncta ſunt accipienda. Tua ſunt, & tu ea protuliſti: & mea quoque ſunt, quia pro ſalute mea ea edediſti. Libenter ſuſcipio ea ex ore tuo, vt aptiùs inſerantur cordi meo. Excitant me verba tantæ pietatis, plena dulcedinis, & dilectionis. Sed terrent me delicta propria: & ad capienda tanta myſteria me reuerberat impura conſcientia. Prouocat me dulcedo verborum meorum, ſed onerat me multitudo vitiorum tuorum.

2 Iubes, vt fiducialiter ad te accedam, ſi tecum velim habere partem: vt immortalitatis accipiam alimoniam, ſi æternam
Matth.12. cupiam obtinere vitam, & gloriam. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati

rati eſtis, & ego reficiam vos: O dulce & amicabile verbũ in aure peccatoris, quòd tu, Domine Deus meus, egenum, & pauperem inuitas ad communionem tui ſanctiſſimi Corporis. Sed quis ego ſum, Domine, vt ad te præſumam accedere? Ecce, cæli cælorum te non capiunt, & tu dicis: Venite ad me omnes.

3 Quid ſibi vult iſta pijſſima dignatio, & tam amicabilis inuitatio? Quomodò auſus ero venire, qui nihil boni mihi cõſcius ſum, vnde poſsim præſumere? Quomodò te introducam in domum meam, qui ſæpiùs offendi benignißimam faciem tuam? Reuerẽtur Angeli, & Archangeli, metuunt Sancti, & Iuſti; & tu dicis: Venite ad me omnes? Niſi tu, Domine, hoc diceres, quis verum eſſe crederet? Et niſi tu iuberes, quis accedere attentaret? Ecce, Noe, vir iuſtus, in arcæ fabrica, centum annos laborauit; vt cum paucis ſaluaretur: & ego quomodò me potero vna hora præparare, vt mundi Fabricatorem cum reuerentia ſumam? Gen. 6.

4 Moyſes famulus tuus, magnus, & ſpecialis amicus tuus, arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundiſſimo veſtiuit auro, vt tabulas Legis in ea reponeret: & ego putrida creatura audebo te Conditorem Legis, ac vitæ datorem, tam facilè ſuſcipe- Exod. 25. & 26.

3.Reg.6. ſcipere? Salomon, ſapientiſsimus Regum Iſrael, magnificum templum ſeptem annis, in laudem nominis tui ædificauit: & octo diebus feſtũ Dedicationis eius celebrauit:
3.Reg 8. mille hoſtias pacificas obtulit: & arcam fœderis clangore buccinæ, & iubilo, in locum ſibi præparatum ſolemniter collocauit. Et ego infelix, & pauperrimus hominum, quomodò te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere deuotè noui horam? & vtinam vel ſemel dignè, ferè mediam!

5 O mi Deus, quantum illi ad placendũ tibi agere ſtuduerunt! Heu, quàm puſillum eſt, quod ago! quàm breue expleo tempus, cum me ad communicandum diſpono! Raro totus collectus, rariſsimè ab omni diſtractione purgatus. Et certè in tua ſalutari Deitatis præſentia, nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare creatura: quia non Angelum, ſed Angelorũ Dominum ſuſcepturus ſum hoſpitio.

6 Eſt tamen magna diſtantia inter arcam fœderis cum ſuis reliquijs, & mundiſsimum Corpus tuũ cum ſuis ineffabilibus virtutibus: inter legalia illa Sacrificia, futurorum præfiguratiua, & verã tui Corporis Hoſtiã, omnium antiquorum Sacrificiorũ completiuam. Quare igitur non magis, ad tuam

vene-

venerabilem inardeſco præſentiam? Cur nō maiori me præparo ſollicitudine ad tua Sancta ſumenda, quando illi antiqui ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, Reges quoque, & Principes cum vniuerſo populo, tantùm deuotionis demonſtrarunt affectum, erga cultum diuinum?

7 Saltauit Rex deuotiſsimus Dauid coram arca Dei totis viribus, recolens beneficia olim indulta Patribus: fecit diuerſi generis organa, Pſalmos edidit, & cantari inſtituit cum lætitia; cecinit & ipſe frequēter in cithara, Spiritus ſancti afflatus gratia; docuit populum Iſraël toto corde Deum laudare, & ore conſono diebus ſingulis benedicere, & prædicare. Si tanta agebatur tunc deuotio, ac diuinæ laudis extitit recordatio coram arca Teſtamenti; quanta nunc mihi, & omni populo Chriſtiano habenda eſt reuerentia, & deuotio in præſentia Sacramenti, in ſumptione excellentiſsimi Corporis Chriſti? 2. Reg. 6.

8 Currunt multi ad diuerſa loca pro viſitandis Reliquijs Sanctorum; & mirantur auditis geſtis eorum; alta ædificia templorum inſpiciunt, & oſculantur ſericis, & auro inuoluta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce, tu præſens es hic apud me in altari, Deus meus, Sanctus Sanctorum, & Dominus Angelorū.

in anima virtus amiſſa: & per peccatum deformata, redit pulchritudo. Tanta eſt aliquando hæc gratia, vt ex plenitudine collatæ deuotionis non tantùm mens, ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores.

11 Dolendum tamen valde, & miſerandum, ſuper tepiditate, & negligentia noſtra, quòd non maiori affectu trahitur ad Chriſtum ſumendum: in quo tota ſpes ſaluandorum conſiſtit, & meritum. Ipſe enim eſt ſanctificatio noſtra, & redemptio: ipſe conſolatio Viatorum, & Sanctorum æterna fruitio. Dolendum itaque valde, quòd multi tam parum hoc ſalutare myſterium aduertunt, quod cælum lætificat, & mundum conſeruat vniuerſum. Heu cæcitas, & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, & ex quotidiano vſu etiam ad inaduertentiam defluere.

12 Si enim hoc ſanctiſſimum Sacramentũ in vno tantùm celebraretur loco, & ab vno tantùm conſecraretur Sacerdote in mũdo; quanto putas deſiderio ad illum locum, & ad talem Dei Sacerdotem, homines afficerentur, vt diuina myſteria celebrari audirent. Nunc autem multi facti Sacerdotes, & in multis locis offertur Chriſtus; vt tantò maior appareat gratia, & dilectio Dei ad

hominem; quantò latiùs eſt ſacra Communio diffuſa per orbem. Gratias tibi Ieſu bone, paſtor æterne, qui nos pauperes, & exules dignatus es pretioſo Corpore, & Sãguine tuo reficere: & ad hæc myſteria percipienda, etiam proprij oris tui alloquio inuitare, dicendo: Venite ad me omnes, qui la-
Matth. 11.
boratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Quòd magna bonitas, & charitas Dei in Sacramento exhibetur homini. *Cap. II.*

1 SVper bonitate tua, & magna miſericordia tua, Domine, confiſus accedo æger ad Saluatorem, eſuriens, & ſitiens ad fontem vitæ, egenus ad Regem cæli, ſeruus ad Dominum, creatura ad Creatorem, deſolatus ad meum pium Conſolatorem. Sed vnde hoc mihi, vt venias ad me? Quis ego ſũ, vt præſtes mihi teipſum? Quomodò audet peccator corã te apparere? &
Luc. 1.
quomodò tu dignaris ad peccatorem venire? Tu noſti ſeruum tuum, & ſcis, quia nil boni in ſe habet, vnde hoc ipſi præſtes. Cõfiteor igitur vtilitatem meam, agnoſco tuã bonitatem; laudo pietatem, & gratiam ago propter nimiam charitatem. Propter temetipſum enim hoc facis, non propter

mea merita: vt bonitas tua mihi magis innoteſcat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectiùs commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, & tu ſic fieri iuſsiſti, placet & mihi dignatio tua: & vtinam iniquitas mea non obſiſtat.

2 O dulciſsime, & benigniſſime Ieſu, quanta tibi reuerentia, & gratiarum actio cum perpetua laude, pro ſuſceptione ſacri Corporis tui debetur: cuius dignitatem nullus hominum explicare potens inuenitur. Sed quid cogitabo in hac Communione, in acceſſu ad Dominum meum, quem debitè venerari nequeo, & tamen deuotè ſuſcipere deſidero? Quid cogitabo meliùs & ſalubriùs, niſi me ipſum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando ſupra me? Laudo te, Deus meus, & exalto in æternum. Deſpicio me, & ſubijcio tibi, in profundū vilitatis meæ.

3 Ecce tu Sanctus Sanctorum, & ego ſordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad me, qui non ſum dignus ad te reſpicere. Ecce tu venis ad me, tu vis eſſe mecum, tu me inuitas ad conuiuium tuum. Tu mihi dare vis cæleſtem cibum, & panem Angelorum ad manducandum: non alium ſanè, quàm te ipſum, panem viuum, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo. Pſal. 77. Ioan. 6.

4 Ecce, vnde dilectio procedit, qualis dignatio illuceſcit, quàm magnæ gratiarum actiones, & laudes tibi pro his debentur. O quàm ſalutare, & vtile conſilium tuum, cùm illud inſtituiſti! quàm ſuaue & iucundum conuiuium, cum te ipſum in cibum donaſti! O quàm admirabilis operatio tua, Domine, quàm potens virtus tua! quàm infallibilis veritas tua! Dixiſti enim, & facta ſunt omnia: & hoc factum eſt, quod ipſe iuſſiſti.

Gen. 1. & Pſal. 148.

5 Mira res, & fide digna, ac humanum vincens intellectum, quòd tu, Domine Deus meus, verus Deus, & homo, ſub modica ſpecie panis, & vini integer contineris; & ſine conſumptione a ſumente manducaris. Tu Domine vniuerſorum, qui nullius habes indigentiam, voluiſti per Sacramentum tuũ habitare in nobis: conſerua cor meum, & corpus immaculatum: vt læta, & pura conſcientia ſæpiùs valeam tua celebrare myſteria, & ad meam perpetuam accipere ſalutem, quæ ad tuum præcipuè honorem, & memoriale perenne ſanxiſti, & inſtituiſti.

Pſal. 15.

Author oſtẽdit ſe Sacerdotẽ

6 Lætare anima mea, & gratias age Deo pro tam nobili munere, & ſolatio ſingulari, in hac lacrymarum valle tibi relicto. Nam quoties hoc myſterium recolis, & Chriſti corpus accipis; toties tuæ redemptionis

opus

opus agis, & particeps omnium meritorum Chriſti efficeris. Charitas etenim Chriſti nunquam minuitur; & magnitudo propitiationis eius, numquam exhauritur. Ideo noua ſemper mentis renouatione ad hoc diſponere te debes, & magnũ ſalutis myſteriũ attenta conſideratione penſare. Ita magnũ, nouum, & iucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Miſſam audis; ac ſi eodem die Chriſtus primùm in vterum Virginis deſcendens, Homo factus eſſet: aut in Cruce pendens, pro ſalute hominum pateretur, & moreretur.

Quòd vtile ſit ſæpe communicare. Cap. III.

1 ECce, ego venio ad te, Domine, vt benè mihi ſit ex munere tuo, & lætificer in conuiuio ſancto tuo, quod paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Ecce, in te eſt totum, quod deſiderare poſſum, & debeo; in te ſalus mea, & redemptio, ſpes, & fortitudo, decus & gloria. Lætifica ergo hodie animam ſerui tui, quoniam ad te Domine Ieſu animam meam leuaui. Deſidero te nunc deuotè, ac reuerenter ſuſcipere; cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zachæo merear a te benedici, ac inter filios Abrahæ

Pſal. 67.

Pſal. 85.

Abrahæ computari. Anima mea Corpus tuum concupiſcit, cor meum tecum vniri deſiderat.

2 Trade te mihi, & ſufficit. Nam præter te, nulla conſolatio valet. Sine te eſſe nequeo, & ſine viſitatione tua viuere non valeo. Ideoque oportet me frequẽter ad te accedere, & in remediũ ſalutis meæ recipere; ne fortè deficiam in via, ſi fuero cæleſti fraudatus alimonia. Sic enim tu miſericordiſſime Ieſu, prædicans populis, & varios curans

Matth 15. Matth. 8. languores, aliquando dixiſti: Nolo eos ieiunos dimittere in domum ſuam, ne deficiãt in via. Age igitur hoc modo mecum, qui te pro fidelium conſolatione in Sacramento reliquiſti. Tu es enim ſuauis refectio animæ; & qui te dignè manducauerit, particeps, & hæres erit æternæ gloriæ. Neceſſarium mihi quidem eſt, qui tam ſæpe labor, & pecco: tam citò torpeſco, & deficio; vt per frequentes orationes, & confeſsiones, ac ſacram tui Corporis perceptionem, me renouem, mundem, & accendam; ne fortè diutiùs abſtinendo, a ſancto propoſito defluam.

Gen. 8. 3 Proni enim ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua; & niſi ſuccurrat diuina medicina, labitur homo mox ad peiora. Retrahit ergo ſancta Communio a

malo

malo, & confortat in bono. Si enim modò tam ſæpe negligens ſum, & tepidus, quando communico, & celebro; quid fieret, ſi medelam non ſumerem, & tam grande iuuamen non quærerem? Et licet omni die non ſim aptus, nec ad celebrandum benè diſpoſitus; dabo tamen operam, congruis temporibus diuina percipere myſteria, ac tantæ gratiæ participem me exhibere. Nam hæc eſt vna principalis fidelis animæ conſolatio, quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore: vt ſit ſæpiùs memor Dei ſui, Dilectum ſuum deuota ſuſcipiat mente.

4 O mira circa nos, tuæ pietatis dignatio, quòd tu Domine Deus, creator, & viuificator omnium Spiritũum, ad pauperculam digneris venire animam: & cum tota diuinitate tua, ac humanitate, eius impinguare eſuriem. O felix mens, & beata anima, quæ te Dominum Deum ſuum meretur deuotè ſuſcipere, & in tua ſuſceptione, ſpirituali gaudio repleri! O quàm magnum ſuſcipit Dominum! quàm dilectum inducit hoſpitem! quàm iucundum recipit ſocium! quàm fidelem acceptat amicum! quàm ſpecioſum, & nobilem amplectitur ſponſum præ omnibus dilectis, & ſuper omnia deſiderabilia amandum! Sileant a facie tua, dulciſſime dilecte mi, cælum, & terra, &

omnis

omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent, ac decoris, ex dignatione tuæ eſt largitatis: nec ad decorem tui per-
Pſal. 146. uenient nominis, cuius ſapientiæ non eſt numerus.

Quòd multa bona præſtantur deuotè communicantibus. Cap. IV.

Pſal. 20 1 DOmine Deus meus, præueni ſeruum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, vt ad tuum magnificum Sacramentum dignè, ac deuotè merear accede-
Phil. 105 re. Excita cor meum in te, & a graui torpore exue me. Viſita me in ſalutari tuo, ad guſtandum in ſpiritu tuam ſuauitatem, quæ in hoc Sacramento, tamquam in fonte, plenariè latet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum myſterium: & ad credendum illud indubitata fide, me robora. Eſt enim operatio tua, non humana potentia: tua ſacra inſtitutio, non hominis adinuentio. Non enim ad hæc capienda, & intelligenda aliquis idoneus per ſe reperitur, quæ Angelicam etiam ſubtilitatem tranſcendunt. Quid ergo ego peccator indignus, terra, & cinis, de tam alto Sacramento potero inueſtigare, & capere?

2 Domine, in ſimplicitate cordis, in bona,

bona, firma fide, & in tua iuſſione ad te cum ſpe, ac reuerentia accedo: & verè credo, quia tu præſens es hic in Sacramento, Deus, & homo. Vis ergo, vt te ſuſcipiam, & me ipſum tibi in charitate vniam? Vnde tuam precor clementiam, & ſpecialem ad hoc imploro mihi donari gratiam; vt totus in te liqueſiam, & amore perfluam, atque de nulla aliena conſolatione ampliùs me intromittam. Eſt enim hoc altiſſimum, & digniſſimum Sacramentum, ſalus animæ & corporis, medicina omnis ſpiritualis languoris: in quo vitia mea curantur, paſſiones frænantur, tentationes vincuntur, & minuuntur: gratia maior infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, ſpes roboratur, & charitas igneſcit, ac dilatatur.

3 Multa namque bona largitus es, & adhuc ſæpiùs largiris in Sacramento dilectis tuis deuotè communicantibus, Deus meus, ſuſceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, et totius dator conſolationis internæ. Nam multam ipſis conſolationem, aduerſus variam tribulationem infundis; & de imo deiectionis propriæ, ad ſpem tuæ protectionis erigis: atque noua quadam gratia, eos intus recreas, & illuſtras: vt qui anxij primùm, & ſine affectio-

ne

ne ſe ante Communionem ſenſerant; poſtea refecti cibo, potuque cæleſti in melius ſe mutatos inueniant. Quòd idcirco cum electis tuis ita diſpenſanter agis: vt veraciter agnoſcant, & patenter experiantur, quàm nihil ex ſemetipſis habeant, & quid bonitatis, ac gratiæ ex te conſequantur. Quia ex ſemetipſis frigidi, duri, ac indeuoti; ex te autem ferventes, alacres, & deuoti eſſe merentur. Quis enim ad fontem ſuauitatis humiliter accedens, non modicum ſuauitatis inde reportat: aut quis iuxta ignem copioſum ſtans, non parum caloris inde percipit? Et tu fons es ſemper plenus, & ſuperabundans, ignis iugiter ardens, & nunquam deficiens.

Eſa. 12. Leu. 6.

4 Vnde ſi mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec vſque ad ſatietatem potare, apponam tamen os meum ad foramen cæleſtis fiſtulæ: vt ſaltem inde guttulam modicam capiam ad refocillandam ſitim meam, vt non penitus exareſcam. Etſi nec dum totus cæleſtis, & tam ignitus (vt Cherubim, & Seraphim) eſſe poſſum: conabor tamen deuotioni inſiſtere, & cor meum præparare: vt vel modicam diuini incendij flammam, ex humili ſumptione viuifici Sacramenti conquiram. Quid quid autem mihi deeſt, bone Ieſu, Saluator ſanctiſſime,

tu

tu pro me ſupple benignè, ac gratioſè, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & oneratieſtis, & ego reficiam vos. Mat.11.

5 Ego quidem laboro in ſudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis paſſionibus implicor, & premor: & non eſt qui adiuuet; non eſt qui liberet, & ſaluum faciat, niſi tu Domine Deus, Saluator meus: cui committo me, & omnia mea, vt me cuſtodias, & perducas in vitam æternam. Suſcipe in laudem, & gloriam nominis tui, qui Corpus tuum, & Sanguinem, in cibum, & potum mihi paraſti. Præſta Domine Deus, ſalutaris meus: vt cum frequentatione myſterij tui, creſcat meæ ſalutis, & deuotionis affectus. Gen.3.

De dignitate Sacramenti, & ſtatu Sacerdotali. Cap.V.

1 SI haberes Angelicam puritatem, & Sancti Ioannis Baptiſtæ ſanctitatem, non eſſes dignus hoc Sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc debetur meritis hominum, quòd homo cõſecret, & tractet Chriſti Sacramentum: vt ſumat in Mat.18.

cibum

Pſ.77. cibũ panem Angelorum.Grãde myſteriũ,& magna dignitas Sacerdotum, quibus datum eſt, quod Angelis non eſt conceſſum. Soli namque Sacerdotes in Eccleſia ritè ordinati,poteſtatem habent celebrandi, & Corpus Chriſti conſecrandi. Sacerdos quidem miniſter eſt Dei, vtens verbo Dei per iuſſionem, & inſtitutionem Dei; Deus autem ibi principalis eſt auctor, & inuiſibilis operator, cui ſubeſt omne, quod voluerit: & paret omne, quod iuſſerit. Gen.2. Pſal.148. & Ro.9.

2 Plus ergo credere debes Deo omnipotenti, in hoc excellentiſſimo Sacramẽto, quàm proprio ſenſui, aut alicui ſigno viſibili. Ideoque cum timore, & reuerentia ad hoc opus eſt accedendum. Attende igitur, & vide cuius miniſterium tibi traditum eſt per impoſitionem manus Epiſcopi. 1.Tim.4. Ecce, Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus; vide nunc, vt fideliter, & deuotè in ſuo tempore, Deo Sacrificium offeras, & te ipſum irreprenheſibilẽ exhibeas. Non alleuiaſti onus tuum, ſed arctiori iam alligatus es vinculo diſciplinæ, & ad maiorem teneris perfectionem ſanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus, & alijs bonæ vitæ exemplum præbere. Phil.2. Eius conuerſatio non cum popularibus, & communibus hominum vijs, ſed cum

An-

Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.

3 Sacerdos ſacris veſtibus indutus, Chriſti vices gerit; vt Deum pro ſe, & pro omni populo, ſuppliciter, & humiliter roget. Habet ante ſe, & retro Dominicæ Crucis ſignum, ad memorandam iugiter Chriſti paſsionem. Ante ſe Crucem in Caſula portat, vt Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi feruenter ſtudeat. Poſt ſe Cruce ſignatus eſt, vt aduerſa quælibet illata ab alijs, clementer pro Deo toleret. Ante ſe Crucem gerit, vt propria peccata lugeat: Poſt ſe, vt aliorum etiam commiſſa per cōpaſsionem defleat, & ſe medium inter Deū, & peccatorem conſtitutum eſſe ſciat. Nec ab oratione, nec ab oblatione ſancta torpeſcat, donec gratiam, & miſericordiam impetrare mereatur. Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Eccleſiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præſtat, & ſeſe omnium bonorum participem efficit.

Heb. 5.

N. B. de Planeta Sacerdotali.

Interrogatio de exercitio ante Communionem. Cap. VI.

1 CVm tuam dignitatem, Domine, & meam vilitatem penſo, valde cō-

T tremi-

tremiſco,& in meipſo confundor. Si enim non accedo, vitam fugio: & ſi indignè me ingeſſero, offenſam incurro. Quid ergo faciam, Deus meus, auxiliator meus, & conſilium in neceſsitatibus.

2 Tu doce me viam rectam; propone breue aliquod exercitium ſacræ Communioni congruum. Vtile eſt enim ſcire, qualiter, ſcilicet deuotè, ac reuerenter, tibi præparare debeam cor meum ad recipiendum ſalubriter tuum Sacramentum, ſeu etiam celebrandum tam magnum, & diuinum Sacrificium.

De diſcuſsione propriæ conſcientiæ, & emendationis propoſito. Cap. VII.

1 SVper omnia, cum ſumma humilitate cordis, & ſupplici reuerentia, cum plena fide, & pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandũ, & ſumendum, oportet accedere Dei Sacerdotem. Diligenter examina conſcientiam tuam: & pro poſſe tuo, vera contritione, et humili Confeſsione eam munda, et clarifica: ita vt nil graue habeas, aut ſcias, quod te remordeat, et liberum acceſſum impediat. Habeas diſplicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, et pro quotidianis

nis exceſsibus magis in ſpeciali doleas, et gemas. Et, ſi tempus patitur, Deo, in ſecreto cordis, cunctas confitere paſsionum tuarum miſerias.

2 Ingemiſce, et dole, quòd adhuc ita carnalis ſis, et mundanus: tam immortificatus a paſsionibus; tam plenus concupiſcentiarum motibus; tam incuſtoditus in ſenſibus exterioribus; tam ſæpe multis vanis phantaſijs implicatus; tam multum inclinatus ad exteriora; tam negligens ad interiora; tam leuis ad riſum, et diſſolutionē; tam durus ad fletum, et compunctionem; tam promptus ad laxiora, et carnis commoda; tam ſegnis ad rigorem, et feruorem; tam curioſus ad noua audienda, et pulchra intuenda; tam remiſſus ad humilia, et vilia amplectenda; tam cupidus ad multa habenda; tam parcus ad dandum; tam tenax ad retinendum; tam inconſideratus in loquendo; tam incontinens ad tacendum; tam incompoſitus in moribus; tam importunus in actibus; tam effuſus ſuper cibum; tam ſurdus ad Dei verbum; tam velox ad quietē; tam tardus ad laborem; tam vigilans ad fabulas; tam ſomnolentus ad vigilias ſacras; tam feſtinus ad finem; tam vagus ad attendendum; tam negligens in Horis perſoluēdis; tam tepidus in celebrando; tam aridus

in communicando; tam citò diſtractus; tam rarò tibi benè collectus; tam ſubitò commotus ad irã; tam facilis ad alterius diſplicentiam; tam pronus ad iudicandum; tam rigidus ad arguendum; tam lætus ad proſpera; tam debilis in aduerſis; tam ſæpe multa bona proponens, & modicum ad effectum perducens.

3 His, & alijs defectibus tuis, cum dolore, & magna diſplicentia propria infirmitatis, confeſſis, & deploratis, firmum ſtatue propoſitum ſemper emendandi vitam tuã, & in melius proficiendi. Deinde cum plena reſignatione, & integra voluntate, offer teipſum in honorem nominis mei, in ara cordis tui holocauſtum perpetuum, corpus tuum ſcilicet, & animam mihi fideliter cõmittendo; quatenus ſic dignè merearis ad offerendum Deo Sacrificium accedere, & Sacramentum Corporis mei ſalubriter ſuſcipere.

4 Non eſt enim oblatio dignior, & ſatisfactio maior pro peccatis diluendis, quàm ſeipſum purè, & integrè, cum oblatione Corporis Chriſti in Miſſa, & in Communione Deo offerre. Si homo fecerit, quod in ſe eſt, & verè pœnituerit; quotieſcumque pro venia, & gratia ad me acceſſerit; viuo
Eze. 18. ego, dicit Dominus (qui nolo mortem pecca-

catoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat) quoniam peccatorum ſuorum nō recordabor ampliùs, ſed cuncta ipſi indulta erunt.

De oblatione Chriſti in Cruce, & propria resignatione. Cap. VIII.

1 SIcut ego meipſum, expanſis in Cruce manibus, et nudo corpore, pro peccatis tuis Deo Patri ſponte obtuli, ita vt nihil in me remaneret, quin totum in ſacrificium diuinæ placationis tranſierit: ita debes & tu temetipſum mihi voluntariè in oblationem puram, & ſanctam, quotidie in Miſſa, cum omnibus viribus, & affectibus tuis, quantò intimiùs vales, offerre. Quid magis a te requiro, quàm vt te ſtudeas mihi ex integro reſignare? Quidquid præter te- Prou. 23. metipſum das, nihil curo; quia non quæro datum tuum, ſed te.

2 Sicut non ſufficeret tibi omnibus habitis, præter me; ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum obtuli Patri pro te; dedi etiam totum Corpus meum, & Sanguinem in cibum, vt totus tuus eſſem, et tu meus permaneres. Si autē in teipſo ſteteris, nec ſponte te ad volunta-

tem meam obtuleris; non eſt plena oblatio, nec integra erit inter nos vnio. Ideo omnia opera tua præcedere debet ſpontanea tui ipſius in manus Dei oblatio, ſi libertatem conſequi vis, & gratiam. Ideo enim tam pauci illuminati, et liberi intus efficiuntur, quia ſe ipſos ex toto abnegare neſciunt.

Luc. 14. Eſt firma ſententia mea: Niſi quis renunciauerit omnibus, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Tu ergo ſi optas meus eſſe diſcipulus, offer teipſum mihi cum omnibus affectibus tuis.

Quòd nos, & omnia noſtra Deo debemus offerre, & per omnibus orare. Cap. IX.

Pſalm. 23 1 DOmine, omnia tua ſunt, quæ in cælo ſunt, & in terra. Deſidero me ipſum tibi in ſpontaneam oblationem offerre, & tuus perpetuò permanere. Domine, in ſimplicitate cordis mei offero me ipſum tibi hodie in ſeruum ſempiternum, in obſequiū, & in ſacrificium laudis perpetuæ. Suſcipe me cum hac ſancta oblatione tui pretioſi Corporis, quam tibi hodie in præſentia Angelorum, inuiſibiliter aſſiſtentium, offero: vt ſit pro me, & pro cuncto populo tuo in ſalutem.

2 Domine, offero tibi omnia peccata, & delicta mea, quæ commiſi coram te, & ſanctis Angelis tuis, a die quo primùm peccare potui vſque ad diem hanc, ſuper placabili Altari tuo: vt tu omnia pariter incēdas, & comburas igne charitatis tuæ, & deleas vniuerſas maculas peccatorum meorum; & conſcientiam meā ab omni delicto emundes; & reſtituas mihi gratiam tuam, quam peccando amiſi, omnia mihi plenè indulgendo, & in oſculum pacis me miſericorditer aſſumendo.

3 Quid poſſum agere pro peccatis meis, niſi humiliter ea confitendo, & lamentando, & tuam propitiationem inceſſanter deprecando? Deprecor te, exaudi me propi- Pſalm. 31.
tius, vbi aſto coram te, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maximè diſplicent, nolo ea vnquam ampliùs perpetrare: ſed pro eis doleo, & dolebo, quamdiu vixero; paratus pœnitentiam agere, & pro poſſe ſatisfacere. Dimitte mihi Deus, dimitte mihi peccata mea, propter nomen ſanctum tuum: ſalua animam meam, quam pretioſo Sanguine tuo redemiſti. Ecce committo me miſericordiæ tuæ, reſigno me manibus tuis. Age mecum ſecundùm bonitatem tuam, non ſecundùm meam malitiam, & iniquitatem.

4 Offero etiam tibi omnia bona mea.

quamuis valde pauca,& imperfecta; vt tu ea emendes,& ſanctifices; vt ea grata habeas, & accepta tibi facias, et ſemper ad meliora trahas; necnon ad beatum, & laudabilem finem me pigrum, & inutilem homuncionem perducas.

5 Offero quoque tibi omnia pia deſideria deuotorum,neceſſitates parentum, amicorum,fratrum,ſororum, omniumque charorum meorum,& eorum,qui mihi, vel alijs propter amorem tuum benè ecerunt:& qui orationes,& Miſſas pro ſe,ſuiſque omnibus dici a me deſiderauerunt,& petierunt, ſiue in carne adhuc viuant, ſiue iam ſæculo defuncti ſint: vt omnes ſibi auxilium gratiæ tuæ,opem conſolationis,protectionem a periculis, liberationem a pœnis aduenire ſentiant;& vt ab omnibus malis erepti,gratias tibi magnificas læti perſoluant.

Hic apertè Auctor demõſtrat ſe Sacerdotem fuiſſe.

6 Offero etiam tibi preces, & hoſtias placationis,pro illis ſpecialiter, qui me in aliquo læſerunt, contriſtauerunt, aut vituperauerunt,vel aliquod damnum,vel grauamen intulerunt: pro his quoque omnibus, quos aliquando contriſtaui, conturbaui, grauaui,& ſcandalizaui,verbis,factis, ſcienter,vel ignoranter: & nobis omnibus pariter indulgeas peccata noſtra, & mutuas offenſiones. Aufer, Domine, a cordibus no-

ſtris,

ſtris omnem ſuſpicionem, indignationem, iram,& diſceptationem: & quidquid poteſt charitatem lædere, & fraternam dilectionẽ minuere. Miſerere, miſerere Domine, miſericordiam tuam poſcentibus, da gratiam indigentibus:& fac nos tales exiſtere, vt ſimus digni gratia tua perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

Quòd ſacra Communio de facili non eſt relinquenda. Cap. X.

1 FRequenter recurrendum eſt ad fontem gratiæ,& diuinæ miſericordiæ, ad fontem bonitatis, & totius puritatis: quatenus a paſsionibus tuis,& vitijs curare valeas, & contra vniuerſas tentationes, & fallacias diaboli fortior, atque vigilantior effici merearis. Inimicus ſciens fructum, & remedium maximum in ſacra Communione poſitum, omni modo, & occaſione nititur fideles,& deuotos, quantum præualet, retrahere,& impedire.

2 Cum enim quidam ſacræ Communioni ſe aptare diſponunt, peiores Sathanæ immiſſiones patiuntur. Ipſe nequam ſpiritus (vt in Iob ſcribitur) venit inter filios Dei: Iob. 1.
vt ſolita ſua nequitia illos perturbet, aut timidos nimium reddat,& perplexos: quatenus

nus affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat: ſi forte, aut omnino Cōmunionem relinquant, aut cum tepore accedant. Sed non eſt quidquam curandum de verſutijs, & phantaſijs illius, quantumlibet turpibus, & horridis, ſed cuncta phantaſmata in caput eius ſunt retorquenda. Contemnendus eſt miſer, & deridendus, nec propter inſultus eius, & commotiones, quas ſuſcitat, ſacra eſt omittenda Communio.

3 Sæpe etiam impedit nimia ſollicitudo pro deuotione habenda, & anxietas quædã de Confeſſione facienda. Age ſecundùm conſilium Sapientum, & depone anxietatẽ, & ſcrupulum: quia gratiam Dei impedit, & deuotionem mentis deſtruit. Propter aliquam paruam tribulationem, vel grauitatẽ, ſacram ne dimittas Communionem: ſed vade citiùs confiteri, & omnes offenſiones alijs libenter indulge. Si verò tu aliquem offendiſti, veniã humiliter precare, & Deus libenter indulgebit.

Prou. 13.

Matth. 5.

4 Quid prodeſt diu tardare Confeſsionem, aut ſacram differre Communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, feſtina accipere remedium, & ſenties meliùs, quàm ſi diu diſtuleris. Si hodie propter iſtud dimittis, cras forſitan aliud

maius

maius eueniet: & ſic diu poſſes a Communione impediri, & magis ineptus fieri. Quãtò citiùs vales, a præſenti grauitate, & inertia te excutias: quia diu nihil importat anxiari, diu cum turbatione tranſire, & ob quotidiana obſtacula ſe a diuinis ſequeſtrare. Immo plurimùm nocet diu Communionem protelare: nam & grauem torporem conſueuit inducere. Proh dolor, quidam tepidi, & diſſoluti, moras confitendi libenter accipiunt, & Communionem ſacram idcirco differri cupiunt, ne ad maiorem ſui cuſtodiam ſe dare teneantur.

5 Heu, quàm modicam charitatem, & debilem deuotionem habent, qui ſacram Communionem tam faciliter poſtponunt. Quàm felix ille, & Deo acceptus habetur, qui ſic viuit, & tali puritate conſcientiam ſuam cuſtodit, vt etiam omni die Communicare paratus, & benè affectatus eſſet ſi ei liceret, & ſine nota agere poſſet. Si quis interdum abſtinet humilitatis gratia, aut legitima impediente cauſa, laudandus eſt de reuerentia. Si autem torpor obrepſerit, ſeipſum excitare debet, & facere quod in ſe eſt, & Dominus aderit deſiderio ſuo pro bona voluntate, quam ſpecialiter reſpicit.

6 Cum verò legitimè præpeditus eſt, habebit ſemper bonam volũtatem, & piam in-

intentionem Communicandi, & ſic non carebit fructu Sacramenti. Poteſt enim quilibet deuotus omni die,& omni hora, ad ſpiritualem Chriſti Communionem ſalubriter, & ſine prohibitione accedere: & tamen certis diebus, & ſtatuto tempore, Corpus ſui Redemptoris, cum affectuoſa Reuerentia Sacramenti taliter debet ſuſcipere: & magis laudem Dei, & honorem prætendere, quàm ſuam conſolationem
1.Cor.11. quærere. Nam totiens myſticè communicat, & inuiſibiliter reficitur, quotiens Incarnationis Chriſti myſterium, Paſſionemque deuotè recolit,& in amore eius accenditur.

7 Qui aliter ſe non præparat, niſi inſtante Feſto, vel Conſuetudine compellente, ſæpiùs imparatus erit. Beatus,qui ſe Domino in holocauſtum offert, quotiens celebrat,aut communicat. Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus, ſed ſerua bonum, communem modum, cum quibus viuit. Non debes alijs generare moleſtiam, & tædium; ſed communem ſerua viam, ſecundùm Maiorum inſtitutionem: & potius aliorum ſeruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni,vel affectui.

Quòd

Quòd Corpus Chriſti, & ſacræ Scripouræ maximè ſunt animæ fideli neceſſaria. Cap. XI.

1 O Dulciſſime Domine Ieſu, quanta eſt dulcedo deuotæ animæ tecum epulantis in conuiuio tuo, vbi ei non alius cibus manducandus proponitur, niſi tu vnicus dilectus eius, ſuper omnia deſideria cordis eius deſiderabilis. Et mihi quidem dulce foret in præſentia tua, & intimo affectu lacrymas fundere, & cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare. Sed vbi eſt hæc deuotio? vbi lacrymarum ſanctarum copioſa effuſio? Certè in conſpectu tuo, & ſanctorum Angelorum tuorum, totum cor meum ardere deberet, & ex gaudio flere. Habeo enim te in Sacramento, verè præſentem, quamuis aliena ſpecie occultatũ. Luc. 7.

2 Nam in propria, & diuina claritate te conſpicere, oculi mei ferre non poſſent; ſed neque totus mundus in fulgore maieſtatis tuæ ſubſiſteret. In hoc ergo imbecillitati meæ conſulis, quod te ſub Sacramento abſcondis. Habeo verè, & adoro, quem Angeli adorant in cælo; ſed ego adhuc interim in fide, illi autem in ſpecie, & ſine velamine. Me oportet contentum eſſe in lumine veræ

fidei, & in ea ambulare, donec aſpiret dies æternæ claritatis, & vmbræ figurarum inclinentur. Cum autem venerit, quod perfectū
1.Cor.13. eſt, ceſſabit vſus Sacramentorum; quia Beati in gloria cæleſti non egent medicamine ſacramentali; gaudent enim ſine fine in præſentia Dei, facie ad faciem gloriā eius ſpeculantes: & de claritate in claritatem abyſſalis Deitatis transformati: guſtant Verbū Dei carnem factum, ſicut fuit ab initio, & manet in æternum.

3 Memor horum mirabilium, graue mihi ſit tædium, etiam quodlibet ſpirituale ſolatium; quia quamdiu Dominum meū apertè in ſua gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conſpicio, & audio. Teſtis es tu mihi Deus; quia nulla res poteſt me conſolari, nulla creatura quietare, niſi tu Deus meus, quem deſidero æternaliter contemplari. Sed non eſt hoc poſſibile, durante me in hac mortalitate. Ideo oportet, vt me ponam ad magnam patientiam & meipſum in omni deſiderio tibi ſubmittā. Nam & Sancti tui, Domine, qui tecum iam in Regno cælorum exultant, in fide, & patientia magna, dū viuerent, aduentū gloriæ tuæ expectabant. Quod illi crediderunt, ego credo; quod illi ſperauerunt, ego ſpero; quò illi peruenerunt, per gratiam tuam me

Mira Auctoris deuotio.

Hebr. 10. & 11.

ven-

venturum confido. Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus Sanctorũ. Habebo etiam libros ſanctos pro ſolatio, & vitæ ſpeculo, atque ſuper hæc omnia ſanctiſſimũ Corpus tuum pro ſingulari remedio, & refugio.

4 Duo nãque mihi neceſſaria permaximè ſentio in hac vita, ſine quibus importabilis mihi foret iſta miſerabilis vita. In carcere corporis huius detentus, duobus me egere fateor, cibo ſcilicet, & lumine. Dediſti itaque mihi infirmo, ſacrum Corpus tuũ ad refectionẽ mentis, & corporis: & poſuiſti lucernam pedibus meis, verbum tuum. Sine his duobus benè viuere non poſſem: nam verbum Dei lux animæ eſt: & Sacramentũ tuũ Panis vitæ. Hæc poſſunt etiã dici menſæ duæ, hinc, & inde in gazophylacio ſanctæ Eccleſiæ poſitæ. Vna menſa eſt ſacri Altaris, habens Panem ſanctũ, id eſt, Corpus Chriſti pretioſum: altera eſt diuinæ legis, continens doctrinam ſanctam, erudiens fidem rectam; & firmiter vſque ad interiora velaminis, vbi ſunt Sancta Sanctorũ, perducens. Gratias tibi Domine Ieſu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ ſacræ menſa, quam nobis per ſeruos tuos Prophetas, & Apoſtolos, alioſque Doctores miniſtraſti.

Ioan. 6. Pſal. 118. Pſal. 28. Hebr. 9. & 13.

5 Gratias tibi Creator, ac Redemptor

ho-

hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam paraſti magnam: in qua non agnum typicum, ſed tuum ſanctiſſimum Corpus, & Sanguinem propoſui-
Luc.14. ſti manducandum: lætificans omnes fide-
Ioan.6. les Conuiuio ſacro, & Calice inebrians ſalutari: in quo ſunt omnes delitiæ Paradiſi, &
Pſalm.22. epulantur nobiſcum Angeli ſancti, ſed ſua-
Sap.16. uitate feliciori.

6 O quàm magnum, & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datū eſt Dominum maieſtatis verbis ſacris conſecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare! O quam mundæ debent eſſe manus illæ, quàm purum os, quàm ſanctum Corpus, quàm immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem tóties ingreditur Auctor puritatis! Ex ore Sacerdotis nihil niſi ſanctum, nihil niſi honeſtum, & vtile procedere debet verbum, qui tam ſæpe Chriſti accipit Sacramentum.

7 Oculi eius ſimplices, & pudici, qui Chriſti corpus ſolent intueri. Manus puræ, & in cælum eleuatæ, quæ Creatorem cæli, & terræ ſolent contrectare. Sacerdotibus
Leuit.19. ſpecialiter in Lege dicitur; Sancti eſtote,
& 20. quoniam ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter.

8 Adiuuet nos gratia tua Omnipotens

Deus,

Deus, vt qui officium Sacerdotale ſuſcepimus,dignè, ac deuotè in omni puritate, & conſcientia bona tibi famulari valeamus.Et ſi non poſſumus in tanta innocentia vitæ conuerſari, vt debemus;concede nobis tamen dignè flere mala,quæ geſſimus: & in ſpiritu humilitatis,ac bonæ voluntatis propoſito,tibi feruentiùs de cætero deſeruire.

Quòd magna diligentia ſe debeat Communicaturus Chriſto, præparare. Cap. XII.

1 EGo ſum puritatis amator, & dator Pſal.23.&
ſanctitatis.Ego cor purum quæro,& Matth.5.
ibi eſt locus requietionis meæ. Para mihi Mar.14.&
cœnaculum grande ſtratum, & faciam apud Luc.22.
te Paſcha cum Diſcipulis meis. Si vis veniā
ad te,& apud te maneam;expurga vetus fer- 1.Cor.5.
mentum,& munda cordis tui habitaculum. Exod.24.
Exclude totum ſæculum, & omnem vitiorū tumultum: ſede tamquam paſſer ſolitarius in tecto,& cogita exceſſus tuos in amaritudine animæ tuæ.Omnis namque amans, ſuo dilecto amatori optimum,& pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoſcitur affectus ſuſcipientis dilectum.

2 Scito tamen te non poſſe ſatisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiamſi per integrum annum te præparares,

& nihil aliud in mente haberes. Sed ex ſola pietate, & gratia mea permitteris ad mẽſam meam accedere, ac ſi mendicus ad prãdium vocaretur diuitis, & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficijs eius, niſi ſe humiliando, & regratiando. Fac, quod in te eſt, & diligenter facito: non ex conſuetudine, non ex neceſſitate, ſed cum timore, & reuerentia, & affectu; accipe Corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire. Ego ſum qui vocaui, ego iuſsi fieri; ego ſupplebo quod tibi deeſt: veni, & ſuſcipe me.

3 Cum gratiam deuotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, ſed quia tui miſertus ſum. Si non habes, ſed magis aridum te ſentis, inſiſte orationi, ingemiſce, & pulſa: ne deſiſtas, donec merearis micam, aut guttam gratiæ ſalutaris accipere. Tu mei indiges, non ego tui indigeo. Nec tu me ſanctificare venis, ſed ego te ſanctificare, & meliorare venio. Tu venis, vt ex me ſanctificeris, & mihi vniaris, vt nouam gratiam recipias, & de nouo ad emendationem accendaris. Noli negligere hanc gratiam: ſed præpara cum omni diligentia cor tuum, & introduc ad te dilectum tuum.

4 Oportet autem, vt non ſolùm præpares te ad deuotionem ante Communionem, ſed vt etiam te ſollicitè conſerues in ea poſt Sacra-

cramenti perceptionem. Nec minor cuſtodia poſt exigitur, quàm deuota præparatio priùs. Nam bona poſtmodũ cuſtodia, optima iterum eſt præparatio, ad maiorem gratiam conſequendam. Ex eo quippe valde indiſpoſitus quis redditur, ſi ſtatim fuerit nimis effuſus ad exteriora ſolatia. Caue a Prou. 10. multiloquio, mane in ſecreto, & fruere Deo tuo: Ipſum enim habes, quem totus mũdus tibi auferre non poteſt. Ego ſum, cui te totũ dare debes; ita vt iam vltra non in te, ſed in me, abſque omni ſollicitudine viuas.

Quòd toto corde anima deuota, Chriſti vnionẽ in Sacramento affectare debet. *Cap. XIII.*

1 QVis mihi det, Domine, vt inueniã te ſolum, & aperiam tibi totũ cor meũ, & fruar te, ſicut deſiderat anima mea: & iam me nemo deſpiciat, nec vlla creatura me moueat, vel reſpiciat; ſed tu ſolus mihi loquaris, & ego tibi, ſicut ſolet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico conuiuari. Hoc oro, hoc deſidero, vt tibi totus vniar, & cor meum ab omnibus creatis rebus abſtraham; magiſq. per ſacram Cõmunionem, ac frequentem celebrationem, cæleſtia, & æterna ſapere diſcam. Ah Domine Exo. 33. Cant. 8.

 Deus,

Deus, quandò ero tecum totus vnitus, & abſorptus, meique totaliter oblitus? Tu in
Ioan. 15. me, & ego in te, & ſic nos pariter in vnum manere concede.

Cant. 5. 2 Verè tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo cōplacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ ſuæ. Verè tu pacificus meus, in quo pax ſumma, & requies vera; extra quem labor, & dolor, & infinita miſeria. Verè tu es Deus abſconditus, & conſilium tuum nō eſt cum impijs, ſed cum humilibus, & ſimplicibus ſermo tuus. O
Prou. 3. Sap. 12. quàm ſuauis eſt ſpiritus tuus, Domine, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo, de cælo deſcendente, illos
Deut. 4. reficere dignaris! Verè non eſt alia natio tā grandis, quæ habeat Deos appropinquātes ſibi, ſicut tu Deus noſter ades vniuerſis fidelibus tuis: quibus ad quotidianum ſolatium, & cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum, & fruendum.

3 Quæ eſt enim alia Gens tam inclyta, ſicut plebs Chriſtiana? Aut quæ creatura ſub cælo tam dilecta, vt anima deuota, ad quam ingreditur Deus, vt paſcat eam carne ſua glorioſa? O ineffabilis gratia! ò admirabilis dignatio! o amor immenſus homini
Pſalm. 115 ſingulariter impenſus! Sed quid retribuam Domino pro gratia iſta, pro charitate tam

exi-

eximia? Non eſt aliud, quod gratius donare queam, quàm vt cor meum Deo meo totaliter tribuam, & intimè coniungam. Tunc exultabunt omnia interiora mea, cum perfectè fuerit vnita Deo anima mea. Tunc dicet mihi: Si tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum. Et ego reſpōdebo illi: Dignare Domine manere mecum, ego volo libenter eſſe tecum. Hoc eſt totum deſiderium meum, vt cor meum tibi ſit vnitum.

De quorumdam deuotorum ardenti deſiderio ad Corpus Chriſti. *Cap. XIV.*

1 O Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Quando recordor deuotorum aliquorum, ad Sacramētum tuum Domine, cum maxima deuotione, & affectu accedentium; tunc ſæpiùs in me ipſo confundor, & erubeſco, quòd ad Altare tuum, & ſacræ Communionis menſam, tam tepidè, & frigidè accedo: quòd ita aridus, & ſine affectione cordis maneo: quòd non ſum totaliter accēſus coram te Deo meo; nec ita vehementer attractus, & affectus; ſicut multi deuoti fuerunt, qui præ nimio deſiderio Cōmunionis, & ſenſibili cordis amore, a fletu ſe non potuerūt abſtinere: ſed ore cordis, & corporis pariter ad te Deum fontem viuum medulli- Pſalm. 30.

tus inhiabant, ſuam eſuriem non valentes aliter temperare, nec ſatiare, niſi Corpus tuum cum omni iucunditate, & ſpirituali auiditate accepiſſent.

2 O vera ardens fides eorum, probabile exiſtens argumentum ſacræ præſentiæ tuæ. Iſti enim veraciter cognoſcunt Dominũ ſuũ
Luc. 24. in fractione Panis, quorũ cor tã validè ardet in eis, de Ieſu ambulante cum eis. Longè eſt a me ſæpe talis affectus, & deuotio, tam vehemens amor, & ardor. Eſto mihi propitius Ieſu bone, dulcis, & benigne: & cõcede pauperi mendico tuo, vel interdum modicũ de cordiali affectu amoris tui in ſacra Communione ſentire: vt fides mea magis conualeſcat; ſpes in bonitate tua proficiat; & charitas ſemel perfectè accenſa, & cæleſte mãna experta numquam deficiat.

3 Potens eſt autem miſericordia tua etiã gratiam deſideratam mihi præſtare, & in ſpiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui aduenerit, me clementiſſimè viſitare. Etenim licet tanto deſiderio tam ſpiritualium deuotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magis inflammati deſiderij deſiderium habeo: orans, & deſiderans, omnium talium feruidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum ſancto conſortio annumerari.

Quòd

Quòd gratia deuotionis, humilitate, & ſui ipſius abnegatione acquiritur. Cap. XV.

1 OPortet te deuotionis gratiam inſtãter quærere, deſideranter petere, patienter, & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conſeruare, ſtudiosè cũ ea operari, ac Deo tempus, & modum ſupernæ viſitationis, donec veniat, committere; Humiliare præcipuè te debes, cũ parũ, aut nihil deuotionis interiùs sẽtis, ſed nõ nimiũ deijci, nec inordinatè contriſtari. Dat ſæpe Deus in vno breui momento, quod longo negauit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis diſtulit dare.

2 Si ſemper citò gratia daretur, & pro voto adeſſet, non eſſet infirmo homini benè portabile. Propterea in bona ſpe, & humili patientia expectanda eſt deuotionis gratia. Tibi tamen, & peccatis tuis imputa, cum nõ datur, vel etiam occultè tollitur. Modicum quandoque eſt, quod gratiam impedit, & abſcondit: ſi tamen modicum, & nõ potiùs grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet. Et ſi hoc ipſum grande, vel modicum amoueris, & perfectè viceris, erit quod petiſti.

3 Statim namque, vt te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc, vel illud pro tuo libi-

tu,ſeu velle quæſieris, ſed integrè te in ipſo
poſueris,vnitum te inuenies,& pacatũ;quia
nil ita benè ſapiet,& placebit,ſicut beneplacitum Diuinæ voluntatis.Quiſquis ergo intentionem ſuam ſimplici corde ſurſum ad
Deum leuauerit, ſeque ab omni inordinato
amore,ſeu diſplicentia cuiuslibet rei creatę
euacuauerit,aptiſſimus gratiæ percipiẽdæ,
ac dignus deuotionis munere erit. Dat
enim Dominus ibi benedictionem ſuam,vbi
vaſa vacua inuenerit. Et quantò perfectiùs
infimis quis renunciauerit, & magis ſibi ipſi
per contemptũ ſui moritur, tantò gratia
celeriùs venit,copioſiùs intrat, & altiùs liberum cor eleuat.

Pſal. 6 4 Tunc videbit,& afflu et,& mirabitur,&
dilatabitur cor eius in ipſo; quia manus Domini cum eo, & ipſe ſe poſuit totaliter in
manu eius vſque in ſæculum.Ecce ſic benedicetur homo, qui quærit Deum in toto
corde ſuo, nec in vanum accipit animam
ſuam.Hic in accipiendo ſacram Euchariſtiã,
magnã promeretur Diuinæ vnionis gratiã;
quia nõ reſpicit ad propriam deuotionẽ, &
conſolationẽ,ſed ad Dei gloriã, & honorẽ.

Quòd neceſsitates noſtras Chriſto aperire, & eius gratiam poſtulare debemus. Cap.XVI.

1 O Dulciſsime,atque amantiſſime Domine, quem nunc deuotè deſidero
ſuſci-

ſuſcipere, tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſitatem, quam patior; in quantis malis, & vitijs iaceo; quam ſæpe ſum grauatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro conſolatione, & leuamine te deprecor. Ad omnia ſcientē loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora mea, & qui ſolus potes me perfectè cōſolari, & adiuuare. Tu ſcis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper ſum in virtutibus.

2 Ecce, ſto ante te pauper, & nudus, gratiā poſtulans, & miſericordiam implorans. Reſice eſurientem, mendicum tuum; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina cæcitatem meā claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinē, omnia grauia, & contraria in patientiā, omnia infima, & creata in contemptū, & obliuionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimittas me vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc iam dulceſcas vſque in ſæculum; quia tu ſolus cibus, & potus meus, amor meus, & gaudium meū, dulcedo mea, & totum bonum meum.

3 Vtinam me totaliter ex tua præſentia accendas, comburas, & in te transmutes; vt vnus tecum efficiar ſpiritus, per gratiam internæ vnionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me ieiunum, & aridum 1.Cor.6.

a te recedere: ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæpius operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, ſi totus ex te ingemiſcerem, & in me ipſo deficerẽ; cum tu ſis ignis ſemper ardens, & numquã deficiens, amor corda purificans, & intellectum illuminans?

De ardenti amore, & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum. Cap. XVII.

1 Cum ſumma deuotione, & ardenti amore, cũ toto cordis affectu, & feruore, deſidero te Domine ſuſcipere, quemadmodum multi ſancti, & deuotæ perſonæ, in communicando te deſiderauerunt, qui tibi maximè in ſanctitate vitæ placuerunt, & in ardẽtiſſima deuotione fuerũt. O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis! cupio te ſuſcipere cum vehemẽtiſſimo deſiderio, & digniſſima reuerentia, quàm aliquis Sanctorum vmquã habuit, & ſentire potuit.

2 Et licet indignus ſim omnia illa ſentimenta deuotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac ſi omnia illa gratiſſimè inflammata deſideria ſolus haberem. Sed & quæcumque poteſt pia mens concipere, & deſiderare, hæc omnia tibi cũ ſumma veneratione, & intimo fauore præ-

beo,

beo,& offero . Nihil opto mihi reſeruare, ſed me, & omnia mea,tibi ſponte, & libentiſſimè immolare . Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus, cũ tali affectu,reuerentia,laude, & honore; cũ tali gratitudine,dignitate & amore;cum tali Fide,Spe,& Puritate, te affecto hodie ſuſcipere,ſicut te ſuſcepit, & deſiderauit ſanctiſsima Mater tua,glorioſa Virgo Maria,quãdo Angelo euangelizãti ſibi Incarnationis myſteriũ,humiliter,ac deuotè reſpondit: Ecce Luc. 1.
Ancilla Dñi, fiat mihi ſecundũ verbum tuũ. Ibid.

3 Et ſicut beatus Præcurſor tuus,excellẽtiſſimus Sanctorũ,Ioannes Baptiſta, in præſentia tua lætabundus exultauit in gaudio Spiritus ſancti, dum adhuc maternis clauderetur viſceribus. Et poſtmodum cernens inter homines Ieſum ambulantem, valde ſe humilians, deuoto cum affectu dicebat: Amicus autem ſponſi,qui ſtat,& audit eum, Ioan. 1.
gaudio gaudet propter vocem ſponſi: Sic & ego magnis,& ſacris deſiderijs opto inflammari,& tibi ex toto corde me ipſum præſẽtare. Vnde & omnium deuotorum cordium iubilationes,ardentes affectus, mẽtales exceſſus,ac ſupernales illuminationes,& cælicas viſiones tibi offero,& exhibeo cũ omnibus virtutibus, & laudibus,ab omni creatura in cælo, & in terra celebratis, & cele-

brandis, pro me, & omnibus mihi in oratio-ne commendatis; quatenus ab omnibus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris.

4 Accipe vota mea Domine Deus meus, & deſideria infinitæ laudationis; & immenſæ benedictionis: quæ tibi, ſecundùm multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ, iure debentur. Hæc tibi reddo, & reddere deſidero per ſingulos dies, & momenta tẽporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias, & laudes, omnes cæleſtes Spiritus, & cunctos fideles tuos, precibus, & affectibus inuito, & exoro.

Pſal. 116. 5 Laudẽt te vniuerſi populi, tribus, & linguæ; & ſanctum, ac mellifluum nomen tuũ, cũ ſumma iubilatione, & ardenti deuotione magnificent. Et quicumque reuerenter, ac deuotè altiſſimum Sacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam, & miſericordiã apud te inuenire mereantur, & pro me peccatore ſuppliciter exorent. Cumque optata deuotione, ac fruibili vnione potiti fuerint, & benè conſolati, ac mirificè refecti, de ſacra menſa cæleſti abſceſſerint, mei pauperis recordari dignentur.

Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti, ſed humilis imitator Chriſti ſubdendo ſenſum ſacræ Fidei. Cap. XVIII.

1 CAuendum eſt a curioſa, & inutili perſcru-

ſcrutatione huius profundiſſimi Sacramenti, ſi non vis in dubitationis profundum ſubmergi. Qui ſeruator eſt Maieſtatis, opprimentur a glória. Plus valet Deus operari, quàm homo intelligere poteſt. Tolerabilis, pia, & humilis inquiſitio veritatis, parata ſemper doceri, & per ſanas Patrum ſententias ſtudens ambulare. Prou. 25.

2 Beata ſimplicitas, quæ difficiles quæſtionum relinquit vias, & plana, ac firma pergit ſemita mandatorum Dei. Multi deuotionem perdiderunt, dum altiora ſcrutari voluerunt. Fides a te exigitur, & ſyncera vita; non altitudo intellectus, neque profunditas myſteriorum Dei. Si non intelligis, nec capis, quæ infra te ſunt, quomodo comprehendes, quæ ſupra te ſunt? Subdere Deo, & humilia ſenſum tuum fidei, & dabitur tibi ſcientiæ lumen, prout tibi fuerit vtile, ac neceſſarium.

3 Quidam grauiter tentantur de Fide, & Sacramento, ſed non eſt hoc ipſis imputandum, ſed inimico. Noli curare, noli diſputare cum cogitationibus tuis, nec ad immiſſas a diabolo dubitationes reſponde; ſed crede verbis Dei, crede Sanctis eius, & Prophetis, & fugiet a te nequam inimicus. Sæpe multum prodeſt, quòd talia ſuſtinet Dei ſeruus. Nam infideles, & peccatores nō ten-

tentat, quos ſecurè iam poſſidet: fideles autem deuotos, varijs modis tentat, & vexat.

4 Perge ergo cum ſimplici, & indubitata fide, & cum ſimplici reuerentia ad Sacramentum accede. Et quidquid intelligere nō vales. Deo omnipotenti ſecurè committe. Non fallit te Deus; fallitur, qui ſibi nimium credit. Graditur Deus cùm ſimplicibus, reuelat ſe humilibus, dat intellectū paruulis, aperit ſenſum puris mentibus, & abſcondit gratiam curioſis, & ſuperbis. Ratio humana debilis eſt, & falli poteſt; Fides autem vera falli non poteſt.

Pſal. 18. & 118. & Matth. 11

5 Omnis ratio, & naturalis inueſtigatio Fidem ſequi debet, non præcedere, nec infringere. Nam Fides, & Amor ibi maximè præcellunt, & occultis modis in hoc ſanctiſſimo, & ſuperexcellentiſsimo Sacramento operantur. Deus æternus, & immenſus, infinitæque potentiæ facit magna, et inſcrutabilia in cælo, et in terra, nec eſt inueſtigatio mirabilium operū ejus. Si talia eſſent opera Dei, vt facilè ab humana ratione caperentur, non eſſent mirabilia, nec ineffabilia dicenda.

DEO GRATIAS. AMEN.

Explicit Liber Quartus & vltimus Abbatis Ioannis Gerſen, de Sacramento Altaris.

IN-

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI QVARTI.

IOANNIS GERSENIS Abbatis.

CVm quanta reuerentia Chriſtus ſit ſuſcipiendus. Cap. 1
Quòd magna bonitas, & charitas Dei in hoc Sacramento exhibetur homini. 2
Quòd vtile ſit ſæpe Communicare. 3
Quòd multa bona præſtantur deuotè communicantibus. 4
De dignitate Sacramenti, & ſtatu Sacerdotali. 5
Interrogatio de exercitio ante Communionem. 6
De diſcuſsione propriæ Conſcientiæ, & emendationis propoſito. 7
De oblatione Chriſti in Cruce, & propria reſignatione. 8
Quòd nos, & omnia noſtra Deo debemus offerre, & pro omnibus orare. 9
Quòd ſacra Communio de facili non eſt relinquenda. 10
Quòd Corpus Chriſti, & ſacra Scriptura maximè ſunt animæ fideli neceſſariæ. 11

Quòd

Quòd magna diligentia ſe debènt commu-taturus Chriſto, præparare. 12

Quòd toto corde anima deuota, Chriſti vnionem in Sacramento affectare debet. 13

De quorundam deuotorum ardenti deſiderio ad Corpus Chriſti. 14

Quòd gratia deuotionis, humilitate, & ſui ipſius abnegatione acquiritur. 15

Quòd neceſſitates noſtras Chriſto aperire, & gratiam eius poſtulare debemus. 16

De ardenti amore, & vehementi affectu ſuſcipiendi Chriſtum: 17

Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti, ſed humilis imitator Chriſti, ſubdendo ſenſum ſacræ Fidei. 18

Expliciunt Capitula Libri Quarti Ioannis Gerſenis Abbatis.

D. CONSTANTINVS CAIETANVS, ABBAS BENEDICTINVS.

Beneuolo Lectori Salutem.

TRIA Capitula ſequentia, quæ in Leo-Allatiano Codice habentur immediatè poſt Caput 18. Libelli Quarti de Imitatione Chriſti, quaſi pars illius eſſent, & titulo Capitum 19. 20. & 21. annotãtur, quòd ea hactenus alibi non legerim, nec impreſſa, aut publici iuris viderim, hìc volui inſerere, & publicæ vtilitati dare. Non quod certò aſſeuerem, ea Opus eſſe Ioannis Gerſenis, Auctoris Libelli de Imitatione Chriſti; ſed quia nolui interiret, quod vel ſpecietenus ad eum pertineret, vel ad eum illuſtrandum faceret. Vale.

Octo Inuitatoria præcipua de Sanctiſſimo Sacramento. Cap. XIX.

QVamquam iuxta multiplicem varietatem affectuum aſſignatorum huius Sacramenti, affectus deuotorũ animorũ cũ perceptione huius ſanctæ Communionis diſtingui poſſunt; tamẽ collegi, vt religioſæ ſimplices & deuotæ perſonæ quibus principaliter hoc ſtudiũ dedicaui, plenius & diſtinctius informentur, Octo inuitatoria præcipua ponam ſub breuitate meo iudicio, ad quæ reducuntur omnes tituli Miſſarũ, qui diſtribuuntur in Miſſali, quibus

bus deuotæ animæ ad hoc cæleſte Cõuiuiũ participandũ ſpirant, & frequentiùs concurrunt.

Primò. Sæpe animam deuotam ad hoc Sacramentum ſumendum trahit feruor deſiderij, & inflammatus amor ſponſi, quem in Sacramento hoc veluti cortinis velatum credit; iuxta
Iſa.45. *id Iſaiæ: Verè tu es Deus abſconditus; vt eum animorum brachijs dulciter amplectatur,*
Cant.1. *cantans id Canticorum: Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Secundò. Aliquem ad hoc Sacramentum ſumendum trahit propriæ infirmitatis neceſſitas; ſciens id eſſe infirmitatis humanæ ſingulare præſidium: Honora medicum propter neceſſitatem, dicit Eccleſiaſticus: etenim eum creauit Altiſſimus: A Deo eſt omnis medela, Eccleſiaſtici 38.

Tertiò. Aliqui trahuntur conſcientia delictorum, vt per eum quaſi per hoſtiam pacificam, & munus gratiſſimum Patri cæleſti placati, vniuerſorum ſuorum peccaminum remiſsionis gratiam conſequantur. Vt enim ait Sapiens. Prouerb. 9. Munus abſconditũ frangit iras. Quod munus autem abſconditũ frangit iras, quàm hoc Diuinum munus, ſub ſpeciebus Sacramentalibus abſconditum: quod dignè ſumptum, iram Omnipotentis Dei in dulcedinem pietatis reſoluit?

Quartò. Alij trahuntur, & inuitantur anguſtia & preſſura tribulationis. Eſt enim

turris

turris fortitudinis a facie inimici: de qua Prouerb. 14. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad eam confugiet iuſtus, & liberabitur. Legitur enim. Reg.* 4. *Quòd cum offerret Samuel agnũ in holocauſtum, terruit Dominus Philiſtijm, & caſi ſunt a filijs Iſrael.*

Quintò. Inducuntur aliqui ad Sacramentum obtinendum, deſiderio alicuius gratiæ, ac beneficij impetrandi cæleſtis. Quemadmodum obſeruant deuoti Patres tempore, quo prædicaturi ſunt, aut ſcripturi materias graues, aut alios quoſcumque actus ſolemnes facturi; ſperando firmiter, quòd communicantes huic Sacramento, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, aliquid luminis Diuini, & amplioris gratiæ munus ſuſcipiant: cum dicat Propheta: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Pſalm. 33.

Sextò. Alios trahit ad ſuſcipiendum Sacramentum, & peragendum hoc cæleſte myſteriũ debitum, ſiue voluntas agendi Omnipotenti Deo gratias pro beneficijs ſuſceptis. Planè vel digniùs vel magis gratũ Omipotenti Deo Patri æterno, Patri, fontique luminũ, a quo profluxus eſt omnis bonitatis, reddere non poſſumus pro beneficijs ſuſceptis, quàm hanc oblationẽ ſuauitatis. Quid enim retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomẽ Domini inuocabo. Pſal. 115.

Septi-

Septimò. Inuitant aliquem ad hoc Sacramentum ſumendũ, laus, & honor Dei, & Sanctorum eius. Qua de cauſa omnibus diebus
August. *communicandum hortatur B. Auguſtinus: vt olim tribus Feſtiuitatibus, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte, & in Natiuitate Domini, vniuerſi fideles Communicare iubebantur: vt habetur de Conſecrat. diſt. 2. Can. Etſi non. Hac inſuper de cauſa multi Sacerdotes deuoti in ſolemnitatibus Eccleſiæ communiter ad celebrandũ ſe præparant; & aliæ perſonæ non Sacerdotes, ad communicandum; quod maximè in Religioſorum Domibus obſeruatur: notiſsimũ habentes, non poſſe haberi maius, in quo Dñm, & Sanctos eius pro ſua dignitate in ſolẽnitatibus eorum laudent, & glorificent, quàm ad hoc ſacrũ Sacrificiũ laudis Diuinæ pura mente, & deuoto corde, & deuota cũ reuerẽtia accedere.*

Octauò. Alios ſæpe inuitat ad hoc Sacramentum, compaſsio proximorum, cum pro ſalute viuorum, & requie defunctorum, nihil efficaciùs interpellat, quàm Sanguis Chriſti pro nobis effuſus. Hoc planè eſt ſummum auxilium noſtrum in omni tribulatione noſtra, & in omni anguſtia & neceſsitate noſtra,
Ambros. *& proximorum. Vnde Ambroſius: Chriſtus iuſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt. Vnde*
Pſalm. 31. *Pſalmus: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis*

eſt Dominus. Et idem Ambroſius de hoc Sacramento deuotiſsimè loquens, ita dicit: Chriſtus Eccleſiæ eſt cibus, Chriſtus eſt potus: Caro Dei cibus eſt, Sanguis Dei potus eſt: Chriſtus nobis continuè miniſtratur: Cibus iſte non Corpus impinguat, ſed cor confirmat hominis. Hic eſt Panis vitæ; qui ergo vitam manducat, mori non poteſt: Accedito ad eum & ſatiabit te, quia Panis eſt: accedito ad eum, & potabit te; quia fons eſt: Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux eſt: Accedite ad eum, & liberamini, quia vbi ſpiritus, ibi libertas: Accedite ad eum, & ſaluamini, quia remiſsio peccatorum eſt Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, poſtulatio eſt Diuinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. Accipe tibi monitū, ſuſcipe tibi Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū in interiori hoſpitio: vbi eius Corpus, ibi eſt Ieſus.

Duas conſiderationes damus, vt habetur in iſto Capitulo XX.

M*Irabitur fortaſſè aliquis, quòd in tam delitioſo Conuiuio cæleſtes epulas deguſtans, in quibus veraciter eſſe omne delectamentum ſuauitatis & dulcedinis diximus, & ſumentibus offertur, quòd plerique accedentes nihil ſuauitatis experiantur. Sed ſi duo conſiderare velimus, de hoc fortaſsè ceſſabimus admirari. Primum eſt, quod Panis iſte viuificus, etſi delitioſiſsimus ſit, ac virtuoſus, liberrimus tamen eſt, & voluntarius in operando,*

dans

dans quibus vult, & quando, & quantum vult, dulcedinis ſuæ, & ſuauitatis ſentire præſentiam. Secundum conſiderandum eſt, quòd experientia, & effectus ſaporis præfati huius cæleſtis Panis, non debitus eſt ſtatui præſentis peregrinationis, ſed ſtatui conſummatæ beatitudinis. Cum tamen datur alicui in hoc delitioſiſſimo Conuiuio huius guſtum ſentire, gratias agat benigniſsimo largitori Deo, cuius ſola benignitate hoc ſibi conceditur; qui prout ſibi placet, & iudicat ad ſuam laudem, & gloriam eſſe, & hominis vtilitatē largitur.

De Sacramento. Cap. XXI.

1. Cor. 11. *QVi manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. Ex quo textu duodecim eliciuntur conditiones, quæ concurrere debent in his, qui ad hanc Diuinam menſam Corpus Domini ſuſcepturi accedere diſponunt. Quarum prima eſt Inſtitutio, & fidei pulchritudo. Conſiderata quippe veri-*
Hebr. 11. *tate huius* Sacramenti, *oportet (vt ait Apoſtolus) accedentem credere, oportet fide ſimplici omnibus, quæ de Sacramento hoc tradita ſunt firmiter credere. Cibus enim iſte non in magiſterio, ſed in fide eſt. Secundum autem, quod ex figura prædicta colligitur, cum quo accedendum eſt ad hoc Sacramentum, eſt certa, & firma ſpes Diuinæ pietatis. Tertia accipitur ex prædicta figura, quòd accedendum eſt ad hoc Sacramentum, cum ardore charitatis*

tis Dei . Planè ad hoc Sacramentum amoris non niſi cum incendio charitatis accedendum eſt. Quarta accipitur ex prædicta figura, quòd accedendum eſt ad hoc Sacramentum ſumendum in pace Eccleſiaſticæ vnitatis; ibì vbi dicitur: Vnuſquiſque per familias & domos ſuas tollat agnum. Nomine enim familiæ fraterna vnitas, & pax deſignatur. Quinta accipitur, quòd accedendum ſit ad hoc Sacramentum cum memoria Paſsionis Chriſti, vbi dicitur: De Sanguine Agni ponatur ſuper vtrumque poſtem in ſuperliminaribus domorum. Sextò, acceſſuri ad Sacramentum hoc, in quo baſſamentum Diuinitatis continetur, puritatem abſtinentiæ, & ſanctæ intentionis ſinceritatem habere debent. Septima accipitur ex prædicta figura; quòd accedendum ſit, ad iſtud Sacramentũ cũ caſtimonia, ſiue continentia carnis, cum dicitur: Renes veſtros accingetis. Octaua, quòd accedendum ſit ad hoc Sacramentum cum amaritudine compunctionis, & lacrymarum diluuio. Nona, quòd accedendum ſit ad hoc Sacramentum cum ſplendore ſanctorum opeeum, vbi dicitur: Calceamenta habebitis in pedibus veſtris, id eſt, exẽpla mortuorum Patrum, ſcilicet vitam eorũ inſpiciendo. Decima, quòd accedendum ſit ad hoc Sacramentum cum feruenti deſiderio. Sicut enim naturaliter cibus ſumptus cũ faſtidio, nullum ſaporem, nec delectationem confert

fert ſumenti; ita cibus hic nullum guſtum ſpiritualis dulcediris confert ei, qui ſine appetitu ſpirituali; & deſiderio accedit. Vndecima, quòd accedendum eſt ad hoc Sacramentum cum actuali deuotione, vbi dicitur: Tenebitis baculos in manibus. Baculus autem Crux Chriſti eſt, cuius memoria principaliter cum in animo ruminatur, actualem quandam, & feruentem deuotionem in animo exprimit. Duodecima colligitur ex prædicta figura, quòd accedendum ſit ad hoc honorandiſsimum Sacramentum, cum lætitia, & exultatione cordis, & prælibatione delitioſa æternæ, & beatæ fruitionis, vbi dicitur: Comedetis feſtinanter, id eſt, ad ſolemnitatem patriæ cæleſtis anhelate. Sumentes enim hoc Sacramentum, cibum vitæ, cibum felicitatis æternæ, magnæ iucunditatis exultationem habere dicuntur. Dionyſ. *Dionyſius: Euchariſtiæ ſumptio, beatam Ieſu Chriſti in beatitudine ſignificat fruitionem. Et ideo ſicut in Sacramento Matrimonij indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens coniunctio, indiuiduam ſignificat cõiunctionem ſpiritus, creati cum increato: ita hæc ſumptio Corporis Chriſti ſignificat beatã Ieſu Chriſti fruitionem in cælo: ſecundum corpus, quomodo eo fruimur in ſpiritu: ſecundum animam, quomodo eo fruimur in anima: & ſecundum Diuinitatem, quando beata ſecundum intellectum perficietur fruitone. i*

Explicit. LAVS DEO.

GERSEN
RESTITVTVS:

Reuerendiſsimus Dominus Conſtantinus Caietanus, totius Benedictinæ Religionis vniuerſali affectu Patriarcha, effectu Protector, amore Pater, ore Patronus, calamo Vindex, Auito Natalium Sanguine Nobiliſſimus, Clariſſimus ſua Virtute, & Meritis, Doctiſsimus, Eruditiſsimus, Vitæque, & Morum Probitate Optimus. Quo æternum ſtet tantarum Virtutum Monumentum, & immortale tanti Viri Nomen; Benedictina Familia manſuro Conſultò ſtatuat, & decernat: vt illi viuo pares tot Virtutibus, relato ad Superos perennes honores deferantur.

Ita cenſet, cupit, vouet, & ſupplicat Monachorum Germaniæ nomine, Fr. Ioannes Geijer, Ordinis S. Benedicti, e Monaſterio Therenſi Franconiæ Monachus.

D. CONSTANTINI CAIETANI
SYRACVSANI,

Caſinenſis Abbatis. Præſidentis Apoſtolici Collegij Gregoriani, Domus S. Benedicti, de Propaganda Fide.

Reſponſio Apologetica, pro magno Dei ſeruo,
IO. GERSEN, ABBATE ITALO-BENEDICTINO,
Germano Auctore Librorum Quatuor,
de Imitatione CHRISTI,

Aduerſum Vindicias Kempenſes Heriberti Roſvveydi, e Societate IESV,

Necnon aduerſum Libellos omnes, qui ad hanc vſque diem pro Thoma Kempenſi editi ſunt, Venerabilium Patrum S. Auguſtini Canonicorum Regularium, Italorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum, vel aliarum quarumcumque Nationum.

Ad Eminentiſſimum & Reuerendiſſimum
PRINCIPEM
S.R.E. PRESBYTERVM CARD.
D. BERNARDINVM SPADAM.



ROMAE, A. C. 1644. Ex Typographica Officina Sacræ Congregat. de Propaganda Fide.
Superiorum Auctoritate.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs.P.M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Io.B.A.Epiſc.Camer.Viceſger.

Imprimatur, F. Hyacinthus Serronius Mag. & Socius Reuerendiſſimi P. F. Michaelis Mazarini S.P.Ap.Mag.Ord. Præd.

S. Auguſtinus Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor.

Veritas vincat, neceſſe eſt, ſiue negantem, ſiue confitentem.

EMINENTISS.[MO] ET REV.[MO] DOMINO

D. BERNARDINO SPADA, S. R. E. CARD. AMPLISS.

D. Conſtantinus Caietanus, Caſinenſis Abbas-præſidens Apoſtolici Collegij Gregoriani, Domus S. Benedicti, de Propaganda Fide, Salutem & Felicitatem.

D*IV mihi deliberãndum non fuit*, Eminentiſs. Princeps, *cui ego potiſsimùm meã pro Ioanne Gerſene, vero, & indubitato Auctore Libelli aurei* de Imitatione Chriſti, *Apologiam conſecrarem. Fecerunt enim immẽſæ virtutes tuæ, ſingularia in me beneficia fecere, ne vllus eſſet ambigendi locus. Illæ enim Italiam, Galliamque veluti pulcherrimũ ſui Zodiacum curſus peragratæ, vtramq; feliciſſimo perbearunt Aſtrô. Nam cũ Romanæ Curiæ primùm*

primùm apparuiſſes Apoſtolicæ Cameræ Clericis accenſitus quale vidimus Iubar exoriri? quàm ſplendidos emitti radios cum Galliæ illuceſceres? & tum demum fauſtiſſimi ſyderis Orbem illuſtrari, abundantiori fulgore, & ſalutari influxu beari, cum Romani cæli conuexa rutilus conſcendiſſes, lucens, fouens, & ornans.

Probauit Roma tuam iuuenis adhuc, ſagaciſsimum & ad maxima natum ingenium, parem negotijs animum, doctrinam ſingularẽ, in concilijs prudentiam, grauitatem in ſententijs, in iudicijs integritatem. Vidit Gallia, & admirata eſt pietatem, zelum Religionis, quamque grauiſſima Reipublicæ Chriſtianæ negotia, motuſque poſtulabant, ſapientiam, rebuſque in maximis ſeu aggrediendis, ſeu tractandis, ſeu perficiendis ſolertiam, & felicitatem; vt non difficile tibi iter fuerit ad eam purpuræ Eminentiam, quam votis ardentibus tibi omnes olim augurabantur, & vniuerſali gaudio ſinguli applauſere: ſibique, & vniuerſali Eccleſiæ aggratulantes, cum te & meritiſſimo ornatum Oſtro conſpexerunt: & ad eam iam præcipuum conſilia vocari, ijſque ſacris conſeſsis intereſſe, quæ potiſſimùm interſunt Reipublicæ Chriſtianæ. Planè nullum Numen *abeſſe poſſe exiſtimant ijs deliberationibus,*

qui-

quibus tuam adeſſe vident prudentiam, ijſque fauſtiſſimum ominantur exitum, quibus tua felicitas velitatur.

Ego igitur cum tot, tantaſque virtutes admirer, colam, venerer: meque inſuper ipſum debere fatear immensùm EminentiæTuæ:*quæ me tam amico complexa ſinu, tanto honore dignata, proſecuta fauore, beneficijs, & numero plurimis, & magnitudine eximijs cumulaſti, Tibi potiſſimùm hanc meam pro Gerſene Apologiam volui conſecrare, vt & tantarum virtutum* Eminentiæ Tuæ, *& mei in eam obſequij teſtimonium perenne eſſet. Exile fateor munus, quodque ne fimbriam quidem tuæ Purpuræ auderet attingere, niſi illud Gerſenius commendaret. Gerſenius, inquam, Aſceticorum Princeps, cæleſtis vitæ, & viæ Doctor, & Ductor præcipuus, Paranymphus Cæli, Sponſor Paradiſi, qui antiqua & debita ei poſſeſſione detentus, tanto poſtliminio redit, vt tuis auſpicijs pugnet, vincat, triumphet, & antiquam in hæreditatem feliciter reducatur. Nam cum ſub argenteis tuis Gladijs certare debeat, facilem ſibi eorum fulgore, & virtute promittit victoriam. Gladij tui in limine appenſi, pro Claua Herculis erunt, qui contradicentes abſterreant: Tuque pro Auguſto eris, qui eiſdem*

ſilen-

ſilentium imponas. Ego interim cum Gerſene meo, victoribus tuis defenſus Gladijs, tantoq. Vmbone tutas, certæ, facilisque ſecurus victoriæ, conquieſcam. Vale Eminentiſſime Princeps, *tuumque Conſtantinum qua ſoles aura, foue. Romæ, ex Apoſtolico Collegio* Gregoriano,*Domus* S.*Benedicti; de propaganda Fide, Kal. Ianuarij A. C. MDCXLIV.*

DOMNI CONSTANTINI CAIETANI,

Abbatis Benedictini,

GERSEN RESTITVTVS.

Occaſio, & Argumentum Operis. Cap. I.

QVIS, cuiaſue fuerit Auctor libelli de Imitatione Chriſti, diſputatum compluries in vtramque partem, nondum verò pro quorundam genio & indole abundè firmatum. Nonnulli enim plus ſatis affixi propriæ perſuaſioni, veritatem ſeu agnoſcere refugiunt, ſeu confiteri. Quoniam verò *ſæpius agitata veritas magis ſplendeſcit in lucem*, hac euenit in controuerſia, quod ſapientiſſimus & ſanctiſſimus Auguſtinus in rebus fidei docet contingere: *Multa, inquiens, ad fidem Catholicam pertinentia dum aduerſariorum callida inquietudine agitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.* Illud enim effecerunt ſuis oppoſitionibus & argumen-

Innoc.ep.7. ad Epiſc.Macedoniæ.

Aug. de ciu. Dei lib. 16. c. 2.

tis, vt diſcuſſis dubitationum tenebris, clariſſimorum argumentorum ſplendore accenſa ipſius veritatis lux pulcherrima exoriretur; & non Thomam a Kempis, ſed Ioannem Gerſenem, e Benedictina norma, Vercellenſem Abbatem, dicti Libelli fuiſſe Auctorem, & clariùs eluceſceret, & ſtabiliretur certiùs, & firmiùs crederetur.

Nihilominus tamen Admodum Reuer. PP. Canonici Regulares tantum decus cum ereptum nollent Familiæ ſuæ, non deſinunt obluctari, & ſuo Thomæ Kempenſi eum librum adſcribere, vt ſequenti libello ſupplici Sacræ Congregationi de propaganda fide porrecto, videre eſt.

Eminentiſſimi, & Reuerendiſs. Domini.

Libellus ſupplex exhibitus ſac. Congreg. de propag. fide a PP. Canonicis Regular.

Iam a ducentis annis continuis Libellus de Imitatione Chriſti adſcriptus fuit Thomæ de Kempis Canonico Regulari Ordinis noſtri, vti ex multis antiquis Codicibus, ac grauiſſimis teſtimonijs productis, & communi fama, nec non traditione antiqua ſemper hactenus continuata apertiſſimè conſtat.

Hinc tamen D. Conſtantinus Caietanus, nullo ſolido nixus fundamento, vti patet ex Vindicijs Kempenſibus, ſubſtituere contendit huic libello nouum vel de nomine incognitum & hactenus inauditum Auctorem, pri-

primò quidem Ioannem Geſſen Abbatem Italo-Benedictinum, nunc verò Ioannem Gerſen Abbatem Vercellenſem. Et quamuis Eminentiſſimus Card. Bellarminus lectis Vindicijs Kempenſibus, priorem ſuam ſententiam retractarit, ac Thomæ prædicto Libellum reſtituerit, Caietanus tamen illum hactenus imitari detrectat, ediditq Apologiam talem, vt cum in Germania & Italia paſſa eſſet repulſam, tandem à Magiſtro Sacri Palatij maneat ſuppreſſa. Quare Vrbis ſubterfugiens cenſuram, elapſo iam anno; aliam Pariſijs edi curauit: nec eo contentus, ſubdolè & quaſi ex inſidijs facultatem obtinuiſſe dicitur, Libellum excudendi Græcè in Typographia de propaganda fide, ſub nomine dicti ficti Auctoris; ſicque in hac Alma Vrbe (in qua ſæpiſſimè, & adhuc nuper Latinè & Italicè recuſus eſt ſub nomine Thomæ a Kempis) erigere Altare contra Altare. Quod cum etiam interſit noſtri Ordinis, cuius ille membrum extitit, illum defendendum ſuſcepit; ſupplicatur Eminentijs veſtris Reuerendiſſimis, vt ſeriò inhibere dignentur, ne libellus hic ſub alio nomine, quàm conſueto Thomæ de Kempis, vero eiuſdem Auctore typis excudatur. Quas Deus, &c.

His auditis quæ Dominus Abbas S. Mariæ de Pace, & Procurator Generalis Ca-

nonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini, ſacræ illi Congregationi ſuggeſſerant, necnon cæteris omnibus eiuſdem rei Libellis, vel ſcriptis, quæ alij pro hac eadem re contraria ſcripſere, ſenſi me oppignoratum veritati Quapropter ea argumenta & rationes præfari in hac Romana editione iterum & diligentiùs cogitaui, quæ euincant, & extra aleam dubitandi, ponant: Libellos Quatuor de Imitatione Chriſti, non a Thoma Kempenſi Canonico Regulari Auguſtiniano, ſed Ioanne Gerſene Abbate Benedictino Vercellenſi conſcriptos fuiſſe.

Thomam de Kempis non fuiſſe Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti, probatur ab auctoritate Seraphici Doctoris S. Bonauenturæ. Cap. II.

ET primò quidem Kempenſem non fuiſſe Auctorem, adeo manifeſtum eſt, atque illum ſcribere non potuiſſe librum, multo ante tempore, quàm in vitalem auram prodiret: Cuius Bonauentura Seraphicus meminit; & a quo Angelicus Doctor mella, fauosque in ſua de ſacroſancta Euchariſtia Scripta traduxit. Iam pridem enim clariſſima ea lumina Orbi occiderant, quàm illi Kempenſis exoriretur: Iam pridem finem ſuis appoſuerant ſcriptis,

cum nec apicem quidem ipſe didicerat.

Et Bonauenturam Illius meminiſſe, docebit ſeptima de ijs Collationibus, quas octo habuit ad Fratres Toloſani Conuentus, in quam plura ex eo, non verba tantum, periodosue, ſed caput prope integrum tranſcripſit. Et ne vagari incipias, aut dubitare, vter ex vtro deſumpſerit; huiuſne Libelli Auctor ex Seraphico, an ex illo Seraphicus? obſerua continuum, eundemque orationis ductum, filumque perpes in Gerſene, cui propria omnia & quaſi innata, quæ aliena prorſus aliunde aduecta, & inſita Bonauenturæ; qui octo haſce Collationes non ex ſuo compoſuit, ſed veluti Centones quoſdam ex Bernardi præſertim, Gerſenis, aliorumque Patrum dictis, ſcriptisq. contexuit. Vt vel hinc etiam, cum omnia audis in his Collationibus externa eſſe, & ſeptimam ex ijs aduentitiam, non dubites, Gerſenisque exiſtere, non Bonauenturæ. Huiuſce rei omni maior exceptione teſtis ipſemet Bonauentura accedet, qui declarans, per quos profecerat, ingenuè, rotundè, clarèque profitetur, ſe dictam Collationē ex Libello de Imitatione Chriſti deſumpſiſſe: *Qui, inquit, laxiora & remiſſiora quærit, ſemper in anguſtijs erit; vt patet in deuoto Libello de Imitatione D. N. IESV CHRISTI.* Sed Bonauentu- S. Bonau. Collat. 7.

ram ipſum cum Gerſene collatum accipe.

Ioannes Gerſen li. 1. de Imitatione Chriſti cap. 25. De feruenti Emendatione totius vitæ.

VNum eſt, quod multos a profectu & feruenti emendatione retrahit, horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Enimuerò illi maximè præ alijs in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ ſibi magis grauia & contraria ſunt, viriliùs vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, vbi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat. Sed non omnes habēt æque multū ad vincēdum & moriendum. Diligens tamen æmulator valentior erit ad proficiendum, etiamſi plures habeat paſſiones quàm alius benè morigeratus, minus tamen feruens ad virtutes. Duo ſpecialiter ad magnam emēdationem iu-

Sanctus Bonauentura Collatione ſeptima, de Diligentia.

VNum eſt, quod multos a perfecta & feruenti emēdatione retrahit, horror difficultatis, ſeu labor certaminis. Quoniam verò illi maximè præ alijs in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ ſibi magis contraria & grauia ſunt, viriliùs vincere nituntur. Nam vbi homo plus proficit, & gratiam ampliorem meretur, ibi magis ſeipſum vincit, & in ſpiritu mortificat.

Duo ſpecialiter ad magnam emendationem iu-

iuuant: videlicet, ſubtrahere ſe violenter, ad quod natura vitioſè inclinatur: & feruenter inſtare pro bono, quo amplius quis indiget. Illa etiam ſtudeas magis cauere & vincere, quæ tibi frequentius in alijs diſplicent. Vbique profectum tuum capias: vt ſi bona exẽpla videas vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehenſibile conſideraueris, caue ne idẽ facias: aut ſi aliquando feciſti, citius te emendare ſtudeas. Sicut oculus tuus alios conſiderat, ſic iterum ab alijs notatis. Quàm iucundũ & dulce eſt videre feruidos & deuotos fratres benè morigeratos & diſciplinatos! Quàm triſte eſt & graue, videre inordinatè ambulantes, qui ea, ad quæ vocati ſunt, non exercent! Quàm nociuum eſt negligere vocationis ſuæ propoſitum, & ad non cõmiſſa ſenſum inclinare! Memor eſto arrepti propoſiti, & ad imaginem tibi propone Cru

iuuant: videlicet, ſubtrahere ſe violenter, ad quod natura vitioſè inclinatur: & feruenter inſtare pro bono quo amplius quis indiget.

Quàm nociuum eſt negligere vocationis ſuæ propoſitum, & ad non commiſſa ſenſum inclinare!

cifixi. Bene verecundari potes, inſpecta vita Ieſu Chriſti, quia necdũ magis illi te conformare ſtuduiſti, licet diu in via Dei fuiſti, Religioſus, qui ſe intente & deuote in ſanctiſſima vita & paſſione Domini exercet, omnia vtilia & neceſſaria ſibi abundanter ibi inueniet: nec opus eſt, vt extra Ieſum aliquid amplius quærat. O ſi Ieſus Crucifixus in cor noſtrum veniret, quàm citò & ſufficienter docti eſſemus! Religioſus feruidus omnia benè portat & capit, quæ illi iubentur: Religioſus negligẽs & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte patitur anguſtiam; quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur. Religioſus extra diſciplinam viuens, graui patet ruinæ. Qui laxiora quærit & remiſſiora, ſemper in anguſtijs erit: quia aut vnum, aut reliquum ſibi diſplicebit.

Religioſus, qui ſe intentè & deuotè in ſanctiſſima vita & paſſione Domini exercet, omnia vtilia & neceſſaria ſibi, abundãter ibi inueniet: nec opus eſt, vt extra Ieſum aliquid quærat.

Religioſus feruidus omnia benè portat, & capit, quæ illi iubentur. Religioſus negligens & tepidus habet tribulationem ſuper tribulationem, & ex omni parte anguſtiam, quia interiori conſolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur. Religioſus extra diſciplinam viuens, graui patet ruinæ. Qui laxiora quærit, & remiſſiora, ſemper in anguſtijs erit, & cætera,

Vt patet in deuoto Libello de Imitatio.

bit. Quomodò faciunt tam multi alij Religioſi, qui ſatis arctati ſunt ſub diſciplina clauſtrali? rarò exeunt, abſtractè viuunt, pauperrimè comedunt, &c.

tione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Potuitne aliquid aut clarius, aut efficacius excogitari argumento noſtro probando? Bonauentura, qui anno 1273. vel 1274. in cælum abijt, deuotum Libellum de Imitatione Chriſti laudat, & potuit eum Kempenſis trecenteſimo octogeſimo ſupra milleſimum natus ſcindere? Certè ne ipſæ illud Athenæ probauerint. Veriſſimum enim Roſveydi pronunciatum: *Si D. Bonauentura tanto Thoma Kempenſi anterior, vt duobus eum ſæculis anteuerterit, Librorum de Imitatione Chriſti meminit, & ex ijs integrum caput citat, quis tam effrons futurus, qui hic obluctari audeat? aut affirmare, Libellum hunc longè Thoma anteriorem a Thoma ſcriptum fuiſſe.* Henric. Roſveyd. vind. Kempenſ. c. 12.

At hic inſurgunt Aduerſarij, & cum Roſveydo inclamant: Impoſtorem alienis ornatum plumis, ætatem mentientibus non ſuam; nempe, Bonauenturæ adulterinum partum ſupponi; octo Collationes non Toloſæ, non alibi vſquam ab eo habitas, ſcriptaſue, ſed fabulam eſſe longè ſequioris mimi, qui magno ſub nomine latere voluit, & Vbi ſup.

lu-

ludos facere, vinumque circumcidaneum generoſa hædera venale proponere; vt Bonauentura Auctor cum non exiſtat octo Collationum, aut nulla, aut inerti prorſus actione conemur ceu Roſveydum cogere ad vadimonium deſerendum, ceu Thomam Kempenſem bonæ fidei poſseſsione deijcere. Antequam pleno curſu ferar ad ſubmittendum auxiliares Bonauenturæ copias, permittat Lector, vt frœna laxem iuſtiſſimæ querelæ.

Nimia quorundam Hiſtoricorum facilitas arguitur in cenſendis, & reÿciendis, ſeu condemnandis Patrum Orthodoxorum ſcriptis.
Cap. III.

PRofectò res eſt veriſſimis digna lacrymis, & quam ſola de ſilice exciſa præcordia poſſunt non lugere; toties cenſuram agi de Sanctorum Patrum ſcriptis; pluresq. qui intra ſepta Catholicæ Eccleſiæ concluduntur, tam leuiter Ariſtarchos agere Scriptorum Orthodoxorum, eaque pro libidine ſua configere aſteriſcis, litura damnare, Marcionis ſpongia delere. Quis Patrum, Doctorumue Eccleſiæ etiam a noſtrorum vnguibus non rubeſcit? Nam dum eorum aut premimur auctoritate, aut teſtimonio

con-

conuincimur, occlamamus, fucum fieri, impoſturam agi, partum ſupponi alienum, tanto Patre, tanto Doctore indignum; non phraſim, non dictionem, non argumentum illum ſapere. Et dum leuibus coniectatiunculis conuellimus eorum ſcripta, non leuiter concutimus primaria fundamenta Orthodoxiæ: Nos ipſi de auro & argento Domini ædificamus Baal, lapideſque Sanctuarij diſpergimus in capite omnium platearum. Oſeæ 2. Thren. 4.

Nam fidei hoſtes, poſtquam omnes modeſtiæ & veritatis fines prætervecti auſu ſacrilego impias iniecerunt manus in ſacram paginam, illiuſque non exiguam partem vellicarunt, vt ſuppoſititiam vt falſam reiecerunt, ſegregem fecerunt a Canone vt Dei ſpiritu indignum; exemplo noſtro proruperunt ad reijcienda Sanctorum Patrum ſcripta doctiſſima, veriſſimaque; quaſi *eloquia caſta non eſſent, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum*; ſed, ſi ita fas loqui, Voluſi Annales, fœnum, ſtipula, zizania. Nihil hic fingo, nihil vltra fidem attollo: nobis enim præeuntibus refellunt, atque vt coniurata in ius vocant & damnant teſtimonia præſtantiſsimorũ Eccleſiæ Doctorum; plurimos reijciunt Apoſtolorum Canones; Areopagitam de Cæleſti Hierarchia, vt ſpurium expel- Pſal. 11.

pellunt; pluraque vt adulterina & falſa eradi volunt ex Cipriano, Tertulliano, Origene, Arnobio, Lactantio, Athanaſio, Euſebio Emiſſeno, Cyrillo Hieroſolymitano, Nazianzeno, Epiphanio, Hilario vtrique, Baſilio, Ambroſio, Damaſo, Hieronymo, Gregorio Nyſſeno, Chriſoſtomo, Auguſtino, Maximo, Taurinenſi, Euodio, Theodoro, Proſpero, Cæſario Arelatenſi, Gregorio Magno, Iſidoro Hiſpalenſi, Bedæ, Damaſceno, Anſelmo, Oecumenio, Bernardo, Thoma Aquinate; nec intacta reliquerunt Concilia, Sinueſſanum, Romanum ſub Syluestro, Decreta Conſtantinopolitani Sexti, & Florentini ſuper vnione Græcorum, & inſtructione Armenorum. Non hic ſingulos proſequor reos, id enim vniuerſos propemodum heterodoxos eſſet in ius vocare; ſed in arena propono nouos noſtri tēporis Philiſtæos, qui vniuerſam Dei phalangem prouocant Coquum & Riuettum, quorum alter in Cenſura Patrum, alter in Critico ſacro manus ſuas miſerunt ad omnia deſiderabilia Eccleſiæ, illamque mille nudatam clypeis, omni armatura fortium exuere conati ſunt: Nullum profecto pratum eſt quod non tranſiuit eorum luxuria: nullus propemodum Sanctorum Patrum, quem aggreſſi non deſpoliauerunt, plagis impoſitis ſemiuiuo relicto; poſtulantes inſuper impietatis & im-

Coqui cenſura Patrū; Riuett: Criticus ſacer.

poſturæ Catholicos, quaſi terræ filios, nulliusq. nominis Auctores ſub perſona ſanctorum Patrum in ſcenam protruſiſſent, *vt res vitioſas generoſi nominis auctoritate defenderent*, aut ementitis titulis fidem conciliarent erroribus. Caſſiod. lib. Variar. c. 3.

Et ab illis quidem, qui ſuum Dagon erigere conituntur quacunque Dei Arcæ iniuria, quid aliud potuit expectari, quàm vt fontem cum turbaſſent, quo vnda eſſet piſcoſior, obturarent alueolos, per quos pura aqua decurreret: & ſacram, Diuinamque paginam cum lancinaſſent, venerandos illius Myſtas & Vigiles confoderent. At verò quòd nos Ægyptijs dederimus manum, & Aſſyrijs, quod reſerauerimus portas domus Dei tam immani direptioni, & incendio, quod moliuntur illi, prætulerimus faces, caſtra relaxauerimus ſtragi, quam intulerint, quis ſiccis oculis ferre poterit, aut ſanguineis lacrymis non deflere?

Fateor, *multa in Catholicorum Expoſitorum monumentis inueniri pſeudegrapha, adulterina, ſuppoſititia, quæ eorum non ſunt, quorum titulos, & inſcriptiones præ ſe ferunt*: idque Patribus accidiſſe, quod Auguſtinus eueniſſe docet Hippocrati, cuius nomine nonnulla euulgantur, quę in auctoritatem a medicis recepta non ſunt. Fateor, quòd Gregorius Magnus ad Euſebium con- Sixtus Senen. in Biblioth.

que-

S. Greg. Regiſt. lib. 9. epiſt. 69.

queritur: *Andream quendam habitu monachum, inter diuerſa mala, aliquos etiam ſermones ſcripſiſſe, atque eos ex Gregorij nomine titulaſſe.* Fateor & agnoſco piaculum ingens hæreticorum ſuperioris æui, qui ſub Patrum nomine venena ſpargere, hæreſes ſuas euulgare conati ſunt; ac proinde *omnẽ decere Chriſtianum, cum libros aliquos adulterinos audit, aut legit, reſpuere, nec omnino adhibere fidem.* Hæc, inquam, libens fateor; nec inculpo, immo dilaudo plurimum ſapientiſsimarum Vniuerſitatũ, & virorum quorundam eruditiſsimorum accurata ſtudia, diligentiam acerrimam, & doctiſsimas obſeruationes, in illuſtrandis Patrum Operibus, ijsque dijudicandis, veriſque & genuinis; qui Eminentiſſimo Bellarmino ſcopus fuit, a falſis, & ſuppoſititijs diſcernendis; ſed ſciolos quoſdam in Hiſtoria (nam de his præcipuus mihi ſermo) poſtulo, & incuſo; eosque immenſùm doleo, Catholici cum exiſtant, feſtucam quærere, vnde oculos ſibi eruant, armaque, quibus oppugnentur, quibus feriantur tela hoſtibus præſtare. Nam tametſi non ſemel acciderit, vt falſa ſub imagine, magni nominis latuerint, ſeu animaduerſiones quorundam Catholicorum infirmiores, ſeu venena hæretica, non id tamen factum toties atque hi volunt & occlamant. Dictio enim & ſtylus

Actione 6. tom. 5. epiſt. Caranzæ.

lus

lus non ſemper propriam, eandemque habet faciem. Aliter adoleſcens ſcribit, aliter vir, negotioſus aliter, aliter otioſus. Non idem ſemper in ſcena Roſcius, qui aliquando crudus minor ſeipſo eſt. Auguſtinum puduit ſenem ſcriptorum, quæ ediderat iuuenis: Quin & fatetur, alias ſe conciones habuiſſe, alias dictaſſe, in quibus diuerſus pænè a ſeipſo eſt; veluti & in Confeſſionibus non idem, qui in alijs libris: Demum, non ſua inſcitia, ſed vt alienæ conſuleret, ſe ait deſcendiſſe ad barbariſmos. Ergone quiſpiam tam audax erit, vt ſeu ob hos, ſeu ob ſtyli nonnullam diſcrepantiam & varietatem, libros Auguſtini veros, germanosque ab Auguſtini ſcriptis eradat? Pari modo, ſi ob loci, temporis, argumenti, ætatis, diuerſitatem remittat numeros Leo, rotunditatem Ambroſius, Hieronymus ardorem, dulcedinem Bernardus, an ideo ſtatim concludendum, fucum fieri, partum ſuppoſititium, prolem adulterinam eijci debere, & ad ignes damnari? nemo ſani aut ſenſus, aut cerebri dixerit. S. Aug lib. 2. Retract.

Sed huiuſmodi homines, & in hiſtoria, in qua vt plurimum hæc Patrum, Doctorumque criſis exercetur, hæreticos, (permittant vocem, quam magnus Anſelmus contra quoſdam diſputans Dialecticos adhibet) relinquo, vt in ſolem iaculentur, vt pro- Anſel. lib. de Incarn. Verbi c. 2.

Nazian. ep. ad Eudox. inter eas Baſil. 121.

Ezech. 44.

prouerbium habet. Et Nazianzeni exemplo; *Permitto, vt ſint inſtar gracculorum de aquilarum volatu iudicantium*: & ſupplex oro ſupremum illud Tribunal, *quod nouit populum docere, quid ſit inter ſanctum & pollutum, & inter mundum & immundum oſtendere ijs*, vt his aliquando modum curet adhiberi, & inhibere pro ſuprema ſua auctoritate, vt non quiuis pro libito prophanis pedibus ſeſe rebus ſacratiſſimis ingerant, & cenſoriam virgam arripiant in ſcripta ſanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ, vt ea ſeu ſpongia deleant, ſeu falce reſecent, ſeu condemnent, vt ſpuria; ne muro pariter & antemurali diſſipatis, ſabbata noſtra derideant hoſtes Eeclefiæ, & aduenæ Regnis noſtris illudant.

Octo Collationes verum opus Bonauenturæ fuiſſe, probatur auctoritate Lucæ Vvaddingi, & Mariani Florentini; e cuius etiam teſtimonio euincitur, Thomam a Kempis non fuiſſe Auctorem libelli de Imitatione Chriſti, etiamſi dictæ Collationes nõ eſſent S. Bonau. Cap. IV.

THomam Kempenſem cum aſserimus nonſcripſiſse Libellum de Imitatione

Chri-

Chriſti, quod illius Bonauentura meminiſſet in octo Collationibus; intercedunt Aduerſarij, & ampliſſimo teſtimonio diluendo putant ſufficere, ſi octo Collationes negent a Bonauentura ſcriptas. Et ſicut nos librum a Thoma abiudicamus, quod illius Bonauentura longẽ ſenior mentionem iniecerit; ita illi Bonauenturam arguunt, non fuiſſe Auctorem octo Collationum, quæ Vbertinum multò iuniorem laudarunt. Hic ergo vertitur cardo litis, debeatne impoſtor ætatem ſuam non mentiens, hæreditatem cernere alienæ gloriæ, & Auctor pronunciari dicti libelli de Octo Collationibus, an Bonauentura ea retineri poſſeſſione, quam iura tabulæ, hiſtoricæ, inquam, editiones, & vnanimis ætatum omnium ab eo conſenſus, ſtabilem illi, certiſſimamq. conſeruarunt.

Teſtimonia Hiſtoricorum non multiplicabo (fulmine enim agam, non grandine) duos tantùm producens, at Heroes illos, & primæ Claſſis. Alter erit Lucas Vuaddingus in Franciſcana Hiſtoria primus, in Eccleſiaſtica inter primos; qui hæc habet: *Ad ſui Patris exemplum ipſe Bonauentura præter illas 91, quas in Ioannis Euangelium edidit, octo habuit Collationes breuiores ad Fratres Conuentus Toloſani, his Franciſci perſimiles: quas Bonauenturæ eſſe doctè defendit Conſtantinus Caietanus contra He-*

Luc. Vvadding. Tom. 3. Opuſcul. S. Frãc. in præmonit. ad Collection. S. Franc.

B ri-

ribertum Rosvey dum in Concertatione præfixa libello de Imitatione Chriſti, a ſe nouiter excuſo; & ego aliàs, Deo annuente, largiùs probabo. Et ne putes elaboratam Roſveydi actionem in Bonauenturæ Collationes; Vvaddingum tranſuerſim egiſſe. Audi ipſum poſt tantam moram & aduerſariorum diligentiam, auditis, viſis, lectis, & perpenſis ſerio aduerſariorum argumẽtis & obiectionibus, ſolido ſuo pondere, nobisq. & Bonauenturæ repetito ſuffragantem calculo ad hunc modum. *Quid ſentiam de Collationibus octo S. Bonauenturæ, quæ inter eius circumferuntur Opuſcula, cupis vt reſcribam. Pro indubitatis ego ſemper habui, donec recens doctus quidam Scriptor, vt quoddam opus alteri aſtrueret Auctori, iſtud S. Bonauenturæ denegauit. Qua id ratione fecerit, aliàs oportunius examinabo, & Opuſculum, vti olim in limine Collationum S. Franciſci ſpopondi, Bonauenturæ eſſe conficiam. Vt ita nunc credam (præterquam quod habeantur in omnibus, quas vidi additionibus) perſuadet vetuſtus penes me Codex M. S. Mariani Florentini, hiſtoriæ Franciſcanæ copioſum habens indiculum Operum ſancti Doctoris, in quo iſtud diſertè recenſetur. His paucis meam nunc accipe mentem. Alia ſuo loco adÿciam argumenta. Vale, ex Collegio ſancti Iſidori*

Idem Lucas Vvadd. in ſuis ad me ſcriptis Nonis Febr. 1642.

dori, Nonis Februarij, 1642.

F.Lucas Vvaddingus.

Alter erit Marianus Florentinus, de quo Michael Poccianrius: *Marianus Ordinis D. Franciſci, Chronicam ſui Ordinis etſi ſuccincte, fideliter tamen deſcriptis, in quibus nonnulla annotatione digniſſima ad vrbem Florentiam attinentia obſeruat: huiuſmodi autem Annalia manuſcripta apud S. Saluatorem olim Domum omnium Sanctorum extabunt. Enituit* 1430. Hic igitur Marianus in Faſciculo Chronicorum Seraphici Ordinis Minorum de S.Bonauentura agens, ſic habet; *Hic etiam Generalis, non officij pondere, quod quidem egregiè proſequebatur, præpeditus, ſemper ſe in prædicando & in legendo, & libros compilando occupauit: enimuerò in ſancto monte Aluerniæ, libellum, qui Itinerarium mentis in Deum nuncupatur, compilauit, & cæt.* Et inferiùs: *Item ſcripſit Collationes Octo ad Fratres Conuentus Toloſani: Collationes incipiunt: Vide anima mea, &c.* Hæc ille: quæ rem ipſam, Aduerſariosq. conficiunt. Credendum enim non eſt, Marianum, virum grauem, hiſtoricum fidelem, rerum ſui Ordinis, cuius magnum nomen erat, ſcientiſſimum, fingere voluiſſe, ſupponendum Bonauenturæ mendacem partum, eumque non dico obſcurum (nec enim talem eniti potuit

Michael Pocciant. Lib de ſcriptor. Florentin.

Marian. Florent. Chron. lib. 2. c. 25. §. 6. M. S. in Biblioth. S. Iſidori Romæ.

tuit penna Seraphica) at certè non Heroicum, aut nobiliſſimum, ſed quotquot ſcripſit tam ipſemet Sanctus, quàm ſacri Doctores minutiſſimum non integris duobus folijs definitum, ex alijs Auctoribus magna ex parte contextum, a quo exigua planè laus accreuiſſet Bonauenturæ nobiliſſimo ſcriptori præſtantiſſimorum voluminum, quæ ei meritò pepererunt nomen, gradumque inter primos Eccleſiæ Doctores.

Nec etiam veriſimile eſt, Marianum voluiſſe fungum, hederamue vnius noctis, recentiſſimum, inquam, Auctorem nullius notæ, aut nominis, in tantam Familiam afferere, quanta Bonauenturæ fuit. Indubiò igitur, quando ſua ſcripſit Chronica, inuenit libellum Octo Collationum ijs faſcijs expoſitum, & Bullis clarum, quæ Bonauenturam Patrem arguerent. Indubiò inuenit ea omnia indicia & argumenta, quibus ſolent diligentes, doctique viri in Auctorum notitiam peruenire. Vt tametſi reuera Bonauenturæ non fuiſſet, quod non concedimus, ea tamen fuit antiquitate, eo charactere, ijsque Symbolis nobilis, quæ Bonauenturam, eiusue ætatem non dedecuiſſent. Atque adeò habemus Octo Collationum libellum, nedum anno, quo floruit Marianus conſcriptum, & 1441, quo Thomas a Kempis ſuum Autographum libelli de

Imi-

Imitatione Chriſti e mente Sommalij ſcribere debuit, ſed & ipſomet Mariano ſeniorem longè, & ſeu veram Bonauenturæ prolem, ſeu quod huius argumenti perinde eſt, ea antiquitate inſignem, ijs notis clarum, quæ Bonauenturam poterant arguere. Cedo igitur mihi quantumuis obnoxium gratiæ arbitrum, & horum alterum fateri debebit: Si primum dixerit, triumphum canimus victoriæ ampliſſimæ: ſi alterum, annis dicam, an ſæculo? Mariano antiquiora debebunt fuiſſe manuſcripta, quæ eum induxerunt ad librum Bonauenturæ adſcribendum; & ſic non minus lætum agimus triumphum. Nam ſi tenemus Mariano antiquiores longè octo Collationes, fuerint illæ, ſiue non fuerint partus Seraphicus: certe & antiquiores longè erunt Kempenſi, & libellus de Imitatione Chriſti in ijs laudatus, nedum Kempenſi Autographo anno 1441. ſcripto prior, ſed & antiquior, quàm vt a Thoma ſcribi potuerit. Igiturne riſu omnium proles ſenior longè Parente habeatur, deijciendus eſt Thomas, & falsò adſcripta dignitate patris deijciendus: & alius nobis inquirendus, qui antiqui operis Auctor antiquior, & parens ſua prole ſenior exiſtat. Et tantæ energiæ hoc argumentum eſt, vt vnum arietet atque deijciat munimenta partis aduerſæ, ipſaque illius retegat

fundamenta, arena, non petra niti. Demus enim quod illi volunt, Vbertinum iuniorem fuiſſe, quàm vt illius meminiſſe potuerit Bonauentura: demus octo Collationes Bonauentura recentiores, an ideo recentiores erunt Kempenſi? anno 1270. ſcriptæ non fuerint, ideo 1441. non fuerunt exaratæ? erroneus computus, fallaces calculi. Tam enim certum eſt; octo Collationes Kempenſi longè anteriores, quàm ipſi aduerſarij certiſſimè ſibi perſuaſum habent, eas iuniores eſſe Seraphico. Nihil igitur probant, etiamſi euicerint, eas a Bonauentura non habitas, niſi vnà euincant, Kempenſi ſeniores fuiſſe: Illud autem nunquam effecerint; nam manifeſtò iam conſtitit, illas Kempenſem, Marianum, & 1400. Chriſti annum anteuertiſſe, & conſequenter cum meminerint libelli de Imitatione Chriſti, clariſſimè probare, dictum librum a Thoma Kempenſi nec ſcriptũ fuiſſe, nec potuiſſe cõſcribi.

Editionibus antiquis, teſtimonijs hiſtoricorum, & ætatum conſenſu probatur, Collationes eſſe Bonauenturæ; Occurritur obiectioni Roſveydi, aliorumque cauillis, & oſtenditur, non ex Bonauentura Auctorem de Imitatione Chriſti, ſed illum plura deſumpſiſſe ex dicto Auctore, qui propterea non potuit fuiſſe Thomas a Kempis, ſed aliquis eo longè anterior; idem demum probatur auctoritate S. Thomæ Aquinatis. Cap. V.

Atque his in hunc modum obiter diſputatis, etiamſi Collationes non eſſent Bonauenturæ, redeamus ad demonſtrandum, illas ab eo habitas fuiſſe. Et teſtimonijs Vuaddingi & Mariani allatis proximè, aliorum Hiſtoricorum calculos adiũgamus.

Et primò Bellarmini, in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis referentis, Octo Collationes ad Fratres inter Opuſcula Bonauenturæ. At certè, ſi veram Bonauenturæ prolẽ non agnouiſſet, eas, vt Auguſtini, Ambroſij, Aquinatis, aliorũque Sanctorũ Patrum complura Opuſcula, eruditi ingenij indice examinat, & reprobat quæ opinatur adulterina, ita eaſdem octo Collationes examini ſubiectas, reieciſſet vt ſpurias; ſi non veras, germanasque & ipſemet exiſtimaſſet, & dignas Card. Bellarminus.

exiſtimaſſet lectori recipiendas proponere.

Poſſeuinus Tomo primo Apparatus ſacri, edito Venetijs 1606. in vtroque Catalogo Operum Bonauenturæ, ponit & agnoſcit Collationes Monaſticas ad Fratres.

Antonius Poſſeuin.

Vvillottus.

Vvillottus in Athenis orthodoxis ſodalitij Franciſcani, Syllabum Operum Bonauenturæ Sixtinæ editionis, qua Collationum Libellus pro vero illius partu agnoſcendus, habendusque proponitur, exhibet, & calculo ſuo probat & recipit.

Adſtipulantur Editiones antiquæ; nam Opuſcula Bonauenturæ impreſſa Argentinæ 1495. (impreſſionem 1489. quam citat Roſveydus, non vidi) Veneta 1504. 2. Maij impenſis Lucæ Antonij de Giunta inter reliqua Bonauenturæ Opuſcula, Octo Collationes reponit. Adde & aliam Venetam fratris Franciſci Zamorræ, Ordinis Minorum Generalis Miniſtri, eaſdem referentis inter Opuſcula, tam ex manuſcriptis, quàm editis exemplaribus recenſita, vt ipſemet in epiſtola, data Tridenti Kalendis Auguſti 1563. præfixa in primo tomo Opuſculorum S. Bonauenturæ, teſtatur. Vaticana item editio Sixti Papæ V. Tomo operum octauo, eaſdem inter indubitata recenſet. Nec erres velim in ea voce, Fertur, qua Roſveydus ſe tuetur: *Iam verò, inquit, nonne in ipſa Vaticana editione Collationibus hiſce*

Franc. Zamorra Ord. Min. Generalis.

Her. Roſveyd. Vindic. Kempenſ. cap. 12.

ſce præfigitur: vt in impreſſis hactenus opuſculis Fertur? dubitaſſe igitur nonnullos de Auctore harum Collationum inſinuat. Nam integra tituli verba facili te leuabunt tridenti, & ſyrtes aperient. Verba Sixtinæ editionis ſunt: *Hæ Collationes, vt in impreſſis hactenus opuſculis Fertur, a S. Bonauentura habitæ ſunt in Conuentu Toloſano, quibus ad virtutes Religioſorum ſtatui maximè conuenientes fratres ſuos hortatur.* Quæ non ancipitem fidem operum, Auctoriſque faciunt, quaſi dicerent: Octo Collationes, vt Fertur, ſunt Bonauenturæ. Sed ſi quid in dubium vocant, locum tantummodò vocant in dubium, in quo illæ habitæ; vt ſenſus ſit: Has Bonauenturæ Collationes ab eo habitas fuiſſe (vt in impreſſis Opuſculis fertur) in Conuentu Toloſano; vt ly, fertur, non ad Auctorem, ſed ad locum referatur.

Adde tot ſæculorum conſenſum, quot ab eo tempore ſucceſſerunt, quo primo nemine contradicente, Bonauenturæ libellus cæptus haberi, ad Roſveydum vſque, qui mortalium primus, quod legerim, contra teſtimonia hiſtoricorum, operum Bonauenturæ editiones, & vnanimem hunc conſenſum, Collationes in ius vocare, calumniari vt adulterinas, vt ſpurias reijcere tentauit; quaſi illius vnius interceſſio potue-

tuerit impedire, quin eſſet legitimus, quem tabulæ, quem codicilli, quem teſtium indubitata fides, legitimum, iuſtumque declarauerint.

Her. Roſv. Vind. Kempen. cap 12.

Sed obijcit Roſveydus: *Collationibus his diligenter excuſſis, fronteque inſpecta, deprehendi impoſtorem alienis ornatum plumis ætatem non ſuam mentientibus: Auctor enim illarum cum citet Vbertinum, iunior fuiſſe debuit Bonauentura, qui ſenior Vbertino non potuit ex libro illius deſumere primam ex his Collationibus, nec illi addere ea verba: Hæc Vbertinus.* Reſpondeo: In ratione temporis ritè definienda apud Hiſtoricos, dum auctientur Auctores, aut ipſi ſubſcribunt, tam operoſas, ne dicam inuictas difficultates interuenire & nodos inextricabiles, vt maior mihi Alexandro eſſet, qui ea aut expedire poſſit, aut diſſecare. Non vna mea hæc querela, ſed eorum omnium, qui eruditioni ſacræ ſe dediderunt; tam raræ ſunt Antiquorum hiſtoriæ, Legendæ, Acta Sanctorum tam infrequentia, quæ ijs non implicentur. Nec omnino immunia eſſe inuenientur diplomata, priuilegia, conceſſiones, gratiæ, quin & ipſa Concilia. Hæc igitur vniuerſa adducemus in ſuſpicionem impoſturæ? magna id & veritatis, & hiſtoriæ, ipſorum ſanctorum Auctorum, Conciliorum, Fideique iniuria fieret. Non

enim

enim propterea Arelatenſe Concilium reijcit Card. Baronius, quod ei legatur ſubſcripſiſſe Cæſarius, qui Abbatiali iam tum Infula tantummodò clarus erat, non Epiſcopali. Aliaque Concilia, hiſtoriæ, Auctorumque ſcripta, tametſi (quod omni æuo illis fatale extitit) huiuſmodi afficerentur næuis, nemo tamen ſanæ mentis homo integram eorum pulchritudinem & ſinceritatem conclamare ſtatim debebit aut ad præfixas mittere. Card. Baron. Annal. tom. 6. ad ann. 453.

Non igitur ad fora ſtatim trahendus Bonauentura, & poſſeſſione deijciendus; nec pernegandum, eum Auctorem eſſe Collationum; etiamſi non adeo facile eſſet expedire, quo factum modo vt ſenior ipſe ex Vbertino iuniori deſcripſerit ſuarum Collationum primam; nec ſatisfactum iretur aduerſarijs, ſi diceremus (cum ambo vixerint eodem ſæculo, nec inſolens ſit, vt ſenior in ſuis ſcriptis meminerit iunioris) potuiſſe eum allegaſſe Vbertinum, qui librum ſuum vltra nonum premens annum (quod prodit Bellarminus ſibi accidiſſe) eum vel rudiori Minerua digeſſiſſe potuit aliquot ante annis, quàm ſecundis cogitationibus vltimoque pumice perfeciſſet: vel diu ante compoſuiſſe, quàm liberè permiſiſſet aliorum manibus & iudicio. Nam ipſe de libro ſuo: *A principio, inquit, ſpiritus eius,* Bellarm. in Præfat. ad li. de ſcriptor. Eccleſiaſt.

ex

ex quo in me ſtat memoria, ſatagebam hunc myrrhæ faſciculum colligere de tota ſylua latiſſima ſuæ virtuoſæ vitæ. Et primus hic libri partus a Bonauentura videri potuit & allegari. Nam ſi reſponſi hoc minus arrideat, aut ſatisfaciat (vt non hic coram adducam ſacræ Scripturæ libros, qui immenſas difficultates habent in ratione temporum ritè diffinienda (vide mihi Bellarminum in ius vocantem libros Diuini Aquinatis de Regimine Principum ad Regem Cypri, eumque multis de cauſis arceſſentem impoſturæ: Primùm, quia libro tertio cap. 20. Scribit Auctor huius operis, ſuo tempore accidiſſe, vt Adolphus Imperator Rodulfo, & Adolpho Albertus ſuccederet; at S. Thomas obijt anno 1274. Adolphus autem Rodulfo ſucceſſit anno 1292. & Albertus Adolfo anno 1299. *Poſſet quidem fieri, vt iſta verba ex margine annotata ab aliquo poſteriori in textum irrepſerint; ſed oratio continuata non videtur admittere iſtam reſponſionem.* Hæc, inquam, ille. Et tamen Proceſſus inſtitutus pro illius Canonizatione, vt vocant, agens de veris & indubitatis Operibus S. Thomæ: *Iſti, inquit, ſunt libri, quos edidit F. Thomas prædictus: Primò, contra impugnantes Dei cultum & religionem; contra Magiſtros Pariſienſes tëpore Alexandri Papæ IV. De operationibus*

Vbertin. de Caſal. in Prol. ſui Libri.

Card. Bellarm. lib. de Script. Eccleſiaſt.

Proceſſus M. S. Canonizat. S. Thomæ circa fin.

occultis, ad quendam militem Vltramontanum; Item in quibus poteſt homo licitè vti iudicio Aſtrorum, Ad eundem; De principijs naturæ ad F. Syluestrum; De Regno ad Regem Cypri; De ſubſtantijs ſeparatis, &c. Vbi videt Lector, argumentum Bellarmini a ratione temporis petitum, infirmum eſſe; & eam Imperij Adolphi & Alberti, quæ Aquinate ſequior fuit, mentionem, quocunque ea demum errore in S. Thomæ irrepſerit Opuſculnm ipſum tranſuerſim egiſſe, & induxiſſe, vt verum Doctoris ſancti Opuſculum, partumque germánum, vt ſpurium vitulamen, prolemque adulterinam reijceret. Atque hoc idem, quod Bellarmino, [Roſveydo, Aduerſarijsq. eueniſſe puta, dum Bonauenturæ Collationes e cenſu illius operum eradunt, quod eam Vbertini mentionem minus quadrare exiſtiment veris calculis ſupputandi ætatum, rectæque temporum rationi.

Fateor equidem, rationem temporis ex certioribus ſæpe filis vnum, quo penetramus in certam, veramque Auctorum cognitionem, & labyrintho errorum nos expedimus; dico tamen, Regulam quidem eſſe, at nonnunquam Lesbiam, Mercurium ducemque viæ, at qui non ſemel in deuia, anfractusque conijciat: vt ſi illi vni ſtetur, ablegare nonnunquam oporteat hiſtoriæ &

fi-

ſidei monumenta complura, quæ non niſi magna rei Eccleſiaſticæ & Catholicæ iniuria & damno reprobari poſſunt. Acri igitur iudicio opus, nec vno tantùm grano ſalis, vt quis diſcernat, an ratione temporis, Auctorumq. ſeu mentione, ſeu ſubſcriptione ſic peccetur, vt totius operis vacillet fides: an verò tot alijs e fontibus & venis, illius deriuetur ſanitas, vt integra & incorrupta conſiſtat; tametſi dicta temporis ratio, Auctorum mentio, veluti inſignia quædam morbi, de latenti admonerent inualetudine. Nam prout corporibus euenit, vt firmiſſima vtantur ſanitate, etiam ſi ſatur, aut langueſcens in facie color morbi ſuſpicionem ingerat: ita de Auctorum Opuſculis non ſemel philoſophandum & aſſerendum, vera eſſe, & non aſcititia germina, quæ eorum circumferuntur nomine; quantumuis ſeu memoria aliorum Auctorum in ijs facta, ſeu temporis ratio, in ſpurij vitulaminis, prolisq. mendoſæ accuſationem videretur deducere. Atque hoc ſi aliàs contigiſſe non infrequenter compertum, in his Bonauenturæ Collationibus id accidiſſe, non inuitus fatebitur, qui tot momenta incorruptæ ſanitatis, firmæque valetudinis ſymbola, quot in ijs reperiuntur, opponet vni (quam Aduerſarij ſuſpicantur adeſſe,) eique dubio non ſemel infirmitatis

ſigno

ſigno. Nam teſtimonia Hiſtoricorum, Cenſorum iudicia, editiones Bonauenturæ Operum, ætatum omniū conſenſus, magna apud omne ſæculum momenta in hiſtoria, Libellum Collationum Bonauēturæ cum adſcripſerint, dubio procul tot argumenta firmiſſimæ valetudinis præponderabunt vni ex ſe quidem certiſſimo & indubitato; at propter errores, qui interueniunt non ſemel, ſæpius incerto, nonnunquam infirmo, pluries cauillis obnoxio, & euincent eum germanum eſſe Bonauenturæ partum, veramque prolem; etiamſi forſitan accidiſſet, (quod pernegamus) contra temporis rationem, rectoſque ſupputandi calculos, Vbertinum cieri.

Si vrgent denuo: Dubitari poſſe, num Collationes ſint Bonauenturæ, cum non reperiantur inter alia illius Opuſcula M. SS. quæ adſeruantur in Vaticana Bibliotheca, nec etiam in Columniana, aut Sforziana, aut Congregationis Oratorij, nec in vllo S. Franciſci de Vrbe Monaſterio, nec Bononiæ, nec Toloſæ, vbi dicuntur habitæ. Reſpondeo: quòd non inueniantur inter ea manuſcripta, quæ ad manus aduerſariorum peruenerunt, leuiſſimi eſt momenti; nec enim pluteos omnes & pulpita, quæ vocant, exceſſerant, nec Vaticana, Sforziana, & quas nominant, Bibliothecæ, totius

Or-

Orbis Bibliothecæ ſunt, nec illud tantummodò, verùm & genuinum, quod ea ſcamna, quorum ipſi meminere, concluſerunt. Deinde non bella tantummodò, temporum iniuria, negligentia hominum, ſed & ipſa prela prælia, vt ita dicam, iam dudum indixere manuſcriptis, atque integra eorum plauſtra exterminarunt; vt nihil habeat admirandi, ſi impreſſa habeamus plura, quorum exemplaria manu exarata perierunt. Demus tandem, non inueniri hodierno die, certè inueniebantur, cum Marianus eos accenſuit, repoſuit traditio, retulit editio Argentinenſis, inter Opera Bonauenturæ.

Quod ſi verò, tanto demum rationum pondere victi Aduerſarij, Collationes agnoſcant verum Bonauenturæ opus, adhuc tamen ex alia linea telum moueant, & non Collationem ſeptimam ex Libelli de Imitatione Chriſti vigeſimo quinto capite, ſed hoc ex illo deſumptum aſſerant, eaque verba: Vt *patet in deuoto libello de Imitatione D. N. Ieſu Chriſti*, ab otioſo Amanuenſi addita, vel e margine in textum ſublata; atque inde contendant, nos nihil effeciſſe tanto conatu. Reſpondeo: Gratis hæc obijci. Nam obſerua mecum, Octo Collationes perpetuum eſſe centonem ex diuerſis Auctoribus contextum. Prima tota eſt ex Vbertino, ex quinque Bernardi ſermonibus

ſe-

ſecunda: Tertia ex Auguſtino, Bernardo, & Climaco: Quarta ex Bernardo: Quinta, ex Climaco & Bernardo: Sexta ex Bernardo: Octaua ex Bernardo & Climaco. Quòd ſi autem mens illius fuit inſtituere Collationes, hoc eſt, aliorum dicta, ſententiasque proferre in medium de argumento, quod in manibus erat, & in his ſeptem, quas proximè numerauimus, vna ſola textura ſubtegmenq. Bonauenturæ ſit, præterea nihil; non verba (quæ ex dictis Auctoribus tranſcripſit) non ſubiecta materia, non phraſis, non ſtylus, & ſeptimam aliunde deſumptam, quis neget? Vel igitur doceant Aduerſarij, vnde, quoue ab Auctore; vel vnà mecum confiteantur, ab Auctore Libelli de Imitatione Chriſti, apud quem totidem verbis habetur ipſa Collatio, & a quo ipſe Bonauentura fatetur ſe mutuatum.

Deinde, non Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti ex Bonauentura ſumpſiſſe, ſed hunc ex illo, argumento ſunt, quòd in Bonauenturæ Collationibus omnia aliena ſint, nihil proprium, quod ex eo deſumi poſſit, ſtylusque, qui familiaris & genuinus eſt dicti libelli, alienus eſt a dictione Seraphici Doctoris, & ductus Orationis, qui in eo perpetuus in hac Collatione ſubſultat, aliqua (quod & in cæteris fecerat) deſumens, alia intermittens. Et demùm ipſa

Bonauenturæ confeſſio, qui fatetur ingenuè, per quem profecerat, deuotum Libellum de Imitatione Chriſti allegans: Vt *patet, inquit, in deuoto Libello de Imitatione D. N. Ieſu Chriſti*.

Et ne ſuſpiceris, ea verba ſubſiluiſſe e margine in textum (prout Aduerſarij ſibi vellent perſuadere) aduerte Bonauenturam dictas Collationes nedum ex alijs decerpſiſſe, ſed expreſſis inſuper profiteri verbis eorum nomina, e quibus ipſas collegerat. In fine primæ: Hæc, inquit, Vbertinus. In ſecunda, ait Bernardus. In tertia: Ait Auguſtinus, Hæc Bernardus. Nota Climacus; & ſic in cæteris; Hæc Climacus, item Bernardus, Dicit Abbas Paſtor, Item Ioannes, Abbas Montis Sinai, Vnde & Bernardus &c. Vt cum eos omnes, quorum dicta retulerat, in ſuas Collationes nominatim alleget, vnũ Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti aſſerere, e margine irrepſiſſe, merè cauillus eſt, effugia & diuerticula quærentis calami.

Igitur vt argumentum hoc cõcludamus: Cum octo Collationum Auctor Libellum de Imitatione Chriſti laudauerit, & compilauerit ex eo ſeptimam ſuam Collationẽ; & vel ipſemet Bonauentura fuerit, vt teſtimonijs & documentis, quæ ſuperiùs dedimus, perſuaſi verè exiſtimamus: vel alius quiſpiam, Mariano, ipſoque Kempenſi ante-

terior longè & ſenior, vtramuis dixerint Aduerſarij euicimus. Non enim potuit Kempenſis Auctor eſſe Libelli de Imitatione Chriſti, quem dictæ Collationes, earumque Auctor, annis dicam, an ſæculo eo antiquiores allegauerunt.

Bonauẽturam amicus calamus, Aquinatis ſequetur. Hic enim e dicto Libello de Imitatione Chriſti nõnulla deſumpſit, quæ in ſuum de Sanctiſſimo Corpore Chriſti Eccleſiaſticum Officium tranſtulit. Verba verbis, ſenſumq. ſenſibus ex vtroque Scriptore collata his referre neceſſariũ iudicauimus. Teſtimoniũ S. Thomæ Aquinatis.

Ioannes Gerſen Abbas de Imitatione Chriſti, lib. 4. cap. 13. Quòd toto corde anima deuota Chriſti vnionem in Sacramento affectare debeat.	*S. Thomas de Aquino, Opuſcul. 57. in Officio Corporis Chriſti. In primis Veſp. ad Magnificat Antiphona.*
VEre tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ ſuæ. Verè tu pacificus meus, in quo pax sũma, & requiesvera	

ra ; extra quem labor & dolor ; & infinita miſeria . Verè tu es Deus abſconditus , & conſilium tuum non eſt cum impijs , ſed cum humilibus & ſimplicibus ſermo tuus . O quàm ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine , qui , vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo deſcendente illos reficere dignaris . Verè non eſt alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi , ſicut tu Deus noſter ades vniuerſis fidelibus tuis : quibus ad quotidianum ſolatium,& cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum, & fruendum . Quæ eſt enim alia Gens tam inclyta,ſicut plebs chriſtiana ? Aut quæ creatura ſub cælo tam dilecta , vt anima deuota, ad quã ingrediturDeus, vt paſcat eam carne ſua glorioſa ? O ineffabilis gratia ! o admirabilis dignatio ! o amor immenſus homini ſingu-

O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus , qui, vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares , pane ſuauiſſimo de cælo præſtito , eſurientes reples bonis, faſtidioſos diuites dimittis inanes.

Lectione 1. Noct. 1.

Neque enim eſt,aut fuit aliquando tam grandis Natio, quæ habeat deos appropinquãtes ſibi , ſicut adeſt nobis Deus noſter .

gulariter impenſus! Et reliqua eiuſdem generis, quæ ibi habentur.

Idem Ioannes Gerſen eod. lib. cap. 2. Quòd magna bonitas, & charitas Dei in Sacramẽto homini exhibetur.

SVper bonitate tua, & magna miſericordia tua, Domine, confiſus, accedo æger ad Saluatorem, eſuriens & ſitiens ad fontem vitæ, egenus ad Regem cæli, ſeruus ad Dominum, creatura ad Creatorem, deſolatus ad meum pium conſolatorem.

Idem cap. 17. De ardenti amore, & vehemẽti affectu ſuſcipiendi Chriſtũ.

DOmine Deus meus, Creator meus, & Redemptor meus, cũ tali affectu, reuerentia, laude & honore, cum ta-

Idem ſanctus Thomas, Oratione ante ſacram Cõmunionem.

OMnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentũ vnigeniti Filij tui, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cœcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli, & terræ.

Et paulò inferiùs.

Te panem Angelorũ, Regem Regum, & Dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reuerentia & humilitate, tan-

tali gratitudine, dignitate, & amore; cum tali fide, ſpe, & puritate, te affecto hodie ſuſcipere, ſicut te ſuſcepit, & deſiderauit ſanctiſſima Mater tua, glorioſa Virgo Maria.

tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ

At S. Thomas cum diu ante Kempenſem vixerit, non potuit e libro ab eo ſcripto quidquam mutuari. Igitur Libellus de Imitatione Chriſti, e quo verba, ſententiaſque traduxit, tempore Aquinatis extitiſſe oportuit, diu ante Kempenſem, & non illius, ſed antiquioris longè Auctoris fuiſſe. Si dicas: Non S. Thomam ex Auctore dicti Libelli, ſed hunc ex eo deſumpſiſse, quod vtrique cõmune eſt. Reſponſio facilis erit, ſi vtrumque legas, vtrumque expẽdas eruditi libra iudicij. Videbis enim, quæ conductitiæ in Diuo Thoma ſententiæ ſunt, in Auctore de Imitatione Chriſti propriam, perpetuamque phraſim eſſe. Videbis dicta loca, in Aquinatis Operibus, vt gemmas in medio auro lucere, & nobiliſſimæ ſynthesis nobiliùs aſſumentum; quæ in Auctore de Imitatione Chriſti velut in naturæ miraculo hexacontalitho color natiuus propriũ ornamentum eſt; vt non magis dubites, dicta loca, non S. Thomæ, ſed præfati

fati Auctoris propria eſſe, quàm roſas, quæ pulcherrimum ornant Altare, non Altaris eſſe, ſed horti.

Idem probatur auctoritate Abbatis Tritbemij, & Cardinalis Bellarmini. *Cap. VI.*

POſt hos ſummæ & fidei, & doctrinæ viros, prodit in ſcenam Ioannes Trithemius, non infimæ Claſſis Auctor, qui inter primipilos hoſtilis exercitus, contra veritatem coactus ſtare, ad ſigna rediens velitabitur veritati. Et quia tota lis agitanda venit de illius mente, floremne, an cucurbitam debeamus ex illius verbis colligere, ipſum audiamus loquentem: *Notandum, quòd duo feruntur huius fuiſſe nominis, ambo de Kempis, ambo Regulares in monte S. Agnetis, ambo ingenio præſtantes, & ambo varia edentes Opuſcula: Quorum primus tẽporibus Gerardi Magni ad Religionem conuerſus, Diuinis reuelationibus dignus habitus, ea, quæ ſupra recenſuimus Opuſcula, ſcripſiſſe dicitur: Secundus verò, adhuc noſtris temporibus penè viguit in humanis, & varia compoſuit, quæ ad manus noſtras non venerunt; & fortaſſe primo nonnulla ſunt adſcripta, quæ ſecundus feciſſe putatur. Libellus autem de Imitatione Chriſti primi* Io Trit. de Vir. Ill. Germaniæ.

fertur Auctoris; quem ante multos annos Seniores noſtri ſuos ferunt legiſſe Seniores: quamuis ſciam nonnullos in hac re ſentire contrarium. Hæc ille; duos agnoſcens Kēpenſes fratres: ſeniorem, quem ipſe Thomam, Ioannem aduerſarij appellant: & iuniorem, omnium confeſſione Thomam dictum; & de his duobus contentio, quis Auctor Libelli de Imitatione Chriſti videretur eſſe: An Senior? Hoc certè, ſi velit Trithemius, nolent Aduerſarij, ſed ipſum reijcient, & arceſſent falſitatis. An iunior? illud velint, nolintue Aduerſarij, nolet Trithemius, qui contra ipſum pronunciat: *Libellus de Imitatione Chriſti primi Fertur Auctoris.* Et dignum obſeruatu eſt, non latuiſſe Trithemium alios aliter ſenſiſſe: *Scio, inquit, nonnullos in hac re ſentire contrarium*: immo, *& primo forſan nonnulla adſcribi, quæ ſecundus feciſſe putatur.* Nihilominus tamen vtcumque illud de alijs Operibus verum fuerit, Libellum tamen de Imitatione Chriſti primo aſſignat Auctori; quare hoc? quia ſecundus adhuc noſtris temporibus pænè viguit in humanis, & tamen Libellum de Imitatione Chriſti *Seniores noſtri ſuos ferunt Seniores legiſſe.* Non diſputabo moroſiùs, qua ætate vixiſſe potuerint, qui Senioribus Trithemij Seniores ipſi fuerunt: ſed quia de mente Trithemij poti-

tiſ-

tiſſimùm agitur, ipſam vrgeo captu facillimam & clariſſimam. Nam eum neget, Libellum de Imitatione Chriſti a Thoma editum iuniori, quòd is ſuis pænè viguiſſet temporibus; Libellum autem Seniores ſui affirmaſſent Seniores ſuos legiſſe, indubiò Seniores iſtos intellexit ea ætate vixiſſe, tantoque interuallo anteuertiſſe Kempenſem iuniorem, vt liber ab illis lectus, ab eo non potuerit componi; aliàs enim conſectatus volantia, nihil ad rem locutus fuiſſet. Nam ſi Seniores illi eos annos non excedebant, quibus aptus fuit ſcribendo Thomas, potuiſſet Libellum de Imitatione Chriſti, & ipſe ſcripſiſſe, atque illi legiſſe: At quia Antitheſin ponit, & horum lectionis, & huius ætatis, quaſi vno ſpatio non potuiſſent concludi, clarum eſt ad mentem Trithemij, iuniorem Fratrem Kempenſem, Thomam videlicet, Auctorem non fuiſſe dicti Libelli; quinimmo ideo non fuiſſe, quòd is Libellus ab ijs lectus fuiſſet, qui Senioribus Trithemij fuiſſent ipſi Seniores, atque adeò anteriores Thomæ.

Robertus Cardinalis Bellarminus, magnum apud Aduerſarios, omneſque Eccleſiæ filios nomen, dum pro nobis & veritate ſtetit, intactus, atque inuulneratus fuit. Luculentior enim viſa illius purpura, quàm vt contra niti vellent: maior auctoritas quã

vt poſſet conuelli. Nihil igitur reſpondendum putarunt teſtimonio, quod in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in hæc verba protulit: *Tribui ſolet huic Auctori (Ioanni Gerſoni) præclariſſimum Opuſculum de Imitatione Chriſti, quatuor libris diſtinctum; ſed quia non numeratur inter Opera Gerſonis, nec in Catalogo, quem ſcripſit frater ipſius Gerſonis; nec in Tomis editis Argentorati, meritò dubitandum eſt, an illud ſit Gerſonis: immo communiter iam illud Opus adſcribitur Thomæ de Kempis, viro admodum pio; ſed nec inter huius Opera numeratur, vt paulò poſt videbimus. Itaque valde probabile eſt, Auctorem illius eſſe Ioannem quendam Abbatem de Gerſen, ſiue de Geſſen, vt habet inſcriptio vetuſtiſſima huius libri in Codice manuſcripto, qui aſſeruatur in Monaſterio Aronenſi, quod olim fuit Monachorum S. Benedicti, & nunc eſt Domus Nouitiorum Societatis Ieſu. Et hinc apparet, hoc Opus tributum fuiſſe Ioanni Gerſoni propter ſimilitudinem nominis;* Quia verus illius Auctor erat Ioannes Gerſen; *& tamen quia non inueniebatur hoc opus inter opera Ioannis Gerſonis Cancellarij Pariſienſis, tributum fuiſſe Thomæ de Kempis, ob ſimilitudinem aliquam ſtyli; quamuis neque inter Opuſcula eiuſdem Thomæ inueniretur.* Hactenus Bellarminus; ve-

Card. Bellarmin. lib. de Scriptor. Eccleſ. in Ioan. Gerſone Edit. Pariſ. 1618.

veluti in ſcena exhibens errores huius Libelli. Protaſin vides, in expoſititio, & ſine vero patre errabundo: Epitaſin, in attributo Gerſoni ob nominis ſimilitudinem: In Thomæ Kempenſis adoptiuo, ob vicinitatem ſtyli, Cataſtaſin: Cataſtrophen demum, cum tota fabula exagitata in tranquillitatem deſinit, & verò patri vera proles addicitur, Libellus de Imitatione Chriſti Gerſeni. Et neſcio planè, quomodò potuiſſet Bellarminus, aut luculentiùs, aut efficaciùs aliquid in rem noſtram proferre: Etſi, inquit, Libellus attributus fuerit Ioãni Gerſoni ob nominis ſimilitudinem, Thomæ de Kempis ob vicinitatem aliquam ſtyli: *verus tamen Auctor illius erat Ioannes Gerſen.*

Sed dices: Bellarminum in recentiori editione teſtimonium Gerſen datum, refigere, Libellum abdicare Gerſeni, Kempenſi addicere.

Mutaueritne verè ſententiam Bellarminus, eamque induerit perſuaſionem, ſuiſque curauerit libris inſeri, non Gerſenem, ſed Kempenſem, verum Auctorem fuiſſe dicti Libelli, non vnum mihi argumentum dubitandi. Nam, vt idem Eminentiſſimus retulit Ioanni Baptiſtæ Confalonerio Scriniorum Caſtri S. Angeli Magiſtro, & Laurentio de Rubeis medico ſuo, acceſſerunt

ad

ad ipſum bini ex Aduerſarijs, & expoſuerunt, quanta res ageretur in vno libello, quem vt verum Thomæ de Kempis partum defendendum ſuſceperant; teſtimonium igitur Ioanni Gerſeni datum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis reuocaret, librumque adiudicaret Kempenſi: id quam plures, qui Romæ commorabantur, quam plurimos autem e Flandria ſeriò deſiderare, frequenti nuntio petere, auidè expectare. Retulit Eminentiſſimus: Se olim ſcripſiſſe. quod veritati exiſtimauerat conſentaneum; iam autem cælum meditari, non lites; librum, cuiuſcumque demum eſſet, optimum eſſe: permitterent ipſum illi quieti, quam totus ſuſpirabat, cætera facerent demum quod factu optimum exiſtimabant. Teſtor æternum Deum, nihil me hic fingere, de meo nihil addere, ſed ea ipſiſſima referre, quæ prædicti prudentes, & fide digni viri mihi retulerunt.

Atque ea non multum abhorrere a veritate, falſumque eſſe; Bellarminum in aliam diſceſſiſſe mentem ab ea, quam ſupra ex libello de Scriptoribus Eccleſiaſticis expreſſimus, & pænituiſſe ſuffragij, ſeu Gerſeni dati, ſeu negati Thomæ, libens fatebitur, qui conſiderabit, non veſtigium, non vmbram huiuſcemodi in eo mutationis apud Rosueydum in Vindicijs inueniri; quod fa-

ctum

ctum proculdubio fuiſſet, ſi reuera ſententiam mutaſſet Bellarminus. Nam cum nihil eorum Roſveydus prætermiſerit, quæ Kempenſem libelli Auctorem aſſerere potuiſſent, omiſiſſet ille Bellarmini auctoritatem tam claram, tam efficacem, & quæſtioni, quam tractabat tam opportunam, nempe quæ totidem verbis Gerſenem negat, affirmat Kempenſem verum eſſe Libelli Auctorem, Roſveydi approbat ſententiam, vt plenè demonſtratiuam, meam in coniecturis poſitam reijcit: hanc ille (præſertim cum ita Bellarmini auctoritatem ſuſpexerit, ſanctamque & verendam putarit, vt ei, dum pro nobis ſtaret, noluerit intercedere) hanc, inquam, omiſiſſet, ſi illius potuiſset facere mentionem? nequaquam certè.

Potuiſse autem Rosveydum mutatæ a Bellarmino ſententiæ meminiſse in ea editione, quæ Antuerpiæ apud Belleros prodijt 1621. ſic demonſtro: *Bellarminus a Gregorio XV. (inquit Silueſter Petraſancta) ſeceſſum ex aula obtinuit, & xvij. Kal. Sept. anni 1621. ex Vaticana Regia migrauit in Domum Probationis ad S. Andreæ in Quirinali, neque poſtmodum vlli maiori negotio animum accomodauit; excepto quod abſoluere deſiderauit in Congregatione ſacrorum Rituum cauſam S. Philippi Nerij, de* Silueſt. Petra ſãcta in Vit. Rob. Bellarmin. li. 3. c. 2.

qua

qua referre in iſto confeſſu debuerat: Biduo poſt neceſſe habuit ſtudio vehementi negotium aliud pertractare in Congregatione Indicis, ad quam ſe contulerat, vt ſimul Cardinalibus ſuis Collegis valediceret. Domum verò fatigatus admodum remigrauit, & duplici tertiana correptus eſt. Hæc Petraſancta. Quamobrem poſt illud tempus, quo impetrato ex Aula diſceſſu, & maioribus etiam negotijs valere juſſis, ſanctioribus de æternitate curis ſe tradiderat, veriſimile non ſit, eum accuratiùs incubuiſse examinando, quis Auctor dicti Libelli fuerit; immo nec voluiſse ea de re ſententiam ferre, & teſtimonium Gerſeni datum refellere, ſuffragari Kempenſi: Quod ſi autem id feciſset ante ſexto decimas Auguſti Kalendas, iam potuiſset Rosveydus id meminiſse in ſuis Vindicijs, & ea ſeu palinodia Bellarmini, ſeu teſtimonio in me pugnare. Nam menſe Septembri dicti anni, & Vindiciarum editio, quam inſinuaui, adhuc ſub prælo erat, vt teſtatur epiſtola illius dedicatoria, quæ in fine habet: *Antuerpiæ primo Septembris anno* 1621. *Admodum R. P. V. Seruus in Chriſto, Heribertus Rosveydus.* Nec tanta diligentia ſtatim præcipitanda in lucem publicam, quanta in dubio Rosveydus a ſuis, qui Romæ erant, & controuerſiam hanc ſummè & cordi, &

curæ

curæ habebant, & Bellarmini palinodiam deſiderabant, mutatæ ab illo ſententiæ fuiſſet admonitus, idque tempori (vt vnius paginæ correctione, ſi impreſſio forſitan abſoluta fuiſset) Vindiciæ in ſolem & puluerem exituræ, potuiſsent Bellarminianum pro Kempenſi telum amentare.

Atque hęc diſputata in hunc modum ſunt, etiamſi vel pridie tantùm ſui ex Aula diſceſſus, pro Kempenſi ſuffragium tuliſſet, quod fidem excedit. Indubiò enim grauiores longè & ſanctiores curæ prudentiſſimum illius pectus vrgebant ſub eo tempore, quo familiæ, Aulæ, negotijs ſacrorum Conceſſuum, amicis, Collegijs, & mundo quaſi vniuerſo valedicere cogitabat, quàm vt exiguis adeſſet rebus. Igitur diu antea ſuffragium illud tuliſſe debuit (ſi tulit) pro Kempenſi: quod ſi; ergo diu ante editionem ſuam anni 1621. menſe Septembri factam, Rosveydus Eminentiſſimam illius mentem ſciuiſſe potuit, & velitantem ſibi ſententiam ſuo libro inſerere, præſertim, cum ipſammet alleget Bellarmini paginam, qua ipſe pro nobis ſtetit, & proxima ijs verba, quibus librum Gerſeni adſcripſit; quod cum non fecit, nec mutati Bellarminiani ſuffragij iudicium vllum nobis inſinuet, permittant Aduerſarij, exiſtimemus, Eminentiſſimum Virum ad mortem vſque pro nobis & veritate fuiſſe, & te-

ſti-

ſtimoniũ ſiue illius inſertum Opuſculis, ſeu quacunque demum arte & inuentione ſub illius nomine deinceps proferendum, quo Kempenſem aſſeret, negabit verò Gerſenem, Auctorem eſse Libelli de Imitatione Chriſti, ſuppoſititium eſse, & fortè aliorum opera & induſtria, non verò e mente, vel ſcitu illius poſitum, factumque. Atque hoc procul omni dubio certiſſimum eſſe, atque veriſſimum, vel inde demonſtres, quòd Colonienſi editione longè poſterior Lugdunenſi anno 1630. facta, aſpernata commentum hoc, priorem Bellarmino lectionem, & Libellum de Imitatione Chriſti Gerſeni, tanquam vero Auctori reſtituit, abdicato Kempenſi.

Ex ijs etiam redarguas illos, qui Coloniæ Agrippinæ, tacito licet nomine, omnia Card. Bellarmini Opera Tomis ſeptẽ diſtincta, imprimenda curarunt, ſuppoſita ibidem non vera Cardinalis ipſius nomine retractatione: quæ omnino fictitia æſtimari debet, cum virum iſtum Eminentiſſimum perpetuò ſtetiſſe nobiſcum pro Ioanne Gerſen Abbate, in ſuperioribus oſtenderimus. Nihilominus eodem teſte Bellarmino, veritatem ex allata impoſtura etiam oſtendamus. Certiſſimum enim eſt, illum Romæ primò edidiſſe librum ſuum de Scriptoribus Eccleſiaſticis (in quo ſtatuit Ioannem Gerſen Abbatem

Be-

Benedictinum, non Thomam a Kempis Canonicum Auguſtinianum fuiſſe Auctorem Librorum quatuor de Imitatione Chriſti) anno Chriſti 1613. & 1616. deinde Pariſijs 1617. conformi ſemper ſententia, & ijſdem ipſis ſemper verbis pro eodem Gerſene prolata. Igitur quo pacto affirmari potuerit, duos ante annos perſanctè notatam ab eo ſententiam, virum ſanè doctiſſimum & pijſſimum, retractare voluiſſe? Abſurdum enim hoc optimè cognoſci poteſt ex eo præſertim, quòd anno 1615. editio prædicta Colonienſis moliebatur, & ſequenti Cæſareo Priuilegio, eodem anno dato, clarum fit. En illud: *Matthiæ Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Diplomate cautum eſt: ne quis Opera Roberti Card. Bellarmini citra ſcitum ac voluntatem Bernardi Gualteri Typographi Colonienſis, intra ſacri Romani Imperij fines, ſiue integrè, ſiue diuiſim imprimat, vel alibi impreſſa adducere, & venundare audeat, per integrum decennium, ſub pœna in originali expreſſa. Signatum Viennæ,* 16. *Martij,* 1615.

Matthias.

Loco ✠ *Sigilli.*

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium,

Ioannes Baruiſius. Ita ibi.

Sed & eiuſdem farinæ exiſtimanda ſunt, nempe commentitiæ, & præter eiuſdem Cardinalis mentem, quæ eodem in loco etiam ſuppoſita ſunt de S. Bonauentura, de Ioanne Gerſone, & Thoma Kempenſi, & quidem gratiſſimè conficta contra aſſertam ſententiam viri eiuſdem Eminentiſſimi pro noſtro Abbate Ioanne Gerſene.

Præterea, vt videas ſacra hæc aliter non conſtare; accipe non abſimilem diligentiam hoc eodem in argumento. Nam cum Opuſcula S. Franciſci, opera & notis P. Lucæ Vvaddingi Antuerpiæ ſub prælo eſſent, & reſciretur, in ijs aſſeri, veram eſſe Bonauenturæ prolem Collationes ad Toloſates, ijsq. vnis tanquam clariſſima demonſtratione euinci, Thomam de Kempis non fuiſſe Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti; actum cum Typographo, librum aut ne imprimat, aut curet ſaltem teſtimonium de Octo Collationibus tolli, ſi eum vellet eſſe venalem. Quod cum ad vota non ſucceſſiſſet, cum ipſo Vvaddingo putarunt agendum multa prece, & interpoſita Reuerendiſſimi ſui Generalis auctoritate, vt calculum reduceret. At ipſe narrationes ſuas veritate, non affectu dimetiens, nec falſum amore conſecrat poſteritati, nec verum omittit timore.

Cum igitur tantam videris Aduerſario-

rum

rum induſtriam, nihil aut monſtri, aut miraculi habebit, ſi aſſeramus: Bellarmini mentem, ſententiamque ſemper ad mortem vſque nobiſcum conſenſiſſe; quæ autem illius nomine circumfertur, ipſius non eſſe, ſed ab alio aliquo illius Opuſculis inſertum.

Sed vt liberales nos habeant Aduerſarij, demus, reuera Bellarminum ea ſe exuiſſe perſuaſione, quæ Gerſeni librum aſſerebat, quid demum proferet ad ſententiam, ſeu priorem infirmandam, ſeu ſtabiliendam poſteriorem? Dum velitatur Gerſeni, vetuſtiſſimam affert inſcriptionem ſub illius nomine, falsò creditam aſſerit Gerſonis Cancellarij prolem, ob nominis amphibologiã; Thomæ Kempenſis, ob aliquam ſimilitudinem ſtyli.

Cum ergo tales reponit, palinodiã cauit, ſpongia inuehit in Gerſonem, debebit ea momenta, & argumenta afferre, quæ opinionem ſolidè aſſertam & probatam, ſolidiùs infirment. Ipſum igitur audiamus. *Scriptos, inquit, & compoſitos eſſe ab eodem Thoma Libellos de Imitatione Chriſti ſupraſcriptos, contrarijs coniecturis euerſis, demonſtrat euidenter in Vindicijs Kempenſibus Heribertus Roſveydus Societatis Ieſu, cuius mihi rationes pleniſſimè ſatisfecerunt.* Card. Bellarminus.
Sed hic cum non ſuam, ſed Roſveydi fidem oppignoret, ſub cuius & nomine, & vmbo-

ne pugnat, ieiunè admodum ex eo diſputãs, nihilque aut ſuum, aut noui adducens, non nouis opus in eum telis, ſed iiſdem eum oppugnamus, quibus toto hoc Opere Roſveydum obruimus.

Bellarmino ſubiungimus Iulium Nigronium, notiſſimum Societatis Ieſu Scriptorem aſceticum, qui in ſuis ad me: *Quantum, inquit, gaudeo de inuento Gerſene: Ecce veram meam coniecturam, qui eum nominaui Gerſenem, vnde æquiuocatio in Gerſenem. Altera impreſſione Gerſen, credo, dicet, non Geſſen. Oſtendat eum Domino Cardinali Bellarmino, P. Mutio Generali, & Patribus Flandris, & calamum fortaſſe diſtinebunt. Nam vnum eorum argumentum erat, non debere credi vni codici, illique in exprimendo cognomine inconſtanti. Et poſtea Dominatio veſtra non ægrè ferat, ſi ego in libris meis imprimendis citem Dominationis veſtræ litteras, in quibus loquitur de codice Mantuano.* Hæc Nigronius.

Iul. Nigron. in literis ſuis ad me datis 11. Ian. 1617

Et Bernardinus Roſignolus apud Poſseuinum in Apparatu ſacro ſuffragatur his verbis: *Ioannes Abbas de Geſſen, vel de Gerſen ſcripſit aureum illum Libellum de Contemptu mundi, & Chriſti Imitatione, qui inſcribitur propter nominis ſimilitudinem Gerſoni, & ab alijs propter ſtyli, ac phraſeos formulas tribuitur Thomæ a Kempis.*

Bernard. Roſignol. apud Poſſeuin. in Apparatu Sacro, in Ioan. Gerſone.

Ita

Ita habetur in perantiquo exemplari M. S. quod in Monaſterio Aronenſi ad Lacum Verbanum, quæ nunc eſt Domus Probationis Societatis noſtræ, ex vetuſta Bibliotheca reliquum eſt. Atque id notes, velim, tam Roſſignolum, quàm Nigronium penitus introſpexiſſe Aronenſem Codicem, eumque, & controuerſiam hanc feriò, multùmque examinaſse, antequam teſtimonia tam clara, & efficacia in rem noſtram protuliſſent.

Adiunge P. Iacobum Syrmundum eiuſdem Societatis Theologum, Regis Chriſtianiſſimi a ſacris Confeſſionibus: de quo Franciſcus Valgrauius in erudítiſſimis ſuis animaduerſionibus Apologeticis ad Gerſenem, ſic habet: P. *Syrmundus Societatis Ieſu Theologus, acerrimo iuditio vir, omnique literarum genere inſtructiſſimus, pro ſua ſingulari, qua præditus eſt, humanitate, mihi communicauit codicem M. S. in Collegio Claromontano eiuſdem Societatis Pariſienſi conſeruatum, in quo continentur tres priores de Imitatione Chriſti libelli, (deeſt enim quartus de Sacramento Altaris) in papyro vetuſta manu deſcripti, nullo addito Auctoris, vel Antiquarij nomine, nulla inſuper librorum numerali nota, vel inſcriptione, inuerſo præterea ordine collocati: nam qui nobis primus eſt, tertio loco repo-*

De P. Iacobo Syrmundo Franciſc. Valgrauius.

nitur. De quibus vir ille religioſiſſimus a me iudicium ſuum petitus affirmauit, ſe certò credere, illius codicis characterem demonſtrare, Auctorem Kempenſi antiquiorem; in textu verò diſertis verbis deſignari Auctorem fuiſſe Monachum, non Canonicũ Regularẽ. Hæc vir ſanè pius, & doctiſſimus.

Et demum D. Petrus de Marigliac, magni Sigilli Franciæ Cuſtos, pius pariter, ac doctus vir: *Abbatis Caietani, inquit, Apologiam pro Ioanne Gerſen Abbate, Libelli huius Auctore, diligenter legi, ac meo quidem iudicio rationes eius intentum ſuum probant; quamobrem & ego editionem, quam is ad manuſcripti Aronenſis exemplar in lucem emiſit, mihi ſequendam in libri huius verſione delegi, vt præ cæteris maximè ſinceram.* Et iterum. *Ego reuera inter rationes a Roſveydo allatas validam nullam inuenio, cur hic libellus Thomæ a Kempis, qui anno 1471. obijt, ab vllo tribuendus eſſet; immo mihi videtur Thomam vbique etiam ſuiipſius teſtimonio excludi, quandoquidem libelli huius non compoſitorem ſe, ſed ſolummodò exſcriptorem diuerſis verbis affirmat.* Hæc Vir ſanè pius, & doctiſſimus.

Dominus Petrus de Marigliac, in Præfat. ad Io. Gerſenem a ſe Gallice ex Latino tranſlatum.

His iure prælibatis, quòd nomen Thomæ a Kempis falsò inſcriptum fuerit Libris de Imitatione Chriſti, hoc potenti etiã alio argumento probamus. Nam cum tot, tan-

. rationum momentis, quæ in iuſtitiæ
ce examinata, omnes Aduerſariorum
pulos apud prudentes rerum æſtimato-
non ſolùm eleuarunt, ſed etiam ad nihi-
redegerunt, ex recenti quoque Ludo-
i XIII. Chriſtianiſſimi Regis nuper de-
cti iudicio non leue pondus acceſſit. Is
m Rex omni ætate memorandus, cum
no Chriſti 1642. hos quatuor Libellos de
itatione Chriſti typis elegantiſſimis in
am Regiam tranſlatis, imprimere deſti-
ſſet, eius deliberatione euulgata, conti-
ò Regulares Canonici S. Auguſtini, & So
tatis Ieſu Patres pro retinendo Thomæ
mpenſis nomine, cura intentiſſima labo-
rerunt. Reclamante verò Reuerendiſſi-
o P. D. Gregorio Tarriſſe Superiore Ge-
rali Congregationis S. Mauri, Ordinis S.
nedicti, viro ſanè, docto, & pio, & pro
anne Gerſen rationes efficaces in mediū
ponente, de Armandi Ioannis, doctiſſi-
& prudentiſsimi S. R. E. Cardinalis de
chelieu, & Illuſtriſſimi Dñi de Nuerijs a
cretis Status eiuſdem Regis Chriſtianiſſi-
, nec non aliorum Clariſſimorum Sena-
rum Sententia, qui tam laudabilis Conſi-
edendi in publicum Patrum Operà, gran-
oribus characteribus excuſa, illi ſuaſores,
promotores fuerunt, librum ipſum ſine
cuius nomine in publicum prodire iuſſit.

Ratio ex auctoritate Regia, Cardinalitia, & legū Peritorum, quòd Thomas a Kēpis minimè debeat iudicari Auctor Librorum de Imitatione Christi.

Hoc autem quid aliud, quæſo, fuit, quàm poſſeſſionem improbam decernere, tamdiu malè vſurpatam, non a Thoma Kempenſe (qui vir religioſiſſimus nihil minus cogitauit, quàm alienos labores ſibi arrogare) ſed ab ijs, qui ſcriptura decepti, alienam illi perſonam impoſuerunt, non veriti fucum facere poſteritati, & Belgam pro Italo Scriptore non tam vendicare, quàm venditare.

Cur in abdicatione Kẽpẽſis, Gerſen minimè fuerit adiudicatus.

Nec tibi ipſi perſuadeas, velim, Lector, quòd abdicato Kempenſi ea Heroum conſultatione, ſimul & Ioannes Gerſen abdicari debeat, quia cum duo eſſent in controuerſia, videlicet, an Kempenſis poſſeſſio legitima eſſet, & cui adiudicari deberet; ac primus articulus tanquam clarus, & indubitatus iam definitus eſſet, alterius verò deciſio prudenter fuit prætermiſſa, tanquam requirens magis exactam deliberationem, quam ad ſe Regia Maieſtas ſpectare, nequaquam exiſtimauit.

Nihilominus etſi Rex & Cardinalis, viri que periti non expreſſere Ioannis Gerſenis nomen, expreſſere tamen, immo approbauere Doctores Facultatis Sorbonicæ Pariſienſis, ad quos de iure pertinebat. Nam cum vir ille eruditus, Franciſcus Vualgrauius, Anglus, Benedictinus, lingua Gallica imprimendos curaret eiuſdem Gerſenis libros de Imitatione Chriſti, duabus potiſſimùm

mùm

mùm aſſertionibus ſubnixus, easque exa-
minandas propoſuiſſet doctiſsimis iiſdem
Theologis, ſequens obtinuit Decretum,
Gallicè etiam dictum, quod nos ad verbum
Latinè ita reddidimus.

Approbatio Doctorum Pariſienſium.

*Euidentiſſima iſta teſtimonia, quibus aſ-
ſeritur, Ioannem Gerſen, Vercellenſem Ab-
batem, Librorum de Imitatione Chriſti eſſe
verum Auctorem, non Thomam a Kempis,
duabus hic poſitis aſſertionibus probata ab
Admodum R. P. F. Franciſco de Valgraue
Benedictino, Priore Clauſtrali de Cellis, typis
mandari poſſunt, cum nil contra fidem, aut
bonos mores contineant, immo valde ſint
vtilia pro explicatione quæſtionis agitatæ,
ratione nominis Librorum prædictorum Au
ctoris. Ita nos Facultatis Pariſienſis Docto-
res Theologi teſtificamur, hac prima Augu-
ſti, 1643.*

Decretum Theologorũ Sorbonę pro Ioanne Gerſen.

Hemer; *M. Grandin*; *De la Haye*;
Prior Monaſterij Pictauienſis. Sed regre-
diamur.

Tho-

Thomas a Kempis, cum Aduerſariorum confeſſione, nullis vnquam ſuis Opuſculis nomen ſuum appoſuerit, appoſuerit verò Libello de Imitatione Chriſti, oſtenditur, cum non fuiſſe illius Auctorem. Idem dein probatur ab ipſis Autographis Kempenſibus, eorumque numero, ordine, & inſcriptione. Cap. VII.

FAs & ab Aduerſarijs doceri, præſertim in veritate indaganda, cuius ea vis & gloria, vt teſtimonium etiam ab illis ferat. Audi igitur Roſveydum: *Quòd ſi diuinare licet, cur Ioanni Gerſoni Libri de Imitatione Chriſti inſcripti fuerint, fortè hæc non improbabilis cuiquam videbitur coniectura, quia Thomas a Kempis nullis vnquam Opuſculis ſuis ex humilitate nomen ſuum præfixit: Hinc factum, vt varij ea exſcriberent (vnde & dum vitam B. Lyduinæ in compendium redigit, etſi ad Canonicos Regulares Monaſterij S. Eliſabeth prope Brielam eam mittat, tamen F. N. Pauperis peregrini velo ſe obtegit: quo etiam velamento vtitur in Prologo ſermonum ad Nouitios) hinc factum, vt dum varij ea exſcriberent in diuerſas Prouincias ritè nomine Auctoris peruenerint; adeò vt in Germanicum quoque ſermonem transfuſa & impreſ-* Her. Roſuei. Vind. Kempen. c. 4.

ſa

fuerint anno 1545.*nullo Auctoris expreſ nomine.* Vbi clarè docet: Kempenſem ulli vnquam ſuorum Opuſculorum nomen ppoſuiſſe: Appoſuiſſe, inquam, ita enim ò præfixiſſe, interpretandum venit: Nam, ue præfixiſſet, ſeu ſubſcripſiſſet, ſiue in-erpoſuiſſet, ſiue quocunque demum mo-o nomen adiunxiſſet ſuum, in diuerſas rouincias ſine Auctoris nomine non per-eniſset Libellus, nemo ignorantia nomi-is eum inſcripſiſſet Gerſoni: nullum fuiſset rgumentum ſingulari encomio efferendi il-ius humilitatem, quòd nomen celaſset ſuū. Manifeſtum igitur, ex ſententia Roſveydi, Kempenſem nulli ſuorum Opuſculorum nomen ſuum appoſuiſse. E contra verò am Sommalius, quàm Roſveydus faten-ur, eum ſubſcripſiſse, nomen, inquam, ap-oſuiſse Libello de Imitatione Chriſti. Et Sommalius quidem: *Auctor, inquit, hu-ius Libelli Thomas a Kempis fatetur ſe hunc librū ſcripſiſſe anno Domini* 1441. Et Roſ-veydus: *Auctor ipſe in fine, miniata litera teſtatur: Finitus & completus anno* 1441. *per manus F. Thomæ a Kempis.* E quibus euidenter concludi poteſt: Thomam à Kē-pis (ex Aduerſariorum confeſsione) cum nunquam appoſuerit nomen ſuum vllis ſuis Opuſculis: iiſdemque fatentibus, nomen ſuū appoſuerit Libello de Imitatione Chri-

Hen. Som-mal. in fine epiſtolæ de-dicator. ad opuſ. Thom. a Kempis. Herib. Ro-ſveid. Vin-dic. Kemp. cap. 9.

ſti:

ſti: Libellum hunc de Imitatione, Opuſculum ſuum non eſse.

Vincit igitur Veritas ipſis Codicibus, qui illi pulcherrimum teſtimonium perhibuerunt: & Thoma valere iuſſo, alius Parens quærendus Libello de Imitatione Chriſti; non enim parum agnoſcit ille, qui faſcias habet, bullasque non ſuas. Ipſe nullis vnquam Opuſculis ſuis nomen appoſuit; vt ſi libellus de Imitatione Chriſti, ſeu alius quilibet partus compareat ſui nominis appoſitione notatus, ſymbola dicet tænias, crepundia, ſuppoſititia, doloſa, falſa, prolemque non ſuam; hæc autem ſymbola tæniaſque habet dictus de Imitatione Chriſti Libellus, quia Thomæ nomen ſubſcriptum habet, ergo illius non eſt.

Nec indignum eſt obſeruatu: Thomam, ſicuti nullis vnquam Opuſculis ſuis, hoc eſt, quæ Auctor ſcripſerat, nomen adiunxit, ita adiunxit alijs, quæ deſcripſit Amanuenſis: *Superſunt, inquit Roſveydus, etiamnum vniuerſa Biblia in quatuor Tomos diſpertita; ingens præterea Miſſarum liber, & nonnulla S. Bernardi Opuſcula, præcedenti arte, & magna induſtria a Thoma conſcripta.* Et in notis ad dictum locum: *Ea in folio, quatuor Tomis compacta, aſſeruantur Coloniæ apud Canonicos Regulares in Monaſterio ad Corpus Chriſti, vbi in*

Idem in Vita Thomæ a Kempis.

fine

ine primi voluminis, quo continetur Pen-
ateucbus, vſque ad finem libri Ruth, ſic
ribitur: Finitus, & completus anno Do-
nini 1439. in Vigilia S. Iacobi, per manus
ratris Thomæ a Kempis, ad laudem Dei,
n monte S. Agnetis. Et in tertio ad extre-
num libri Machabæorum additur: Scriptũ
er manus F. Thomæ a Kempis, &c. Vnde
um ſubnexuerit nomen ſuum Libello de
mitatione Chriſti, ſymbolum dicas Ama-
uenſis, non Auctoris. Et hoc niſi fatearis
ltroneus, ex ijs verbis ſacro textui ab ipſo
eſcripto annexis: Finitus & completus an-
o Domini 1439. in Vigilia S. Iacobi, per
anus F. Thomæ a Kempis; tam facili, cla-
oque argumento nos deducemus, illum
ompoſuiſſe Pentateuchum, reliquam ſa-
ram paginam vſque ad libros Ruth, quàm
c ijs libello de Imitatione Chriſti ſubne-
s: Finitus & completus anno 1441. per
anus F. Thomæ a Kempis; colligent Ad-
erſarij, Auctorem fuiſſe illum dicti Libelli,
uòd ſi autem fides ſit, priora verba non
ſicere, ipſum compoſuiſſe ſacrum Textũ,
metſi probent deſcriptorem fuiſſe; ita ve-
tas erit veriſſima, verba poſteriora illum
guere tantummodò exſcriptorem Libelli
Imitatione Chriſti, non verò Auctorem.
gitur ſi vtrobique concedere non poſſunt
uctorem, vtrobique Amanuenſem tãtũ-
mo-

modò fuiſſe, concedant, neceſſe eſt. Hocque ipſum procul omni dubio forma ipſa ſubſcriptionis planè, plenèque demonſtrat: *Finitus, inquit, & completus per manus F. Thomæ a Kempis.* Ea enim formula ſubſcribendi, Opuſculum Auctoribus nedum non vſitata, ſed & impropria, propria autem Amanuenſium, & exſcriptorum, Thomas inſinuare voluit, & apud poſteritatem clarè profiteri, ſe manus tantummodò in ſcribendo, non ingenij in componendo, laborem poſuiſſe: exſcriptorem fuiſſe, non opificem; Amanuenſem, non Auctorem.

Porrò, duo cum aſſeruntur ab Aduerſarijs manuſcripta Autographa Kempenſis, Louanienſe Martinianum alterum, alterum Antuerpianum, vtrum, amabo, prius exaratum, primogenitum audiet? an hoc? an illud? Si Antuerpianum dixero, fauet ſubſcriptio Thomæ, præcipuum olim fundamentum hos libros ei attribuendi; fauet Roſveydus: *Auctor, inquiens, teſtatur manu propria, ſe hunc librum compoſuiſſe anno* 1441. Fauet Sommalius his verbis: *Auctor huius Libelli Thomas a Kempis, in fine Autographi ſui fatetur ſe hunc librum ſcripſiſſe (ideſt, compoſuiſſe, nam aliàs argumentum nihili eſſet) anno* 1441. Si ergo compoſuit, ſi ſcripſit eo anno; profectò Antuerpianum exemplar, de quo ſolo

Roſveyd. pa. 321 Edit. Duacen. an. 1621.

Sommal. in fine Dedicatoriæ ad Opuſc. Thomę a Kempis, Edit. Duacen.

id

id verificatur, prius a Thoma ſcriptum, primogenitura gaudebit: Et tamen ipſemet Roſveydus ſibi aduerſatur his verbis: *Certum eſt ex Thomæ autographo, vbi annorum notam appoſuit, librum eum ſcriptum anno* 1441. *Scripſit tum quidem hoc exemplar, ſed fortè annis aliquot ante compoſuerat, & aliud exemplar ſcripſerat.* Et capite nono: *Nec Codex Louanienſis antiquitate cedit Antuerpiano (nempe Kempenſis ſiniſtra vt dextra prælians, vtrumque eodem tempore deſcripſit, ſimulque fudit) quia eiuſdem Auctoris manu ſcriptus eſt, quod & idem character, eædem abbreuiationes, & idem per omnia contextus manifeſtiſſimè probant.* Indicet iam arbiter æquus, quo hæc nexu cohæreant: *Anno* 1441. *librum compoſuit, & forſan annis aliquot ante compoſuerat; ſcripſit tum quidem, ſed aliquot forſan annis ante ſcripſerat?* *Et Sommalius, qui prius Antuerpiano primas detulerat, iam antiquitatem Louanienſi concedens: Hunc Libellum, inquit, de Imitatione Chriſti, dum Bibliothecam Canonicorum Regularium Diui Martini, Louanij, perluſtro, in ea tanquam in alia gaza, Auctoris manuſcriptum, quod Græci Autographum dicunt, & pretioſius myrothecium, & Homero diuiniorem reperi.* Vt videat Lector, quàm variè, & inconſtanter hæc dicantur. Sciunt enim

Roſveid. vin dic. Kēpen. cap. 7.

exem-

exemplar Antuerpianum (ſi Autographum primæuum certò eſſe ſtatuerent, cum illo vel ipſius Thomæ confeſſione) anno 1441. tantummodò exarato, manuſcripta Vveingartenſe & Mellicenſe, appoſita numerati annorum nota, priora ſint, cauſa, liteq. caderent, & toto iure anterioritatis Thomas poſſeſſione detruderetur. Dici enim non poſſet illum librum anno 1441. in Belgio cópoſitum fuiſſe, qui aliquot prius annis in Italia, Germaniaq. circumferebatur. Exemplar igitur aliud protrudendum in ſcena fuit, dictis Vveingartenſi, & Mellicenſi, fictitia ſaltem antiquitate ſuperius, quo Thomæ ſuppetias ferrent. Quid igitur? Antuerpianum in ſecundis relinquerent, deferrent exploratè, & indubitanter Louanienſi primas? Et hæc etiam non ſibi conſtant: nam ſic ruiturum præuident præcipuum & argumentum & fundamentum ſuæ opinationis a Thomæ ſubſcriptione deductum; ijs enim a verbis: *Finitus, & completus per manus F. Thomæ a Kempis, anno* 1441. nulla probabilitatis tinctura colligi poſſet, eo anno librum compoſitum fuiſſe, ſi pluribus ante annis compoſitus, ſcriptusq. fuiſſet.

Iam verò quod reſtat, ſicut Antuerpianum excludimus, productis manuſcriptis antiquioribus Vveingartẽſi, & Mellicenſi, ita intercedimus Louanienſi, tum quod imperfe-

fectum illud & mutilum, quarto vtpote defectum libro, archetypum eſſe non poſſit, e quo tot perfecta exemplaria deſumpta fuerunt; tum quia dubio tantùm verbo (forſitan) id Roſveydus aſſerit, & nullo id probat argumento, non anni numerali nota, non Thomæ ſubſcriptione, non vlla coniectura probabili; & propterea, vt gratis, falsòque dictum reijcimus, & concludimus, ectypos eos eſſe, non abs Thoma compoſitos, ſed deſcriptos.

Atque hoc ipſum plurimo adhuc, & efficaci argumento demonſtro. Nam primò ipſam, & Autographa Kempenſia, ſic incorrecta, imperfectaque ſunt, vt Prototyporum ijs nomen, decusque non conueniant. Non ago hic de Sommalij editione, quam Roſveydus centum pænè locis erroneum, ad Auctoris calamum reuocauit; *tam etſi non videam, cur huic potius credam, quàm Sommalio aſſerenti, omnia ſe bona fide reſtituiſſe ex Autographo Kempenſi.* Sed ipſammet, quam adornauit Roſveydus, quamque ad Auctoris mentem, manumque ſe expreſſiſſe fatetur, poſtulo errorum, & imperfectiorē exhibeo, quàm vt Prototypi nomen, decusque promereatur. Nam lib. 1. cap. 3. Kempenſis: *Quanto aliquis magis ſibi vnitus*; Aptius alij: *Quanto aliquis magis ſibi vnitus*. Item lib. 1. cap. 12. Autor

graphum Kempenſe habet: *Quando foris vilipendimur ab hominibus, & non benè nobis creditur*. Meliùs Mantuanus Codex: *Quando foris vilipendimur ab hominibus. & non benè de nobis creditur*. & cap. 16. Kempenſis: *Rarò proximum ſicut nos ipſos penſamus*. Rectiùs alij: *Rarò proximum ſicut nos ipſos amamus*. Et lib. 2. c. 5. n. 2. Kempenſis: *Si debes habere pacem & vnionem veram, oportet quòd totum poſtponas, &c.* Meliùs Leo Allatianus: *Si velles habere pacem, & vnionem veram, oportet quòd totum poſtponas, &c.* & lib. 2. cap. 5. n. 1. *Non poſſumus nobis ipſis nimis credere*. Meliùs leg. *Non debemus nobis ipſis nimis credere*. Et lib. 2. c. 7. *Oportet dilectū pro dilecto relinquere*. Meliùs leg. *Oportet dilectum propter dilectum omnia relinquere*. Ibid. num. 2. *Ieſus deberet tecum libenter habitare*: Meliùs leg. *Ieſus vellet tecum libenter habitare*. Lib. 3. c. 8. *Quid ſum, quid fui, quò deueni*. Meliùs Aron: *Quid ſum, quid fui, de quo veni*. Lib. 3. c. 13. *Vt tuam ſuperbiam mea humilitate vinceres*. Meliùs leg Mantuanus. *Vt tuam ſuperbiam mea humilitate vincerem*. Lib 3. cap. 30. *Cum ſic facio totum*. Meliùs Aron. *Cum ſic facio tecum*. Iterum Kempenſis lib. 3. c. 33. *Sed in multis caligat oculus puræ intentionis, reſpicitur enim citò*. Meliùs Aro-

Aronenſis, Cauenſis, & Mantuanus: *Sed in multis caligat oculus puræ intentionis, reſpicit enim citò.* Et lib. 3. c. 38. *In omni occupatione externa ſis intimus liber.* Meliùs Aronenſis, & Cauenſis: *In omni occupatione externa ſis intus liber.* Et lib. 3. c. 43. de Kempis: *Quia intus ſum doctor, veritas, cordis ſcrutator.* Meliùs reliqui manuſcripti: *Intus ſum doctor veritatis, &c.* cap. 49. Kempenſis: *Propter hoc natura quandoque contriſtabitur, & magnum ſi ſilens portaueris.* Meliùs Leo Allatianus: *Et propter hoc natura aliquando contriſtabitur; & magnum certamen ſuſtinebit, ſed ſilens portabis.* lib. 3. c. 52. de Kempis: *Nec decet me inter Sanctos tuos commemorari.* Aptiùs alij: *Nec decet me inter Sanctos tuos commorari.* lib. 3. c. 53. num. 1. Kempenſis: *Dei vocationem omnibus exterioribus antepone:* Meliùs Aronenſis, & Cauenſis: *Dei vocationem omnibus, &c.* lib. 3. c. 58. de Kempis: *Diſtantia incomparabilis, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati, &c. ſpeculantur.* Meliùs Leo Allatianus: *Diſtantia incomparabilis eorum, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati, &c.* Atque hæc e multis, quæ huc potuiſſemus arceſcere. Si plures cupis, varias adi lectiones, quas inferiùs damus, & plures huiuſmodi loquendi formulas, & dictiones in-

correctas, minusque habentes ad ſatietatem, inuenies, quæ ſatis arguunt clarè Kẽpenſes Codices imperfectionis, & errorum, vt ſicuti facilè dijudicamus a fonte longiùs receſſum fuiſſe, cũ turbidæ decurrunt aquæ, ita illos in præſentiarum pronunciare poſſumus non eſſe originarios, & prototypos, ſed poſteriori cura, manuque ex alio deſcriptos; cum ijs ſcateant vitijs & erroribus, quibus prototypi obnoxij eſſe non aſſolent, nec in originarijs, Auctorisq. manu deſcriptis vſpiam reperiuntur.

Iam verò, vt hoc ipſum euincat Librorum de Imitatione Chriſti inſcriptio, ab ipſis Aduerſarijs producta, litemque abiudicet Kempenſem, Roſveydum audi: *Omnes quatuor libri paſſim de Imitatione Chriſti inſcribuntur: Ego verò dum manuſcriptos conſulo, ne vnum quidem quatuor librorum ita inſcriptum inuenio; ſed primũ, Incipiunt admonitiones ad ſpiritualem vitam vtiles; ſecundum: Incipiunt admonitiones ad interiora trahentes; Tertium: Incipit liber internæ conſolationis; Quartum: De Sacramento. Atque ita ante ſingulos libros Auctor titulum manu ſua notauit.* Et paulò poſt: *Quod ad numerum ſpectat, quatuor quidem vulgò feruntur eſſe libri de Imitatione Chriſti, ſed eum numerum nulli manuſcripti certam aſſerunt. Nam Con-*

Roſveyd. Vind. Kẽpen c. 17.

ſen-

ſendoncanus M. S. vnum tantùm habet, videlicet primum: Louanienſis S. Martini M. S. tres libros tantùm exhibet, primum, ſecundum, & tertium, diuerſos ſingulos Inſcriptionibus, ſicut iam monſtraui: Antuerpienſis Collegij noſtri M. S. quatuor quidem libros habet, ſed diuerſis quoque ſingulos inſcriptionibus. In nullo Autographo ordinalis nota primi, ſecundi, tertij, & quarti præfigitur, quod ad ordinem attinet; nec vllum hic certum Auctor ipſe præſcripſit; eum, qui vulgò quarto loco imprimitur, reponit tertio. Ex quibus omnibus manifeſtum euadit, nullam Auctori mentem fuiſſe, hos quatuor libros inſcribendi de Imitatione Chriſti, cum ſingulis ſuos titulos præfixerit, ſed ſolùm primum ita inſcribi poſſe, ratione tituli, & argumenti, quod præfert Caput primum. Placuit tamen, ne quid in re tam vulgata immutarem, omnes quatuor communi inſcriptione retinere, eodem quoque numero, & ordine. Et paulò poſt: *Qui methodum aliquam practicam in his libris inueniunt, ne pium eorum ſtudium dilaudo: quanquam Auctori dum hæc ſcriberet, nullam ſibi methodum præfixiſſe planè mihi perſuadeam; cur enim ipſe alias, nec eundem librorum numerum ſeruaſſet, nec eundem ſemper ordinem? Hactenus ille.* In quibus non opus tot oculis rimas inſpicere,

 di-

diſcernere hiatus, telas reperire, quæ Au-ctorem confodiant. Nam titulum librorum quæris? *Ne vnus, inquit, quatuor librorum de Imitatione Chriſti inſcribitur.* Numerum deſideras? reſpondebit: *Quatuor quidem vulgò feruntur eſſe libri de Imitatione Chriſti, ſed eum numerum nulli manuſcripti certò aſſerunt.* Ordinem quæris? *In nullo, inquit, Autographo ordinalis nota primi, ſecundi, & tertij præfigitur: & quod ad ordinem attinet, nec vllum hic Auctor ipſe præſcripſit: eum, qui vulgò quarto loco imprimitur; reponit tertio.* Methodum vis? *Nullam ſibi hic Auctor methodum præfixit.* Quis, amabò, hunc non deprædicet Vindicem pro Thoma, qui eum quidem nulla non induſtria conatur aſſerere libelli Auctorem, at libelli titulo, numero, ordine defecti? quaſi tam hebes, confuſus, paruæque compos ſcientiæ Thomas fuiſſet, vt librum cum ſcribere vellet, nonniſi rudem, indigeſtamq. molem ediderit, a Roſveydo, Sommalio, ſeu vulgata, & communi inſcriptione, & praxi cæco eximendam aceruo, diſtinguendam ordine, numero, titulis, perpetua tamen confuſæ methodi labe damnandam. Deinde credetne aliquis, hos manuſcriptos, ſic mutilos & confuſos Archetypos fuiſſe, & prototypa exemplaria, ad quæ tot, alia ectypa ſuis abſoluta per-

perfectaque numeris deſcripta fuerunt? S. Bonauentura citat deuotum libellum de Imitatione Chriſti: Trithemius a Roſveydo laudatus capite mihi Vindiciarum ſeptimo, recenſet de Cõtemptu Mundi, & Imitatione Chriſti libri quatuor: Catalogus Operũ Kempenſis in fronte editionis Norimbergenſis abs Roſveydo productus habet, de Imitatione Chriſti libri quatuor: Codex noſter Mantuanus ita inſcribitur: *Incipit liber Ioannis Gerſen primus de Contemptu Mundi, & de Imitatione Chriſti*: Cauenſis: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, incipit Libellus de Imitatione Chriſti, & Contemptu omnium vanitatum mundi:* Leo Allatianus: *Incipit Tractatus Ioannis de Canabacco, de Imitatione Chriſti, & de Contemptu omnium vanitatum mundi, & diuiditur in quatuor libros:* Mellicenſis Codex Sublaco delatus anno 1418. de Imitatione Chriſti inſcribitur: *Et impreſſi quotquot vidi omnes, antiquiſſimi, ſeu Gerſonis, ſeu Kempenſis nomine editi, eum de Imitatione Chriſti inſcribunt.*

Ad numerum quod attinet, vides Catalogos & Trithemij, & Norimbergenſis editionis, a Roſveydo productos, quaternarium fateri. *De Imitatione Chriſti inueniunt, libri quatuor:* Mantuanus, Cauenſis, Leo Allatianus, impreſſi omnes, in

quatuor libros diſpertiti ſunt, primum, ſecundum, tertium, & quartum.

Ordinem quæris? Idem prorſus illi, quem tenemus paſſim in impreſſis; hi autem primum habent: Qui ſequitur me; Secundum: Regnum Dei intra vos eſt; Tertium: Audiam quid in me loquatur Dominus; Quartum: De Sacramento. Et hos dicam titulo de Imitatione Chriſti notatos, quaternario digeſtos numero, ordine diſtinctos, vndique perfectos tempore, vel ſuppares, vel æquales, vel ſuperiores Autographis Kempenſibus, ab ipſis autographis non vero inſcriptis titulo, deſcriptis ordine, numero fallacibus, & imperfectis deſumptos fuiſſe. Viſumne a ſæculo, perfecta exemplaria ab imperfecto prototypo deſcripta? Hoc cum prorſus excedat fidem, dicendum omnino eſt: Autographos Kempenſes non eſſe archetypos & originales, ad quos tot alij codices integri & abſoluti delineati fuerunt & deſcripti; ſed ectypa exemplaria, eaque valde mutila & imperfecta.

Demum, liber Antuerpianus cum tam accuratè ab Auctore Kempenſi deſcriptus fuerit, *vt ne literula quidem aberrarit: & ſi quæ inibi tranſpoſitio verborum ſcribenti euenit (vide Amanuenſis, non Auctoris ſymbolum) ipſe poſt minio fugitiuum vocabulum in locum ſuum reuocandum monuit.*

Koſveyd. Vind. Kemp. c, 19.

Quin

Quin & Codex Louanienſis S. Martini non cedat, *Qui eiuſdem Auctoris manu ſcriptus eſt, quod itidem character, eædem abbreuiationes, & idem per omnia contextus manifeſtiſſimè probant*. Deinde, cum tam Roſveydi, quàm omnium teſtimonio, *Thomas voluerit Antiquarij manu*; quomodò, amabò, factum; vt Sommalij editio, bona fide reſtituta ex Autographo Scriptoris, centum pænè locis ad Auctoris calamum Roſveydi opera reuocanda fuerit? Audi Sommalium: *Omnia bona fide reſtitui ex autagrapho Scriptoris, quod nuper Dei beneficio in manus noſtras peruenit.* Et tamen Roſveydus ait: *Sommalij noſtri editionem ad manuſcriptorum Antuerpiani, & Louanienſis fidem exegi, & pænè centum locis ad Auctoris calamum reuocaui*. Vnde, quæſo, tanta diſcordia fratrum, qui in diuerſa abrepti, diuerſa impreſſerint, & locuti fuerint? Sommalius: *Textum diſtingueret curioſè, ſed non vbique ipſa Thomæ verba ex Autographo exprimeret*; Roſveydus aberrantem cogeret fratrem, ſed *curæ tamen & illi eſſet, non manum ſolùm, ſed & mentem Auctoris exprimere*. Vnde tanta diuerſitas, & contradictio in ciuitate, præſertim, cum optimi Amanuenſis, optima & tam accurata eſſet ſcriptura, *vt ne literula quidem aberrarit, contextus vtriuſque M.S. idem per omnia* eſ-

Ibid.

Idem in vita Thomæ Kēpen.

Sommal. in Epiſt. dedicator.

eſſet, idem character, eadem abbreuiationes? Dicant ſeriò Kempenſis Vindices, ſeque, cauſamque ſuſceptam integram præſtent; hæreo enim ego anceps animi, impar rationi reddēdæ, ni ea ſit, manuſcriptos Kempēſes, titulo mancos, indigeſtos numero, ordine confuſos, vndique imperfectos, nedum vt Archetypi, ſed & ectypi boni ſint, e quibus exemplaria perfecta exſcribantur, indignos eſſe. Atque hinc & iis ſolet accidere, qui cauſam erroneam defendendam ſuſcepere, vt errorem errore cumulent, ſibique ipſis ſæpe ipſi diffideant, ita Kempenſes Patronos, in hos ſe induere ſentes, ſeque inter digladiari, dum inferiorem, vitioſamq. theſin defendunt Apographum, illudque imperfectum, pro originali, exemplar craſsè deſcriptum, pro ipſo Auctoris prototypo venditantes.

Parciùs hìc ago de methodo, quòd Roſveydi in eam accuſatio, non tam libri antiquitatem aut probet, aut conuellet, quàm feriat immerentem Auctorem, quaſi is non benè iunctarum iecisset ſemina rerum, & librum, quæ via eſt & methodus aptiſſima, & apertiſſima ad omnem huius vitæ perfectionem, & patriæ cæleſtis gloriam, ſine methodo edidiſſet. At quis tantam clariſſimi Auctoris iniuriam ferat? quis credat vnquam, librum plane Diuinum, & (ſi quiſpiam

piam

piam alius poſt ſacram Paginam) Diuinioris vnctionis partum, ſine methodo eſſe; cum quæ a Deo ſunt, ordinata ſint? Planè numquam æquo animo ferre potui, tantam Auctori ignominiam irrogari. Libentiùs igitur accedo Auctori, Methodus Practicæ, qui multò rectius dixit: Ordinem ac methodum in Libello de Imitatione Chriſti multos deſiderare, non quòd illi deſit; ſed quòd adeo ſublimis ſit, vt multos effugiat. Hanc Methodum in calce huius operis damus, verbis tam Franciſci Valgrauij noſtri, qui eã pulchrè digeſſit, quàm dicti Auctoris, Methodus Practicæ. Rosveydo interim probanti abeſſe methodum, quia ipſe, Auctor, nec eundem ſemper librorum numerum ſeruauit, nec eundem ordinem; reſpondemus: peccare hic alium, alium puniri; vitiumque manuſcriptorum Kempenſium eſſe, non Auctoris: illa enim ordine confuſa, numero defecta ſunt: hic autem (vt in antiquiſſimis exemplaribus tam impreſſis, quàm manuſcriptis videre eſt) libros edidit, eodem prorſus diſtinctos numero, ordine conſpicuos: quo eos paſſim habemus. Numerum igitur, ordinemque ſeruauit, methodumque, dum hæc ſcriberet, ſibi præfixit Ordinis Noſtri Decus cæleſte, Ioãnes Gerſen Abbas.

A Styli

A ſtyli diſſimilitudine, Auctoris ætate, nomine Monachi, titulo Abbatis, libriſque impreſſis, & manuſcriptis ſub Gerſenis nomine, oſtenditur, Thomam a Kempis non fuiſſe Libelli de Imitatione Chriſti Auctorem. Cap. VIII.

NVnquam ego tantum in ſtylo pondus ineſſe exiſtimaui, vt inuictum ſemper argumentum ab eo duci poſſit ad certam Auctoris notitiam perueniendi. Hinç in priori mea Apologia, leui calamo prætergreſſus hunc locum: *Quantum, inquiebam, Thomas a Kempis, & Ioannes Gerſen (Auctor nempe Libelli de Imitatione Chriſti) orationis phraſi, ac toto ſcribendi genere inter ſe diſtent, non eſt meum in præſenti definire, ſed eruditis viris litem hanc ſine magno labore dijudicandam relinquo.*

D. Côſt. Abb Caietan. in p. Apologiæ.

Quæ anſam dedere Roſveydo, totos eloquētiæ neruos explicandi: *Tu ne hic (verba illius ſunt) ſtyli diuerſitatem ſubodoraris? Non roſa roſam magis ſubolet: quàm liber de Imitatione Chriſti ſimilis eſt reliquis Thomæ a Kempis ſcriptionibus; & ſi libellum hunc præ alijs Auctoris libris nectare fluere quis aſſeruerit, nõ tam ex ſtylo id dicet, quàm ex materia exundare.* Hæc ille. Non

Roſveyd. Vind. c. 2.

ſu-

ſubodoror tantùm Roſveyde, ſed toto olfactu diſcerno diſſonantiam ſtyli, quam mecum omnes, qui libellum legerint, fatebuntur. Non abibo hic a tuis ipſius ſcriptis; & quia ad Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis, ad Bellarminum, inquam, emunctiſſimi naris hominem, a te his verbis citatum: ***Hinc apparet, quia non inueniebatur hoc Opus inter opera Ioãnis Gerſonis Cancellarÿ Pariſienſis, tributum fuiſſe Thomæ a Kempis ob ſimilitudinem aliquam ſtyli.*** In quibus ſi ritè ſubodoratus eſt Bellarminus, Roſveydi olfactus obſtupuit, quia Bellarminum contraria aſſerentem pro ſe allegauit. Nam vide mihi ſimilitudinem: ille aliquam tantummodò, non quæ roſam inter & roſam viget omnimodam, non integram, non perfectam, qualem Roſveydus autumat, & aſſerit. At in rerum natura ſexcentas inuenies ſpecies aliqua propinquas ſimilitudine, cætera diuerſiſſimas. Bellarminus igitur cum aliquam tantummodò ſtyli ſimilitudinem confiteatur, maiorem longè diſſimilitudinem agnoſcere, neceſſe eſt. Deinde quiſquis ille e Societate Ieſu fuit, qui libellum de Imitatione Chriſti lingua vulgari edidit Panormi anno Chriſti 1641. ſub titulo Gerſonis, & ſuam ſub alieno nomine præfationem appoſuit, alio longe atque Roſveydus odoratu fuit, ſuamque

Roſveyd. ibid.

Bellarm. de Scriptor. Eccleſiaſt. in Io. Gerſone.

Anonymus e Soc. I. lib. de Imitat. Chriſti vulg. ling. edit. Panor. 1641.

que viuacem odorandi vim his verbis expreſſit: *Stylus Diuini huius libri, quem vocamus Gerſonem, totus eſt ſententioſus, & more cæleſtium Aphoriſmatum, pauciſſimis verbis magna dicit, intellectum conuincit, mouet voluntatem, nec multum excurrens accendit affectum ad omnem virtutem. E contra, Thomas a Kempis, tametſi in ſuis Operibus imitari voluit Gerſonem, in conciſo modo loquendi, in diſcurſu tamen languidus eſt: Spirat quidem deuotionem, non tamen habet Diuinam illam vim ad ferienda corda, quæ in Gerſone inuenitur: Et quod ſumma rei eſt, Opera Kempenſis in hoc conueniunt, ſicut quatuor libri Gerſonis in hoc aſſimilantur, vt omnes flamma cæleſtis exiſtant. Et mihi dixit quidam ſeruus Dei e Societate Ieſu, & magnus Theologus, quòd cùm ab ipſo nouitiatu ſe totum dediſſet lectioni, & meditationi Librorum Ioãnis Gerſonis, & Operum Thomæ a Kempis motus hac ſola ſtyli diuerſitate, quem in re probauerat, ſemper exiſtimauit: Thomam a Kempis non fuiſſe Auctorem libelli de Imitatione Chriſti.* Hactenus ille, guſtato pulſu, ſignisque vtriuſque libelli inſpectis penitus, in cuius ſententiam plures doctiſsimi, & ſtyli aſcetici peritiſsimi viri eunt. Et planè, ſi aureus Thomas eſt, libelli noſtri Auctor totus gemmeus; ſi ſuauis ille,

hic

hic melleus, & nectareus. Huius ſimplex, & melliflua, illius elegans; huius contemplationi magis accommoda phraſis illius doctrinæ; ille in ſuis paſſim Opuſculis tam initio cuiusque capitis, quàm progreſſu apponere ſolet integra loca Scripturæ ſacræ iiſdem planè verbis, citando Auctores, Prophetas, Apoſtolos, Doctores, Patres: hic ſuis verbis contexit orationem ex ſacrarum Literarum medulla, ſanctorumq. Patrum doctrina melle exundante. Strophi igitur Roſveydi, Antiſtrophen hanc ſecutus, certusque oppono, qui aliquot Opuſcula Thomæ cum hoc Libello comparare voluerit, nullo ille negotio diſparitatem ſtyli deprehendet; atque inde, ſi ſtyli diuerſitas diuerſum arguit Auctorem, inferre poterit: Alium Thomam a Kempis fuiſſe, alium dicti Libri.

Quòd ſtylus, idem & tempus, ætasque Auctoris dabit: Nam libro 3. cap. 50. cum dicat; *Quantum vnuſquiſque eſt in oculis tuis, tantus eſt, & non amplius, ait humilis S. Franciſcus*. Facilè oſtendit ex ſermone familiari; Ait, inquit, non aiebat: indigitari Franciſcum, Auctori non ignotum: ipſumque Auctorem tot anteuertentem luſtris Kempenſem, quot Diuo Seraphico proximior fuit. S. Franc.

Atque hoc longè fortiùs euincit e libro

1. c. 25. deſumptus locus his verbis: *Quomodò faciunt tam multi alij Religioſi, qui ſatis arctati viuunt ſub diſciplina clauſtrali, raró exeunt, abſtractè viuunt, pauperrimè comedunt, groſsè veſtiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, maturè ſurgunt, orationes prolongant, frequenter legunt; & ſe in omni diſciplina cuſtodiunt. Attende Carthuſienſes & Ciſtercienſes, & diuerſæ Religioni Monachos, & Moniales, qualiter omni nocte ad pſallendum Domino aſſurgunt; & ideo turpe eſſet, vt tu deberes in tam ſancto opere pigritare, vbi tanta multitudo Religioſorū incipit Deo iubilare.* Hæc ibi Quo enim in loco, quo ſæculo hæc exarata? num in Belgio? num anno ſupra milleſimum quadringentеſimum quadrageſimo primo, quo tempore Kempenſis ſcripſit? fieri non poteſt: Nec enim ibi loci, eá ætate, tanta diſciplina clauſtralium Belgarum fuit, ſi Ioanni Buſchio aduerſariorum Primipolo credamus, vt hæc de iјs magnalia prædicentur; Chronicon Vuindeſimenſe ab ipſo editum Roſveydo illud docebit ad hunc modum: *Et quia de Ordine approbato ab aliquibus eorum aſſumendo inſtantiùs ipſis commiſerat, ſollicitiùs interrogabant, an Ordinem Carthuſienſem, quem ſolum penè in his partibus reformatum audierant, aſſumere de-*

Io. Gerſon. de Imitat. Chr.

Io. Buſch. c. 5 Chron. Vindeſimen.

be-

berent? qui reſpondit: Nullo modo. Nam confer hæc, & compone ſeriò cum ijs,quæ proximè e Libello de Imitatione Chriſti deduximus,de multitudine Religioſorum, qui ſatis arctati viuebant ſub diſciplina clauſtrali, & contraria prorſus inuenies. Hic ſolùm pænè Ordinem Carthuſienſem reformatum habemus: ibi non eos modò, ſed & Ciſtercienſes,& diuerſæ Religionis Monachos, & Moniales ijs accenſeri, qui ſe in omni diſciplina cuſtodiebant. Igitur, vel falſum eſt, & fallit egregiè, & in tantorum famam Religioſorum mentitur Chronicon; vel ſi verum narrat, quod nos non diſputamus, tum certè lapſa erat, & relaxata quadantenus diſciplina clauſtralium Belgarum ſub eo tempore, & conſequenter Libellus de Imitatione Chriſti non ea ætate, qua tantæ patuerant ruinæ Monaſteria, ſed anteriori aliqua, cum floreret rigor clauſtralis, ſcriptus fuit.

Porrò, ſi aut Roſveydus (ſi adhuc in humanis eſſet) vel quiuis alius, agnoſcere vellet,& tueri, quæ ex Officina Pauli Laymanni, Anonymi ab eo defenſi, Auctoriſq. Caueæ Turturis, qui ſub nomine Georgij Ridelij latere voluit, prodierunt, ipſorum confeſſione intentum noſtrum clariſſima didu ctione conſequeremur. Nam Auctor Anonymus in conſilio dato ſuper transla-

tione bonorum Monaſterialium: *A nullo, inquit, genere hominum maius Eccleſiæ Catholicæ, in Germania, & reliquis hæreſi infectis Prouincijs, illatum eſt damnum. quàm ab antiquis Ordinibus; qui quidem per ſe ſancti ſunt, & fuerunt aliquando Eccleſiæ ac Religionis Catholicæ propagatores ac propugnatores acerrimi, vitio tamen hominum, partim ex abundantia panis, ac otij, & diuturna Prælatorum negligentia, & ignauia, in eam corruptelam, non dico in vna, alteraue perſona, vel in vno, alteroue Conuentu, ſed vniuerſa ferè Germania ſub initium ſæculi præcedentis deuenerant, vt ex ijs minima oblata occaſione cateruatim peſtilentes hæreſiarchæ prodierint, qui totã fermè ſecum Europam in hæreſim, ac ſchiſma, quaſi coniuratione facta, pertraxerint.* Quæ verba verè in exceſſu dicta, defendenda ſuſcipiens Paulus Laymannus, nominatus & ipſe inter tres robuſtos, & Auctorem vocat, *clariſſimum Theologum, & quæ dixit, meritò reprehendi non poſſe, vt non niſi periculo ad Sanctæ Inquiſitionis Tribunal contra quis prouocaret.* Subdens: *Nihil in tali dicto contra leges charitatis peccaſſe Theologum, quando vitia, & lapſus Monachorum ſæculi præteriti narrauit; cum enim apoſtatæ illi, quorum plurimos fuiſſe ex Hiſtorijs & Chronicis conſtat, famam ſuam dudum*

Anonym in Conſilio dato ſuper reſtitut. bonor. Eccleſiaſticor.

Paul. Laymã. lib. d. Iuſta defẽſio, edit. Diling. 1631.

ami-

amiſerint, neque bonore aliquo digni ſint, ſed execratione, ideo illis nihil detractum. Hæc Laymannus.

Et Anonymus ſub Georgij Riedelij nomine editus, qui piè exultanti Turturi Grauiniano Caueam ſtruxit, pronunciatum Eminentiſſimi Bellarmini de miſerabili multorum Regularium ruina, multiplicibus ſcādalis, & Ordinum relaxatione, verum eſſe demonſtrat; totos frænos laxat nigerrimo calamo, omnem mouens Religioſorum Camerinā ſecans vomicam, vt purulentos oſtendat, nempe in Religionibus docet: *Non centurias, ſed nec decades perfectorum poſſe numerari, minimè floridum eſſe præſentem Religioſorum ſtatum, paucos in eo mundo crucifixos, adeo infœcundas vineas Religioſorum, vt vix racemi colligi poſſint.* Et pag. 146. cap. 11. *Neque Grauina hæreticorum ingenia ſatis callet, non illi mordent lapidem (antiquos Ordines) qui eos non ferit, originem ſuam agnoſcunt, (ſcilicet ab antiquis Ordinibus deductam) eique cognatam ſobolem (nempe hodiernos Religioſos antiquorum Ordinum) odiſſe nequeunt.* Et pag. 87. *Sed enim quem Grauina perditorum Ordinum Auctorem accuſet? Regularem, an Hæreticum? ille oua poſuit, hic excluſit; iſte tibia cecinit, ille ſaltauit; vnus Syrenes, & ſaliaria ſacra*

Cauea Turturis per totum.

inuexit, alter cupidiùs inuaſit; ſicam hæreticus ſub oſculo blandienti lateri infixit, Monachus ictum non cauit; quæ vtriuſque neceſſitas potuit in mutuam perditionem exurgere? effrœnata voluntatis libido. Et quo ſæculo, quaue ætate tanta Religioſæ diſciplinæ ſtrages, ruina tanta? Caput ſextum dabit, in quo ex S. Antonini, & Gerſonis, qui eodem cum Kempenſi ſæculo vixerunt: S. Birgittæ, quæ ſub eiuſdem Thomæ propemodum in mundum aduentu in cælum abijt; ex Tridentini Decretis oſtendit Religioſorum non leues defectus, nec pauculos exceſſus, ſed *immenſas defectiones, omnesque earum vineas aridas, & valde paucos in ijs palmites fructificantes, idque cum maxima difficultate, propter ſpinarum abundantiam.*

Vnde nos ſic arguimus: Si talis, tantaque fuit Religioſorum Ordinum deformitas (qualem volunt & fuiſſe contendunt Laymannus, Anonymus, Riedelius, amica Roſveydo nomina) non vna, alteraue Prouincia, vnoue, aut altero Conuentu, ſed *vniuerſa ferè Germania*, ſub eo ſæculo, & tempore, quo Thomas Kempenſis vixit, & ſcripſit; vel ipſe fallitur egregiè (ſi is Auctor eſt Libelli de Imitatione Chriſti) cum aſſerit, Carthuſianos, Ciſtercienſes, & diuerſos alios Religioſos, Monachos, & Mo-

nia-

niales. *tum arctatè viuere ſub diſciplina clauſtrali, & in omni diſciplina ſe cuſtodire: vel, quod potius æſtimandum eſt, & aſſerendum: Non is, ſed alius aliquis dicti Libelli Auctor eſt, qui tempore anteriori vixit, quo hæc ſcandala non fuerunt, fuerunt autem Religioſorum mores inculpatiſſimi. Atque efficaciſſimum hoc argumentum in eos eſt, qui approbant, quæ effinxere Laymannus, & nominati ſuperiùs Auctores.*

Ex eodem prodeunt armamentario, Abbatis titulus, & Monachi nomen, quod ſibijpſi Libelli Auctor adſcribit: *Suſcepi, inquiens, lib. 3. cap. 56. de manu tua crucem, portabo eam vſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi; verè vita boni Monachi crux eſt, ſed dux Paradiſi.* Et lib. eod. cap. 10. *Quid retribuam tibi pro gratia iſta? non enim omnibus datum eſt, vt omnibus abdicatis, ſæculo renuncient, & Monaſticam vitam aſſumant.* Hinc Iacobus Syrmundus apud Franciſcum Valgrauium: *In textu Libelli de Imitatione Chriſti diſertis verbis deſignatur, Auctorem fuiſſe Monachum, non Canonicum Regularem.* Idem & nos cum alijs pluribus docemus. Ipſi enim ſoli intercedunt, qui ſua intereſſe putant, non Gerſenem Benedictinum, ſed Thomam Canonicum Regularem, Auctorem fuiſſe; vnde & ly Monachum alienantes a

Franc. Valgrau. Apolog pag. 55.

propria, & vſitata magis acceptione, ſtricta nolunt, laxa volunt notione induere:

Roſveyd. Vindic. cap. 14. *Quis (inquit Roſveydus) negauit libri huius Auctorem Monachum fuiſſe, ſiquidem laxè ea vox, vt ſæpe fit, capiatur?* Nempè falsò aſſertam poſſeſſionem Thomæ conſeruare non poſſunt, niſi Tò Monachus, clauſtra tranſiliat ſtrictioris notæ, & tranſeat ad ſenſum laxiorem.

Titulum Abbatis dant Aronenſis, & Genuenſis Codices (vt videbimus infra) quorum alter antiquus admodum; alter, Bellarmino teſte, vetuſtiſſimus. Abbas autem, aut Monachus, ſi Auctor fuit, certè Thomas non fuit, qui Subprior tantummodò Monaſterij ſui, ad Infulas Abbatiales nunquam aſcendit: Neque Monachus fuit, ſtricta notione (qua hic Auctor ſemper loquitur) ſed Canonicus Regularis. Sed de hoc argumento denuo recurret ſermo, cum Gerſenis patriam, natalesque inueſtigabimus.

Interim manuſcripti, & qui ſub Ioannis Gerſenis nomine impreſſi libri magno concurrunt agmine ad veritatis ſigna: & Thomam vſurpata poſſeſſione deturbent. Quod (vt clariùs eluceſcat) ſtatuere primò oportet, quo anno Kempenſis librum debuit compoſuiſſe, idque non vulgi fama, non inani, ineptoque Neotericorum quorundã pla-

placito, ſed duorum præſtantiſsimorum cauſæ Kempenſis pugilum, & patronorum, Sommalij, & Roſveydi, qui cæteris præiuere ad pugnam, & e quorum armamentario cæteri tela, quæ regerunt, deſumpſere.

Et Sommalius in fine Dedicatoriæ ſuæ ſic habet: *Auctor huius libri Thomas a Kempis in fine Autographi ſui fatetur, ſe hunc librum ſcripſiſſe anno* 1441. Et Roſveydus cap. 9. Vindiciarum: *Auctor ipſe in fine miniata litera teſtatur: Finitus & completus anno Domini* 1441. *per manus Fratris Thomæ a Kempis*. Et in editione Belleriana, Duaci anno 1625. *Auctor teſtatur manu propria ſe hunc librum compoſuiſſe anno* 1441. Manuſcripti autem Louanienſis cum ætatem definit, non illud prouectiori ornat ſenio, quòd nulla ſeu ratione, ſeu auctoritate nonnulli faciunt; ſed illud, ait, *Antuerpienſi manuſcripto antiquitate non cedere*. Sciebat enim vir eruditione non vulgaris, cum abeſſent Anni, numeralis Nota, Faſces, Conſules, nullumque adeſſet temporis ſymbolum, quo is ſcriptus eſſet, futilem eſſe, & perridiculam coniecturam, quæ incertiſſimæ ſcriptioni imperfecti Operis, certum, & exploratum tempus definiret; ſatiusque exiſtimauit, Annum 1441. ſcriptioni præfigere, quàm ſuperiorem deſignare, qui nulla Topica eſset probabilis.

Igitur cum annus 1441. natalitius fuerit libello, videamus num produci poſſint manuſcripta eo antiquiora, ad quorum conſpectum ſuſpicio omnis de Kempenſi, libelli Auctore, diffugiat, & euaneſcat.

Primus eſto manuſcriptus liber Collegij Claromontani Pariſienſis, Societatis Ieſu, qui P. Syrmundo iudice, ipſo Kempenſi antiquior eſt; & textu diſertis verbis deſignat, Auctorem Monachum, non Canonicum. Adiungere poſſem Codicem Aronenſem, Mantuanum, Cauenſem, & Leo-Allatianum, qui omnes præſeferunt characteris antiquitatem, Thomæ ætate ſuperiorem; vt verſati in eruditione recondita fatentur; eos tamen, cum non habeant ſcripturæ Cõſularem Notam, omitto. Obſerua tamen, quòd multum inter ſe cum varient lectione, næuisque, & incorrectis loquendi formulis non ſemel interſperſi ſint, oportet eos ab alio exemplari deſcriptos fuiſſe; quod antiquitate adhuc maiori, & veneranda magis canitie in Thomam depugnabit, ipſumque, illiusque manuſcriptos codices, vt iuniores, deſpicient, & condemnabunt. Prætereo etiam exemplar aſſeruatum in Collegio Panormitano, Societatis Ieſu, hoc titulo: *Incipit liber valde notabilis, & cuilibet Religioſo in via ſpirituali, & contemplatiua proficere cupienti, ſummè neceſſarius,*

rius, & vtilis, in tres partes diuiſus, quarum primæ partis ſequitur Tabula Capitulorum eiuſdem, de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi, Caput primum; in totum ſunt c. 25. &c. Et in fine adſcriptum habet: *Iſte liber eſt Domni Ioãnis Prepa profeſſi Domus maioris Carthuſiæ, quem ſcripſit in Domo S. Bartholomæi de Triſulto, tunc temporis Prior D. Nicoloſinus de Genua.* Hunc, inquam, pertranſeo, quod mihi adhuc incompertum, quo anno, aut vixerit, aut ſcripſerit Prepa; licet magnam præſeferat liber antiquitatem.

Secundus igitur liber eſt Oxenhuſanus in Sueuia, anno 1427. exaratus. Tertius antiquior eo Mellicenſis, anno 1418. Sublaco delatus. Quartus Vvengartenſis, qui in fine habet: *Explicit liber internæ conſolationis, finitus anno Domini* 1433. *ſecunda feria ante feſtum Aſſumptionis B. Virginis Mariæ, per me Fratrem Conradum ab Eberſperg tunc temporis Conuentualem in Vveingarten.* Vibiingenſis quintus ita ſubſcriptus: *Explicit Tractatus ſcriptus in Concilio Baſileenſi anno Domini* 1430. Et demum dum hæc ſub prælo laborant, ab A. R. P. Romano Academiæ Salisburgenſis Rectore doctiſſimo accipio literas in hunc tenorem. *His diebus Reuerendiſſimus Abbas Mellicenſis libellum ſubmiſit in qua-*

tuor, omnes de mundi contemptu, ille etiam de ſanctiſſimo Sacramento, dedicatus a Scriptore Reuerendiſſimo Abbati Leonardo, qui ab anno 1425. vſque ad annum 1433. fidis, & certis annalibus Abbas fuit: atque eodem anno 1433. poſtremum obijt diem. Mihi hic liber præ omnibus eſt, & Sol non tam clarus, quàm hoc in Kempenſes Vindicias argumentum. Hæc ille, In ſuis ad me datis Salisburgi, 1644. 20. Aprilis.

Qui omnes anno 1441. ipſoq. adeo Kempenſi anteriores, optimo ipſum iure inita per fraudem poſſeſſione deijciunt. Aut igitur producant aduerſarij exemplar Kempenſe anno 1418. antiquius, aut tantorum manuſcriptorum irrefragabili teſtimonio conuicti, cedant campo, Autographum Kempenſe non archetypum fuiſſe, ſed ectypum fateantur.

Quod euicerunt manuſcripti codices, impreſſi antiquiores probatum dabunt: *Vetuſtiſſimæ quæque editiones, inquit Roſveydus, librum hunc Ioanni Gerſoni inſcripſere. Ita vetus editio Mediolanenſis impenſis Leonardi Pachel de Alemannia, & Veneta apud Bernardinũ de Benalijs, vtraque 1488. & Pariſienſis apud Georgium Mittelhũ, anno 1496. præferunt. Qui error apud plurimos typographos inualuit penè ad noſtra vſque tẽpora.* Quibus & Venetas binas addere potuiſ-

Roſveyd. Vindic. cap. 4.

tuiſſet; alteram Madianis typis 1486. alteram Seſſianis 1501. Brixianam 1485. a Iacobo Britannico factam, & aliam 1489. à Matthæo Codeca Parmenſi. Et hi omnes, ſeu Gerſonis, ſeu S. Bernardi nomine, cum non niſi ſeriùs multò ſub nomine Thomæ a Kempis publicè comparuiſſent. At credamne paſſim, frequenterque potuiſſe fieri, vt ſub ipſo propemodum Thomæ funere (non enim totis quatuordecim annis hæc ab eius obitu acciderunt) Thomæ celeberrimum opus alieno nomine prælum, lucemque aſpiceret, ſuo non compareret? aut ſi illud forſitan accidiſſet errore typographi, nullus tū in arenam pro Kempenſi deſcendiſſet Kempenſis vindex? Ingrata tellus; nemo ad Herculeæ domus auxilia venit? Vidit hoc tantum nefas Canonicus Ordo, & alium tantæ famæ & gloriæ hæredem, tot annis paſſus Thomā reliquit indefenſum, quouſque octo poſt luſtris Iacobus Badius Aſcenſius leuiſſimis cōiecturis innixus, librum Thomæ adſcriberet? Profectò non apud me tantum, ſed quemuis arbitrum æquum, eo pondere erunt, tam hoc ſilentium, quàm antiquiſſimæ hæ impreſſiones ſub alieno, non Kempenſis nomine (præſertim cum ipſorummet Kempenſiū Operum primis impreſſionibus hic liber non accenſeretur) vt perſuadeant & euincant alium id temporis a Kempenſi ha-

habitum, creditumque fuiſſe Libelli Auctorem, alio impreſſores vſos exemplari, quàm quod Thomæ fuit; tametſi amphibologia nominis decepti Gerſonem pro Gerſene ſubſtituerint; atque alium demum a Thoma de Kempis, quem ipſi Gerſonis nomine inſignierunt, fuiſſe reuera Libelli verum, germanumque Auctorem.

Auctoritate manuſcriptorum, & libris impreſſis ſub nomine Ioannis Gerſonis Cancellarij Periſienſis, Monachi nomine, & titulo Abbatis oſtenditur, Ioannem Gerſenem fuiſſe Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti; & quis ille Gerſen, & cuias fuerit, declaratur. Cap. IX.

MAgno igitur argumentorum pondere cum excludamus Kempenſem a tanta poſſeſſione, in eam mittamus reſtat Gerſenem multis titulis idoneum, iuſtumq. hæredem, eumque conſtituamus pulcherrimæ prolis (quæ vnà omnem penſat numerum) patrem, Libelli, inquam, de Imitatione Chriſti, cum præſtantiſſimis, piorumq. voluminibus ſuſpiciendi, Auctorem. Et teſtes huiuſce veritatis accedunt.

Aronenſis Codex in ouina pagina perantiqua, & vetuſtiſſima deſcriptus, & aſſeruatus in Archiuo Aronenſis quondam Monaſte-

ſterij Benedictini, nunc Aſceterij Societatis Ieſu, ad anguſtias Verbani lacus, qui ad hunc modum Auctoris nomen digeſſit, nobisque velitatus eſt: Incipiunt capitula primi libri Abbatis Ioannis Gerſen, & ſequuntur 25. capita libri primi; & pagina ſequenti literis rubeis: Incipit libellus de Imitatione Chriſti: Caput primum: Qui ſequitur me: Incipit tabula libri ſecundi Abbatis Ioannis Gerſen, ſequuntur capita duodecim; & poſtea: Incipit liber ſecundus de Interna conuerſatione; Incipit tabula tertij libri Abbatis Ioannis Geſſen; Incipiunt capitula quarti libri Abbatis Ioannis Geſſen; & in fine: Explicit liber quartus, & vltimus Abbatis Ioãnis Gerſen de Sacramento Altaris. Suam porro antiquitatem oſtendit, probatque, aſpectu, charactere, membrana; quæ talia ſunt, vt P. Bernardinus Roſſignolus, ab Antonio Poſſeuino relatus, & approbatus, perantiquum appellet librum: & Eminentiſſimus Bellarminus, Inſcriptionem vetuſtiſſimam. Ille quidem his verbis: *Ita habetur in perantiquo exemplari M. S. quod in Monaſterio Aronenſi ad Lacum Verbanum, quæ nũc eſt Domus Probationis Soc. noſtræ.* Hic autem: *Itaque valde probabile eſt, Auctorem huius Opuſculi eſſe Ioannem quendam Geſſen, ſiue Gerſen, vt habet Inſcriptio vetuſtiſſima huius libri in codice*

M.

M. S. qui aſſeruatur in Monaſterio Aronenſi, &c. Non eos in cenſum cogo, qui oretenus pro teſtimonio fuerunt de huiuſce codicis antiquitate, eumque inſpectum, & examinatum aſſeruerunt, magno ſenio venerandum; ſufficit retuliſse prædictos, qui nullam non fidem apud aduerſarios faciunt. Et planè miror, a quibuſdam iactari, & produci Bellarminum, quaſi is verbotenus iudicaſſet, Aronenſem codicem 150. annis antiquiorem non fuiſse, cum nedum coram ſæpius ſenſum ſuum mihi declarauerit, ſed clariſſimis expreſſis, impreſſiſque verbis aſſeruerit vetuſtiſſimum, idque in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vbi nihil planè blanditur Benedictino Ordini, nulla eum aſſentatione palpat. Nam (parcant mihi ſanctiſſimi manes ſi veritatem dixero) nullam in eo libro Scriptorem ex Ordine S. Benedicti fuiſſe indigetat, quin eundem atro carbone notet; vt in Petro Damiani, Gratiano, Reculſo, Trithemio, Panormitano, videre eſt. Igitur cum in eo opere habeamus illum aſſerentem Aronenſis codicis vetuſtiſſimam Inſcriptionem, nil moror alterius cuiuſcunque aſſertum, niſi illud documento aut impreſſo, aut ſcripto, cauillis non obnoxio, confirmet. Interim vincat veritas, & publicum priuato, impreſſum oretenus, tantum prolato teſtimonio præferatur.

Co-

Codex Mantuanus, peruetuſtus, vt ex ipſa forma & charactere videre eſt, aſſeruatus olim in Bibliotheca Monaſterij S. Benedicti de Padolirone, iam verò dono Reuerendiſſimi illius Abbatis in noſtra Aniciana, in hæc verba pro nobis eſt: *Incipit liber Ioannis Gerſen primus de contemptu mundi, & de Imitatione Christi.* & in fine: *Explicit liber quartus Ioannis Gerſen de Sacramento Eucharistiæ.*

Leo-Allatianus, calculo non dubio ſuffragatur his verbis; *Incipit tractatus Ioannis de Canabacco de Imitatione Christi, & de contemptu omnium vanitatum mundi: & diuiditur in quatuor libros. Capitulum primum, &c.* Eſt autem Canabaccum Oppidulum in Agro Vercellenſi, vulgò Cauaglià; quod a Philiberto Pingonio in ſua Auguſta Taurinorum, vocatur Cabelliacum, Viuunt adhuc hodie in eo (vt ex eiuſdem Oppiduli hominibus intellexi) Gerſenis noſtri conſanguinei poſteri, dicti Garſon; vt Sicut Gerſen familiæ, ita Canabaccum loci nomen, vbi ille ortus fuit, oſtendit. Io. Gerſenis familia, & patria.

Quartus demum Codex, impreſſus quidem, hoc titulo, hiſque verbis in fine ſubſcriptis: *Ioannis Gerſon Cancellarij Pariſienſis de contemptu mūdi libri quatuor, vnà cum tractatu de meditatione cordis, felici numine finiunt; Impreſſum Venetijs per Ioannem*

nem

nem Baptiſtam Seſſam, anno Domini 1501. *die primo Decembris*. At quibus candidus veritatis amator, quicumque is fuit, ſubiecit antiquo planè charactere: & qui non longè poſt annum 1512. exarari debuit; nam eo anno in Commendam data Abbatia Vercellenſis S. Stephani, cuius ille Abbas fuit, mox deſtructa, & in arcem conuerſa fuit, vt Bibliotheca amplius non extiterit) Hunc librum non compoſuit Ioannes Gerſon, ſed Domnus Ioannes ..... Abbas Vercellenſis, vt habetur vſque hodie propria manu ſcriptus in eadem Abbatia.

Et ne exiſtimes hæc me ex me comminiſci, aut ſpurios, fictitios, falſique aut nominis, aut notæ libros tibi obtrudere velle, accipe publicam Actuarij fidem, quòd hi libri apud me ſint, & ijſdem titulis, & ſubſcriptionibus inſigniantur, quibus eos allegaui.

In nomine Domini, Amen. Præſenti publico Inſtrumento cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum; Quòd anno a Natiuitate eiuſdem Domini milleſſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, Indictione vndecima, die verò decima quinta menſis Ianuarij, Pontificatus Sanctiſſimi D.N. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui anno XX. Ego Curiæ Cauſarum Cameræ Notarius, publicus infraſcriptus requiſitus pro parte etiam

in-

inſtantiæ Reuerendiſſimi in Chriſto Patris D. Don Conſtantini Caietani, Abbatis Præſidentis Apoſtolici Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti, de propaganda fide: & eidem Sanctiſſimo D. N. D. Vrbano Octauo a ſacris litterarum monumentis; acceſſi ad idem Apoſtolicum Collegium Gregorianum ſitum Romæ in Regione Tranſtiberim, prope Ripam magnam, atque ex ſua celebri Bibliotheca libris tam editis quàm manuſcriptis refertiſſima, Aniciana nuncupata, vidi, legi, & extraxi infra præfatas particulas, ex ſequentibus Codicibus, prout infra, videlicet: In primis Libellum in 16. *manuſcriptum charactere antiquo, & coopertum tabulis ligneis. & corio, cui titulus eſt: Incipit Liber Ioannis Gerſen primus de contemptu mundi, & de Imitatione Chriſti:* Capitulum primum, *&c. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus, &c.* Et ſequuntur ordine ſolito alij tres libelli. Et poſt finem ibidem ſubiungitur: *Explicit liber quartus Ioannis Gerſen de Sacramento Euchariſtiæ.* Atque etiam additur: *Iſte liber eſt Monachorum Congregationis S. Iuſtinæ de Obſeruantia, deputatus Monaſterio S. Benedicti de Padolirone ſignatus numero* 1959.

Inſuper vidi, legi, & extraxi particulam alterius Libelli, cooperti tabulis ligneis, &

corio, etiam manuſcripti, pulchro ſatis antiquo charactere, in 16. cui titulus eſt: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: Incipit Libellus de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi: Caput primum: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus, &c.* Et in medio primæ literæ Q. viſitur effigies Monachi cũ ſcapulari Monaſtico, & tonſura capillari paruula iuxta morem Benedictinorum Italicorum, & Crucem manibus amplectentis. Et ſequuntur reliqui Libelli de Imitatione Chriſti. Quartus autem Libellus deſinit in Caput 17. quod quidem ſequitur titulus capitis 18. & lineæ vbique ſubductæ; vt appareat librum exſcriptum fuiſſe ex antiquiori ſuo exemplari, ſiue originali.

Præterea, vidi, legi, & extraxi particulam tertij adhuc Libelli in octauo folio continentis plura Opuſcula impreſſa, atque inter ea librum de Imitatione Chriſti, Impreſſum Venetijs per Ioannem Baptiſtam Seſſam, anno Domini 1501. die prima Decembris, ſub hoc titulo: *Incipit liber primus Ioannis Gerſon Cancellarij Pariſienſis de Imitatione Chriſti, & de contemptu omnium vanitatum mundi: Capitulum primum: Qui ſequitur me, &c.* & ſub finem ſubiungitur: *Ioannis Gerſon Cancellarij Pariſienſis de contemptu mundi*

di libri quatuor, vnà cum Tractatu de medititione cordis, ſelici numine finiunt. Et mox ſequitur manuſcripto charactere, vt apparet, autiquo; *Hunc librum non compilauit Ioannes Gerſon, ſed D. Ioãnes . . . Abbas Vercellenſis, vt habetur vſque hodie propria manu ſcriptus in eadem Abbatia.*

Eiſdem anno, menſe, die, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra, ad inſtantiam, & requiſitionẽ eiuſdem Reuerendiſſimi D. Don Conſtantini Caietani, Abbatis Præſidentis præfati, idem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius publicus infraſcriptus acceſſi, &c. ad Palatium vulgò nuncupatum de Ruſticucci, ſitum Romæ, in Burgo, prope Plateam Baſilicæ S. Petri de Vrbe, in quo ad præſens inhabitat Perilluſtris, & admodum Reuerendus, ac eruditiſſimus vir D. Leo Allatius olim familiaris bon. mem. Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Biſciæ, iam autem de familia Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi D. Franciſci Cardinalis Barberini, & in ædibus dicti D. Leonis inter alios plures, & diuerſos libros, vidi, legi, & inſpexi Libellum partim carta pergamena, & partim papiro conſtructum, foliorum in totum 693. in eoque ſub pagina 155. Libellum deuotum de Imitatione Chriſti, ſub hoc titulo: *Incipit Tractatus Ioannis*

de Canabacco de Imitatione Chriſti, & de contemptu omnium vanitatum mundi; & diuiditur in quatuor libros, in 12. Incipit liber primus: Capitulum primum: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, &c. & ſequuntur tres alij libelli eiuſdem Operis in capita diſtincti, cum additione capitum 19. 20. & 21. ad librum quartum. quos libros, & capitula maiori, qua potui, vt ſupra, vidi, extraxi, & adnotaui, & cum eiſdem libris originalibus collationato, concordare inueni, iſto, & omni alio meliori modo.

Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis petitum fuit a me Notario publico infraſcripto vnum, vel plura, publicum, ſeu publica confici, atque tradi inſtrumentum, & inſtrumenta, ſi opus fuerit, & requiſitus ero. Actum Romæ, vbi ſupra, præſentibus ibidem DD. Dominico Fonthia, & Adriano Gallo, Connotarijs teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula habitis, vocatis ſpecialiter, atque rogatis.

Loco † Signi.

Ego Sanctes Floridus Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Notarius Decanus, de præmiſſis rogatus, ſubſcripſi, & publicaui requiſitus.

Nos

Nos Marius Theodolus vtriuſque Signaturæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Referendarius, Prothonotarius Apoſtolicus, Romanæque Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, & Iudex Ordinarius vniuerſalis, &c. atteſtamur ſuprascriptum D. Sanctem Floridum de prædictis rogatum, fuiſſe, & eſſe publicum, legalem, authenticum, fideque dignum eiuſdem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarium, eiusque ſcripturis tam publicis, quàm ſimilibus, in iudicio, & extra ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti plenam, & indubiam adhiberi fidem. In quorum fidem, &c. Datum hac die 17. Menſis Ianuarij, 1643.

Dominicus Burattus

Cur. Cauſ. Cam. Apoſt. Not.

Loco ✝ *Sigilli.* Hæc ibi.

Porrò cum ſolus innotuiſſet Aronenſis Codex, altumque de aiijs ſileretur, plurimũ præſidij in eo collocabant aduerſarij, vt dicerent: Vnum eum, ſolumque, qui Gerſenem Auctorem ſcriberet, non vni, non ſoli eam adhibendam fidem, vt certum faceret eam hæreditatem caducam Thomæ, Gerſeni legitimam. Ita in ſuis ad me totus gratulabundus Iulius Nigronius, cum de inuentu Mantuano Codice admo-

Iul. Nigron. in ſuis ad me, 11. Ian. 1615. nuiſſem: *Quantum gaudeo de inuento Gerſene, &c.* Et infra: *Oſtendat eum Domino Cardinali Bellarmino, P. Mutio Generali, & Patribus Flandris, & calamum fortaſſe diſtinebunt; nam vnum eorum argumentum erat, non debere credi vni Codici, illique in exprimendo nomine inconſtanti.* At iam non vnam tantùm, non duos, quod poſtulabat Roſveydus, ſed quadrigam auream triumphatricem proferimus, quæ integra Ioannem appellat; & Biga quidem Gerſenem indigitat, Biga, ſeu de Canabacco, qui natalis ei locus in Agro Vercellenſi, ſeu Abbatem Vercellenſem inſcribit. Quid igitur hæremus? nihil hic fuci intercedit, nihil doli, libri manuſcripti ſunt, antiqui ſunt, eruditorum iudicio ipſius Thomæ æuum excedentes, non fraus irrepſit, non falſus, fictusue, aut recentior character; ſed ſyncera, veraque omnia. Ne igitur dubitemus eum libri Auctorem nuncupare, quem ipſi proponunt. Nam qui Bibliothecas Sanctorum Patrum, qui Antiquas lectiones, qui plura veterum monumenta e Bibliothecis eruta publici fecerunt iuris, quibus faſcijs, quibuſue tænijs venerunt in ignotæ prolis notitiam? quo filo laborioſum cæcæ antiquitatis labyrinthum ingreſſi: non fictis Auctoribus vera nomina attribuerunt

&

& conſecrarunt poſteritati? num illis de fonte iam tum ſublatis impoſuerũt ea? hoc certè vt compos rationis dicere non volet, ita non valet in pluribus eorum aliud argumentũ attributi nominis adinuenire, quàm manuſcriptos Codices illud ſuggeſſiſſe. Fateor quidem, errare non ſemel manuſcripta in veris Auctoribus conſignandis, falſumque pro vero, ſuppoſititium pro germano nomine exhibere; at contrarium, vt plurimum accidit, & quàm ſæpiſſimè; nec alia habemus Auctorum nomina, nec damus, quàm quæ manuſcripta cuſtodiunt. Iura autem illius potiſſimùm rationem haberi volunt, quod plurimum fieri aſſolet. Atque hæc manuſcripta tanto pondere fuerunt apud Bellarminum, Poſſeuinum, Roſſignolum, Nigronium, & Dominum de Marigliac, vt expreſſis teſtimonijs, quæ ſuperiùs dedimus, Ioannem Gerſenem Auctorem dicti Libelli nobiſcum affirmauerint. Et hæc eorum Auctoritas, quæ nobis pro ſecundo argumento, & pro magna victoria Gerſeni eſt, ſi eos aduerſarios eſſe conſideres, apud quos laudati teſtes omni maiores ſunt exceptione, nullamque non fidem habituri.

De libris impreſſis ſub Gerſonis nomine vt agamus, dignum obſeruatu eſt: Libros ab vno Auctore conſcriptos, ſeu no-

minum ambiguitate, ſeu ignorantia editorum, ſeu Typographorum incuria, ſub alterius nomine publici iuris non ſemel factos. Ita Amalarium Epiſcopum Treuirenſem credidere nonnulli Auctorem Libelli de Eccleſiaſticis Officijs, ad Ludouicum Pium, conſcripti: qui tamen ab Amalario Archidiacono Turonenſi compoſitus fuit. Quique ſub nomine Ambroſij Authperti in Apocalypſin Commentarij circumferuntur, adſcribendi veniunt Authperto Abbati Monaſterij S. Vincentij ad Vulturnum. Totusque pænè tertius Tomus Operum S. Brunonis Carthuſienſium Patriarchæ, non eum, ſed Brunonem Epiſcopum Signinum, Abbatem antea Caſinenſem, Auctorem agnoſcunt. Et, ſi Sixto Senenſi fidem adhibemus, nonnulla opera Thomæ Angelico attributa, Thomam Angliſcum habuere ſcriptorem. Tam ſæpe vſu venit, vt nominum confinia argumentum dederint errori. Hoc fato natus Gerſenius, vt cum eum Typographi ignorarent, Gerſonem pro eo ſubſtituerint: & ambiguo nomine decepti, aureum prorſus, & nobiliſſimum illius partum, huic putato Patri ſuppoſuerint, quod tantùm abeſt, vt noſtræ officiat ſententiæ, vt vel hinc multùm illi, & lucis, & argumenti affulgeat. Nam paſſim cum inclaruerit,

Ger-

Gerſonem falsò creditum Libelli Auctorem, ſic omni abs ſpe abeſſe hunc librum ſibi vendicandi, vt ne albo quidem Candidatorum ampliùs accenſeatur, ſi velimus rectè philoſophari, eum ideo olim Libelli Auctorem putatum idoneum erit exiſtimare, quòd verus Auctor Gerſenius fuiſſet, & cum hic ignotior eſſet in vulgus; ille, principes inter ſui æui Aſceticos haberetur, errore, & ignorantia Typographi ſimilitudine nominis decepti, factum, vt libelli cum primis Aſcetici, pro Ioanne Gerſen Ioannes Gerſon, Auctor inſcriberetur, literarum mutatione; quam vel ipſe Roſveydus obuiam docebit. Nam cum arguit: *Facile fuiſſe Scriptori Aronenſis Codicis ſcribere Gerſen pro Gerſon*, impreſſori Gerſon pro Gerſen ediſſe, non fuiſſe difficile, concedere neceſſariò debet. Roſveyd. Vindic. c. 5.

Nec abs re erit perpendere, Libellum hunc prodijſſe primùm in Italia, Brixiæ, Venetijs, Mediolani, non ita diſſiti Vercellis, vbi & Gerſenius vixerat, ſcripſeratque, & exemplaria illius adſcripto nomine habebantur: & ſub eo dein nomine ſic inualuiſſe, vt non vna tantùm in Italia (in qua, Roſveydo fatente, vulgò notior erat) ſed alijs paſſim Europæ Prouincijs, & Regionibus, Primarij, Princi- Ibid. cap 4.

pes-

Vbi ſupra. peſque ſacræ literaturæ viri, eum alio non appellarent. Nam apud eos (quod de Typographis fatetur Roſveydus) ad penè noſtra vſque tempora inualuit, vt Ioanni Gerſoni Liber inſcriberetur: Quinimmo tādiu maneret Gerſonis nomen, conſenſu multiplici, varijs impreſſionibus, diuerſis in locis confirmatum, vt non niſi tepidè, timidèque Kempenſi in Libri compareret fronte, quaſi locum non ſuum occupare aut erubeſceret, aut vereretur; donec tandem aliquali ſucceſſu confirmatus, ſic omnes impleuit Libelli paginas primas, vt Gerſonem tota poſſeſſione detruſerit.

Igitur cum primæ omnes editiones ſub Gerſonis nomine apparuerint, & Kempenſis diu eſſet ignotus prælo, & ſubinde tantummodò, & veluti furtiuè ſe ingereret. omnes illæ primæ editiones: omnes, inquam, libri ſub Typographiæ infantia excuſi Gerſonis nomine pro Gerſene ſunt: eumque demonſtrant verum Auctorem eſſe, & vicinia quadam, & ambiguitate nominis, velut nebula quadam, actos in deuia impreſſores, caligineque offuſos, Gerſenem cum ignorarent, compellaſſe Gerſonem.

Porro nomen Monachi, & Abbatiales Infulæ, quæ proximè ſuperiùs iuſtæ fuerunt exceptioni, ne Thomas Kempenſis ve-

verus poſſeſſor haberetur, argumento e-
runt non omnino infirmo inpræſentiarum
Gerſenem iuſtum, legitimumque domi-
num inſcribendi. Et Monachum fuiſſe,
probat tum ſupradictus locus ex libro 3.
cap. 56. tum alius ex eiuſdem libri cap. 10.
*Feciſti, inquit, vltra omnem ſpem miſe-
ricordiam cum ſeruo tuo, & vltra omne
meritum gratiam, & amicitiam exhibui-
ſti. Quid retribuam tibi pro gratia iſta?
non enim omnibus datum eſt, vt omnibus
abdicatis ſæculo renuncient, & Monaſti-
cam vitam aſſumant.* Plurimæ deinde lo-
quendi formulæ a Benedictina Regula de-
ſumptæ, quæ apud eruditiſſimum P. Fran-
ciſcum Valgrauium videri poſſunt, nedum
Monaſticæ, ſed & Benedictinæ profeſſum
Regulæ inſinuant. Dignitatem verò Ab-
batialem declarat, tum *vetuſtiſſima inſcri-
ptio* Aronenſis Codicis his verbis: *Inci-
piunt Capitula libri primi Abbatis Ioan-
nis Geſſen. Incipit Tabula libri ſecundi
Abbatis Ioannis Geſſen, &cæt.* quinquies
ingerunt Abbatis titulum; Tum ſubſcrip-
tio Codicis Ianuenſis: *Hunc librum non
compilauit Ioannes Gerſon, ſed D. Ioannes
. . . . . . Abbas Vercellenſis, vt habetur
vſque hodie propria manu ſcriptus in ea-
dem Abbatia.* Quæ tam clarè, mani-
feſtèque Libri Auctorem Abbatem fuiſſe,

Franc. Valgrau. Apol. §. 3. pag. 25.

&

& loquuntur, & probant, vt illud negare non poſſint aduerſarij, niſi teſtimonium oculatum, & fidele manuſcripti Ianuenſis, & *perantiqui Codicis Aronenſis vetuſtiſſimam inſcriptionem* aut reijciant, aut falſitatis redarguant, quod nihil inueniret fidei. Quòd ſi autem Monachus, & Abbas extiterit, cum vtroque nomine, & Thomas Kempenſis, & Gerſon Cancellarius abdicentur, nec alius quiſpiam in ſpem veniat Auctoris inſcribendi; quidni vtrunque nomen velitetur Gerſeni, qui ſolos e firmioribus candidatis, & Monachus, & Abbas fuit: Atque eo titulo Libelli Auctor, taliſque cum Aronenſi, & Mantuano Codicibus, cum Bellarmino, Poſſeuino, Roſſignolo, Nigronio, Domino de Marigliac, ab omnibus habendus, quouſque aduerſarij oſtenderint, ea nomina, illi, ſeu Alteri putato, ſeu falsò attributa fuiſſe, ſeu Alij cuipiam rectiùs concedenda: quod nunquam effecerint.

Quod autem Roſveydus contendit, dicens: *Ego verò ita ſtatuo, nullum vnquam Ioannem Gerſen diſtinctum a Ioanne Gerſon extitiſſe*, Phaleræ ſunt: Non enim tempora diſcernit, non ſpatia concludit, non loca definit; ſed quaſi per omnem circumlatus fuiſſet Orbem, animo fidenti pronunciat, & ſtatuit. Sed de his

Roſveyd. Vindic. ca. 4.

la-

latiùs inferiùs, cum reſponderimus argumentis Roſveydi. Iam quo nos veſtigio poſſimus indagare Gerſenem, quis ille, cuiasve fuerit, inquiramus.

Non multa hic opus indagine, vt eum conſequamur, fideque, & ſubſcriptionibus manuſcriptorum, conſtantioribus notis, quibus eruditi ſolent in Auctorum notitiam peruenire, detegamus. Quatuor enim Codices Ioannem appellant; bini Gerſenem; Genuenſis Abbatem Vercellenſem prodit; Leo Allatianus addit, de Canabacco; qui illi locus natalis fuit. Canabaccum enim, vulgò, Cauaglià, Oppidum eſt Vercellenſis agri, vbi familiam Gerſenis, hodie Garſon, extare adhuc a loci incolis accepi. Ampliorem autem, & pleniorem notitiam propter turbulentam Pedemontanæ, & Vercellenſis rei faciem, ſæuiente vbique bello, accipere, prout animus fuit, hactenus non potui.

Abbatia autem, cuius ille moderamen habuit, ea fuit, quam S. Maurus in Galliam pergens, cum Arderadum mortuum ſuſcitaſſet, prece, & pecunia Vercellenſis populi fundari curauit, & incluſis S. Stephani Reliquijs, quas Caſino diſcedens, dono acceperat a S. Benedicto, eidem Protomartyri Chriſtianæ Eccleſiæ dedicari. Reditus huius Abbatiæ (Inquit Ioannes Baptiſta

Mo-

Modena, Canonicus Vercellẽſis, vir ſanè eruditus) copioſi admodum erant, & Pater meus, qui ſeptuagenarius obijt anno 1582. alijque qui etiam num, alij poſt eum dixere, eam incoluiſſe quinquaginta Monachos Sacerdotes cum famulis; eratque Monaſterium ad inſtar paruæ Ciuitatis: Data verò in Commendam Card. Agiminenſi anno 1512. ex illo fluere, & retro collapſa referri: Nam ſita cum eſſet loco peropportuno Arci extruendæ, in Arcem conuerſa fuit, Cellæque Monachorum militibus ceſſerũt, Abbatis, Gubernatori; & quidquid reliquum Abbatiæ fuit, patuit ruinæ. Et huius moderator loci Gerſen noſter, non verò Monaſterij S. Andreæ, quod ijſdem Vercellis Gualla Cardinalis Bicherius *e Canonico Eccleſiæ Cathedralis eiuſdem Ciuitatis (inquit Ioannes Baptiſta Modena) non verò Canonicus Regularis in Cælo aureo, vt perperam habet Alphonſus Ciacconus*, extruxit anno 1219. vbi primus Abbas Thomas, non Regulæ S. Auguſtini Hipponenſis Præſulis, ſed Monaſterij Cantuarienſis S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli, Ordinis S. Benedicti profeſſus. Non enim Monaſterium hoc ſub Auguſtiniana Regula fundatum fuit, nec S. Auguſtini Regularibus Canonicis in ipſa fundatione conceſſum, vt perperam volunt illi, ſed ad ipſos deuenit tempore Pauli Pa-

Io Bap. Modena in ſuis literis ad me ſcriptis.

Vbi ſupra.

pæ

pæ Secundi; cum prius Ciſtercienſis Ordinis S. Benedicti fuiſſet. Ad Canonicos autẽ Regulares deueniſſe ſub dicto Paulo Papa ſecũdo, libri omnes Taxarum Romanæ Curiæ, qui ſummam hac in re fidem faciunt, docent. Hos cum inſpexiſſet Actuarius publicus, authentico Documento hic inſerendo, publica fide omnibus conſtare voluit.

In nomine Domini. Amen. Præſenti publico Inſtrumeneo cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum. Quòd anno a Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, Indictione vndecima, die verò tertia Martij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui, anno eius vigeſimo. Ego Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius publicus infraſcriptus requiſitus pro parte, & ad inſtantiam Perilluſtris, & Reuerendiſſimi in Chriſto Patris D. Don Conſtantini Caietani, Abbatis Præſidentis Apoſtolici Collegij Gregoriani, Domus S. Benedicti de Propaganda Fide, & eidem Sanctiſſimo D. N. D. Vrbano Octauo a ſacris literarum monumentis, acceſſi ad Domum Perilluſtris, & Admodum Reueren. D. Vrſini de Roſis literarum Apoſtolicarum Expeditionarij, ſitum Romæ, prope Plateam Agonis e conſpectu Eccleſiæ S. Pantaleonis: vbi ex Libro

Taxarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum olim penes D Marcellum de Roſis bon. mem. nunc verò penes d. D. Vrſinum de Roſis eius filii exiſtente, in Rubrica Vercellenſi diligenter inſpexi, legi, & fideliter extraxi infra præfatas particulas, videlicet: Monaſterium S. Andreæ de Vercellis Ordinis Ciſtercienſis, taxatum ad florenos tercentos & triginta, cum ſequenti additione: Vnitum 16. Kal. Octobris, anno 1464. Pontificatus D. Pauli anno primo, Congregationi Canonicorum Lateranenſium: & promiſerunt ſoluere de quindecim annis in quindecim annos, commune, & alia iura vide in libro obligationum. Eiſdem anno, menſe, die, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra ad inſtantiam eiuſdem Perilluſtris, & Reuerendiſſimi D. Don Conſtantini Caietani, Abbatis Præſidentis præfati, Ego idem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius publicus infraſcriptus acceſſi ad Apoſtolicum Collegium Gregorianum, ſitum Romæ in Regione Tranſtiberim prope Ripam magnam; atque e ſua celebri Bibliotheca, Aniciana nuncupata, ex libro Taxarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum cooperto tabulis ligneis, & corio rubei coloris in Rubrica Vercellenſi diligenter inſpexi, perlegi, ac fideliter extraxi, prout infra, videlicet: Monaſterium S. Andreæ de Vercellis Ordinis

Ciſtercien. taxatum ad florenos tercentos & triginta, cum additione, vt infra: Vnitum 16. Kalend. Octobris, 1464. Pontificatus D. Pauli anno primo, Congregationi Canonicorum Lateranenſium: & promiſerunt ſoluere de quindecim annis in quindecim annos, commune, & minuta ſeruitia, & alia iura, vide in libro Obligationum. Eiſdem anno, menſe, die, Indictione, & Pontificatu, quibus ſupra, ad inſtantiam eiuſdem Reuerendiſſimi D. Dom. Conſtantini Caietani, Abbatis Præſidentis præfati, idem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius publicus infraſcriptus, acceſſi ad Domum Perilluſtris, & Admodũ Excellentis D. Philippi Caſoni Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium Almi Collegij Secretarij, poſitam Romæ, in Regione Campi Martij prope Eccleſiam S. Iuonis: vbi ex libro Taxarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum in Rubrica Vercellenſi legi, diligenter inſpexi, ac fideliter extraxi, prout infra, videlicet: Sancti Andreæ de Vercellis taxatum ad florenos tercentos & triginta: & immediatè ſubdit: Vnitum 16. Kal. Octobris, anno 1464. Pontificatus Pauli anno primo Congregationi Canonicorum Lateranenſium: & promiſerunt ſoluere de quindecim annis in quindecim annos ſeruitia,

& alia iura, vide in libro Obligationum. Quos quidem libros, & rubricam, maiori qua potui diligentia, vt ſupra, vidi, extraxi, & adnotaui, & cum eiuſdem libris originalibus collationatum concordare inueni citò, & omni alio meliori modo, &c. Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, petitum fuit a me Notario publico infraſcripto, vt vnum, vel plura, publicum, ſeu publica conficerem, atque traderem Inſtrumentum, & Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſitus ero. Actum Romæ vbi ſupra, præſentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus, Perilluſtri, & admodum Reuer. D. Io. Baptiſta Nicolo filio q. Hieronymi Catacen. & Perilluſtri D. Pompeio de Roſis filio q Marcelli de Roſis teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Loco ✝ ſigni. *Ego Sanctes Floridus Cauſarum Curiæ Cam. Apoſtolicæ Notarius Decanus de præmiſsis rogatus ſubſcripſi, & publicaui requiſitus.*

Nos Marius Theodolus vtriuſque Signaturæ Sanctiſsimi D.N. Papæ Referendarius, Protbonotarius Apoſtoli-

licus, Romanaque Curiæ Cauſarũ Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, & Iudex Ordinarius vniuerſalis, &c. atteſtamur ſupradictum Sanctem Floridum de præfatis rogatum fuiſſe, & eſſe publicum, legalem, authenticum, fideque dignum eiuſdem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarium: eiuſq. ſcripturis tam publicis, quàm ſimilibus in iudicio, & extra ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti plenam, & indubiam adhiberi fidem. In quorum fidem, &c. Datum &c. hac die 17. menſis Ianuarij, 1643.

Dominicus Burattus Cur. Cauſ. Cam. Ap. Not.

Loco ✝ *Sigilli*. Hæc ibi.

Floruit autem Gerſen circa tempora Gregorij Papæ Noni, ſcripſitque, ni fallor, Sermones centum, deuotiſſimos planè & Diuinos, qui a Reuerendiſſimo atque Eruditiſſimo noſtro Abbate Aphuſano in Suenia, Carolo Stengelio, ad me tranſmiſſi, in noſtra ſeruantur Bibliotheca Aniciana.

Quapropter obſignatis, veriſque tabulis, auctoritate, & ratione, cũ Thomam excluſerimus, nec alius quiſpiam forum appellet, Iudicesue adeat huiuſce hæreditatis candi-

datus litem moturus, quidni relinquamus Gerſeni quod manuſcripta concedunt? quidni eum inſtituamus hæredem, quem iura volunt? agnoſcamus Auctorem libelli de Imitatione Chriſti, vt ratio, & auctoritas poſtulant? Profectò ſi paria noſtris inſtrumenta litis quis produxerit, excluſeritque Gerſenem æquali pondere, & firmitate argumentis, atque nos Kempenſem amouimus, libens, lubensque manus porrigam, arena diſcedam, Gerſenem cauſa cecidiſſe fatebor. Interim verò, quouſque nouus actor noua lite moratus fuerit, Gerſenis poſſeſſionem eam, illi permittamus, eumque verum eſſe libelli Auctorem confiteamur; prout tabulæ ſignatæ, locupletes, incorruptæ, tantaque rationum momenta volunt.

Examinatur primùm Roſveydi argumentũ pro Kempẽſi ab auctoritate Buſchij, Mauburni, Langij, &c. deductum: & oſtenditur, illud non euincere, Thomam Kempenſem fuiſſe Libelli Auctorem; & ſæpius accidere, vt coaui Scriptores Auctoribus attribuant Opera non ſua. Cap. X.

AT contra, inſurgunt Aduerſarij, & tanta firmitate munita caſtra perrumpe-

pere aggrediuntur, ſignaque vellere, primipilo Buſchio. Hunc autem Adamantinum credit Roſveydus. Nam *omnes penè Patres in Vindeſem primitiuos Magiſtri Gerardi magni diſcipulos viderat, & agnouerat: eoque ſcripſit tempore, quo Thomas a Kempis adhuc viuebat.* Et ſi intercedam, dicamue: Quid ſi eodem errore Buſchius (quo & Summalius, vel ante hunc alij) deceptus fuerit, & ſparſa apud ſuos fama deluſus? Regeret: *Thomam a Kempis, & Ioannem Buſchium incoluiſſe Monaſteria ita ſibi vicina, vt vno die ſæpius hinc inde commeare poſſit: Religioſi ſæpe ſe inuiſebant, libros communicabant, & hic de fama falsò ſparſa, comminiſci audes? Ioannes Buſch e primis Capituli Vindeſemenſis Scriptoribus ea ſe ſcribere ait, quæ oculata fide coram poſitus vidit, audiuit, inſpiratus fuit; quis hic de fama, & quidem falsò ſparſa ſuſpicari poteſt?* Profectò nunquam mihi, qui in monumenta lubens inquiro, in mentem venit, a monumentis teſtatiſſimis recedere, non Buſchij vniuerſim fidem infirmare, ſed ea tantùm deducere, quæ huic teſtimonio intercedant, & parentheſim illam, (Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti) ſuſpectæ oſtendant fidei, & Buſchium, cætera licet e Iouis dyptichis pronunciantem, hic aut tabula tantùm

Roſveyd. Vin dic. c. 8.

Vbi ſup.

fortem, aut aureos Pythio lateres dicauiſſe Roſveydum pro oraculi mercede, cuius beneficio paulò poſt peribit. Nam ſi verè ſcripſit Buſchius, Kempenſem compoſuiſſe libellum dictum de Imitatione Chriſti, falſa ſcripſit Roſveydus, cum narrat, Thomam nec librum ſic ſcripſiſſe, nec mentem fuiſſe, vt ita inſcriberet. Buſchium audiamus: *Contigit ante paucos dies ſui obitus, vt duo fratres notabiles de monte S. Agnetis prope Suuollis, Ordinis noſtri, dictum Priorem noſtrum ſub certis rebus conſulturi, aduenirent, quorum vnus Frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, quiplures deuotos libros compoſuit, videlicet: Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti, cum alijs qui nocte inſequenti ſomnium vidit, præſagium futurorum.* Non hic ingero, quæ deduxi aliàs, duo cum eſſent fratres ambo notabiles, cur altero ignobili ſilentio prætermiſſo, alterum tantis efferat encomijs, aut plures cum ſcripſiſſet libros Kempenſis, excellentis doctrinæ, pietatis eximiæ, ſummæque notæ, cur illis pari ſilētio prætermiſſis, ſolius meminerit de Imitatione Chriſti? non ea tum fama, vt ſic parerge mereretur laudari: aliàs cur ipſum Thomæ continuator præterijſſet? *Inſuper, inquit: Varios Tractatulos compoſuit ad ædificationem iuuenum, in plano, & ſimplici*

Io. Burch. Chron. c. 21.

plici ſtylo, ſed prægrandes in ſententia, & operis efficacia. Quæ certè arguunt apud non iniquum arbitrum, eam parentheſim, Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti, tam fide ſuſpectam, quàm verbis affectatam.

Continuator Chronici Montis S. Agnetis ſub initio.

Porro cum Buſchius, vt mox attigi, libellum citet ſub titulo de Imitatione Chriſti, qui, ipſo Roſveydo teſte, nec ad mentem Kempenſis fuit, nec ad fidem Inſcriptionis Kempenſis, vel ſuppoſititia, & interiecta eſt ea parentheſis (Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti) vel falſus eſt Buſchius, & fabuloſus, qui librum ſub eo titulo allegat, ſub quo eum Kempenſis nec emiſit, nec cogitauit emittere; atque adeo teſtimonium illius tantæ compos falſitatis, leuiſſimum eſt, nulliusque contra nos aut ponderis, aut momenti. Demum, cum Buſchius ea ſe ſcripturum profiteatur, *quæ vidit, quæ audiuit, quæ inſpiratus fuit,* quid horum dicemus interueniſſe, cum laudatam ſupra parentheſim dictaret? an vidit Thomam ſcribentem, & inſcribentem librum, Qui ſequitur me, de Imitatione Chriſti? non dixerit; nec enim ſuum librum ita inſcripſit Thomas, nec ita inſcribere mens fuit: num inſpiratus fuit? ſed a quo ſpiritu? certè Spiritus, qui omnem docet veritatem, ſuggerere ei non potuit

libri inſcriptionem, quam nec fecit Thomas, nec facere cogitauit: num audiuit? ſi fando tantùm accepit ab alijs: planè, vt P. Franciſcus Valgrauius in Animaduerſionibus pro Gerſene eleganter ait: Illud Buſchij teſtimoninm in famam, & conſequenter in fumum euaneſcet, nec certi aliquid, nec clari, contra tot certiſſima, clariſſimaq. adducta ſuperiùs teſtimonia comprobabit. Quidquid igitur dicat, in quamcumque ſe vertat faciem, concedere debet, aut adulterinam eam parentheſim, & inſertam: aut verè Buſchij ſi exiſtat, verè Buſchium erroneum eſſe, parentheſim illam veritati contrariam, nec aptam teſtimonio ferendo, quod nobis officiat.

Ergone tam leui manu Buſchium reijcimus, & totius contrariæ partis Achillem tam facili exiſtimamus peruium telo? nec ei conferet, aut loci vicinia, aut æqualis Thomæ ætas, aut familiaritas cum Thoma? Quid ſi enim parentheſis proximè nobis exagitata ſuſpecta ſit, quid ſi aut ſuppoſititia, aut erronea, ergo ne tota Buſchij teſtimonio peribit auctoritas? Peribit ſanè, cum (quantum attinet ad præſentem controuerſiam) tota in eam parentheſim recumbat, quam vel reprobamus adulterinam, vel falſam contemnimus. Quod ſi autem ea verè Buſchij fuiſ-

ſet,

ſet, ipſeque verè exiſtimaſſet Auctorem fuiſſe Kempenſem, difficilior forſitan, non tamen impoſſibilis victoria futura eſſet Gerſeni.

Eſto enim (quia liberalem me habebunt Kempenſes Vindices) nihil in ea parentheſi fuerit, quod eam arguat impoſturæ; certò crediderit Buſchius, ſcripſerit, docuerit, Thomam Libelli Auctorem fuiſſe, an non & ipſe decipi potuit, & falſa labi perſuaſione, Thomæ partum non ſuum ſupponere, vno verbo errare, & ſequioribus errandi anſam tribuere? Non enim ſic inſolens eſt, immo frequentiſſimum, non minori dubietate inter ſe diſceptare doctiſſimos de Opuſculorum Auctoribus, quàm olim de Homeri natalibus tot Græciæ Vrbes decertarent. Non hic multo opus ſtudio, nec diſquiſitione laborioſa, vt manifeſtum reddamus, quod ipſa librorum inſpectio, & experientia quotidiana exhibet teſtatiſſimum. Bellarminus in præfatione ad Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis profitetur ſe eum ſcripſiſſe; *præcipuè ob diſcretionem librorum falsò ſuppoſitorum a legitimis, & germanis.* Card. Bellarmin. Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca aſſerit: *Multa in Catholicorum Expoſitorum monumentis inueniri pſeudographa, adulterina, & ſuppoſititia, quæ eorum non ſunt,* Sixt. Senen. Biblioth. in princ.

qua-

quorum titulos, & inſcriptiones præferunt. Hocque ipſum Roſveydus, cum quo congredimur, docebit inferiùs. Nec concertatio hæc de minorum gentium Auctoribus tantummodò. Nam vide mihi Bellarminum, & Senenſem agentes de libris Iob, Ioſue, Pſalmorum, & Sapientiæ, & viros grauiſſimos, conſpicies de eorum Scriptoribus inter ſe diſcrepare. Si autem a ſacris his fidei gazophilatijs ad eorum cuſtodes deſcendamus, citra puluerem reperiemus eorum ſexcentis libros ſupponi alienos, alteriusque partum alteri attribui; idque a ſapientiſſimis, & doctiſſimis viris. Perlege, quos dixi, Bellarminum, Senenſem, Poſſeuinum, eosue, qui Auctores cenſuerunt, & huiuſcemodi exempla nulla non pagina inuenies.

Si dicas: Nô idem ſemper ius Accio, quod Titio: aliamque Kempenſis, aliam iſtorum cauſam. Nam cum Auctores veteres aucupando ſæpius inueſtigemus, ob eorũ antiquitatem euenit, vt ſeu tẽpore poſteriores, ſeu loco diſſiti, nec volam, nec veſtigium inueniant veritatis aſſequendæ; nec mirum ſi aut errent ſæpius, aut acriùs decertent in veris Auctoribus definiendis: At Buſchius ea ætate, eoque pænè in loco, quo Kempenſis vixit; vt commentum planè eſſet de illius errore comminiſci, & alienum quàm maximè

a ratione ſuſpicari, illum falſum fuiſſe in recto Auctore deſignando. Reſpondeo: Nihil certiùs, quàm eos ipſos hallucinari ſæpius in apponendis Auctorum nominibus, qui cum ipſis Auctoribus vixerunt. Et huius rei documentum accipe clariſſimum & nuperum a Reuerendo admodum Patre Societatis Ieſu, quicumque is fuit, qui Libellum de Imitatione Chriſti ſub titulo Ioannis Gerſonis emiſit: *Veritas, inquit, eſt, quòd Thomas a Kempis ſicut illi in more fuit libros tranſcribere, vnum, vel alterum exemplar tranſcripſit Diuini huius libelli. Vnde accidit, vt erroneè a coætaneis illi attribueretur. Et in hoc id Gerſoni euenit, quod noſtra ætate accidit Itinerario perfectionis, quod cum inuentum fuiſſet inter ſcripta Admodũ Reuerendi P. Domini Ioannis de Pegna Theatini, bona fide a Patribus ſuæ Religionis editum fuit ſub nomine dicti ſerui Dei (Ioannis de Pegna) cum tamen verus illius Auctor eſſet Adm. R. P. Antonius Cordeſes e Societate Ieſu, ſicuti poſtea conſtitit teſtimonijs authenticis, impreſſis vnà cum dicto Libello edito ſub nomine proprij Auctoris.* Hactenus ille; & exemplo quidem quo aliud appoſitum magis eſſe non poteſt argumento noſtro, ita omnia ſimilia, vt eandem geneſim cum Gerſene Cordeſes videatur ſortitus. Nec ab-

Anonymus S. I. in Præfat. lib. de Imitat. Chriſti vulg. ling. edit. Panorm. 1641

ſi-

ſimile accidit in editione aurei Libelli, Pugnæ Spiritualis, dicti, qui ab ijs ipſis, qui Caſtagnizã Benedictinum Monachum familiarem habuerunt, cumque eo conuerſati ſunt intima cõſuetudine ſub Caſtagnizæ nomine publici iuris factus fuit; tametſi non eum, ſed alium Auctorem habuerit. Quidni & his adiungam Angelum Scholarum Thomam, qui eadem cum Kempenſi cognomine fortuna vſus eſt: Nã cum Opera edidiſſet quæ propria Thomæ, propria Angeli eſſent, ea doctrinæ profunditate & perſpicuitate ſtyli, vt tum propter dicendi phraſim, tum præſertim propter viri ſingularem eruditionem & famam, ſimul ſcripta, edita, agnita, & acceptata paſſim fuiſſent, at clariſſima ſtatim verſata luce, omnium manibus trita. Vnde Ægidius Romanus frequenti ſermone ad F. Iacobum de Viterbio, Archiepiſcopum poſtea Neapolitanum: *Frater Iacobe, ſi Fratres Prædicatores voluiſſent, ipſi fuiſſent ſcientes & intelligentes & nos idiotæ, & non communicauiſſent nobis ſcripta Fratris Thomæ*. Vt miraculum prope exiſtimares, potuiſſe aut ipſi aliquid Supponi quod ipſius non eſſet, idque ab eiuſdem Ordinis, & æui hominibus, quibus tam debebant eſſe nota, atque Roſveydo, aut ſuorum alicui ſcripta Suareſij, aut Bellarmini ſui, aut aliquid ſub ipſius nomine euulgari, quod illius

Proceſſus pro Canoniz. S. Thomæ Aquin.

lius calamo non fuiſſet exaratum; & tamen monſtrum hoc miraculi eueniſſe, comprobare difficile non eſt. Nam Sixtus Senenſis docet, plura Thomæ Anglici Opera, ex nominum affinitate ſuppoſita Thomæ Angelico: *Cum, inquit, magna eſſet inter Anglicum, & Angelicum Vocis ſimilitudo, paulatim effectum eſt, vt per incuriam & errorem, Thomæ Anglici ſcripta Thomæ Angelici titulo notarentur.* Et ibidem lib. 4. *Thomiſticæ ſanctitatis amatores exegeticis Diuo Thomæ Commentarijs permulta non ſua inſeruere.* Et Senenſi longè antiquior Proceſſus pro Thomæ Apotheoſi, factus Ioannis 22. auctoritate ab Humberto Archiepiſcopo Neapolitano, & Angelo Viterbienſi & Tuſcanenſi Epiſcopo, cum illius Operum ſyllabum digerit, inſinuat clarè, alia inſuper illius nomine circumlata, quæ eum non habuerunt auctorem. Non ago hic de ſecunda parte Summæ illius (nec enim noſtrum eſt tantas componere lites) quam tametſi pro Diuo Thomæ germano agnitam partu & olim & paſſim, dubitauit Bellarminus, ipſiusne, an Vincentij Beluacenſis eſſet; & P. Lucas Vadingus ſui Ordinis hiſtoriarum ſcientiſſimus, neutrius, ſed Alexandri Alenſis contendit fuiſſe. Sed concludo, omni æuo ſollemne, vt viris doctiſſimis literaturæ & ſcientiæ coriphæis partus ſupponatur

Sixt. Senen. Bibliot. li. 4. ſub fin.

Bellar. de ſcript. Eccleſ in obſeruat. operum S. Thomæ.

Luc. Vaddiog. Annal. minor. To. I.

tur

tur non ſuus; libri ab ijs non ſcripti ijs attribuantur; idque ab illis, qui eadem vixerunt ætate, resque illorum & ſcripta habere debuerunt pro compertiſſimis.

Nihil igitur monſtri habet, ſi, quod Diuino Aquinati, alijsque viris contigit & magnis, & quamplurimis, Kempenſi acciderit, vt Buſchius ætate licet, loco, ordine vicinus, & coniunctus, ei attribuerit prolem non ſuam, & Libellum de Imitatione Chriſti, ab alio licet conſcriptum, pro illius vero opere agnoſceret; idque præſertim cum illius eſſet manu deſcriptum. Nec enim extra fidem eſt, id Autographum, eamque Thomæ ſubſcriptionem, quæ Roſveydum, Sommalium, aliosque, & Buſchium pariter in errorem conieciſſet. Eſto igitur, Buſchius ea ſcribere ſe profiteatur, quæ vidit, quæ audiuit, quæ inſpiratus fuit, inſpirationem ſicuti aduerſarij non dicent hic interueniſſe, ita nos oculorum, auriumque teſtimonio legitimè intercedemus, aſſerentes, ipſum falſa deceptum ſcriptione, & ſubſcriptione Thomæ Kempenſis, ſi ea narrat, quæ vidit, ſi quæ audiuit, fraudem ab ijs paſſum, qui ipſi eadem ſeu Thomæ ſubſcriptione, ſeu fama in errorem fuiſſent inducti, & cæci ipſi ducatum tam Buſchio, quàm cæcutientibus poſteris præſtiterunt, & offendiculum errandi.

Pro-

Proſper Farandus in teſtimonijs certiſſimis pro Kempenſi Romæ editis anno 1627. Buſchio ſubiungit Auctorem Anonymum compendij vitæ Thomæ a Kẽpis impreſſum cum eiuſdem Operibus Norimbergæ anno 1494. qui Thomæ attribuit tractatum de interna Chriſti locutione ad animam fidelem, qui eſt tertius de Imitatione Chriſti; Mauburnum in Roſeto; Geylerum in Nauicula, ſeu ſpeculo Stultorum: qui vterque ex his libris nonnulla citant ſub nomine Thomæ a Kempis: Petrum Schottum, & Seraphinũ Firmanum, qui Gerſone ſine Elogio exhærede ſcripto, Thomam expreſsiſſimis codicillis inſtituunt. Trithemium demum, & recentiores, Langium, Miræum, Poſſeuinum, Roſveydum, & Eminentiſſimum Bellarminum, qui omnes vno ore Auctorem pronunciant Kempenſem. Reſpondebit pro me Baronius. *Non numero hiſtoricorum veritatem hiſtoriæ cõſueuimus æſtimare, ſed quanta fide polleat primus Auctor cuiuslibet aſſertionis; nam reliquos primum ſequi Auctorem, & eius veſtigijs inhærere, frequentiori vſu in more poſitum videmus.* Hæc ille. Vnde & ego ſi eorum conſenſum cogam, qui ſermones in Eremo, aliaque Opuſcula, quæ Auguſtini non ſunt, Auguſtino aſſignarunt: aut eos, qui Hieronymo, Origeni, Aquinati, alijſque grauiſſimis

Card. Baron. Annal. Tom. 12. prope finẽ an. 1125.

ſimis Doctoribus libros adſcripſerunt non ſuos; & plurimi illi erunt, & ſiue ætatem ſpectemus, ſeu dignitatem, & doctrinam, nihil illis deeſſe comperietur ad fidem aſtruendam. An igitur libri illi, ſeu Auguſtini, ſeu horum erunt, quod ijs a tanta teſtium nube vendicentur? nihil minus: errarunt illi errorem gentilitium, & quod acceperunt pro vero aſſertum, vel ab vno, qui integra fide videbatur eſſe, pro veriſſimo illi, & teſtatiſſimo habuerunt, & conſignarunt poſteritati. Quod igitur Auguſtino, quod Aquinati, quod alijs ſupra laudatis accidit, hoc & Kempenſi; quod euenit eorum cenſentibus, ſeu allegantibus Opera, hoc Mauburno, Langio, Scotto, Miræo, Firmano, ijsque, qui ſecuti lapſantem ducem, eodem cum illo lolio victitarunt, & luto hæſerunt; ſiue eadem, qua ille, ſeu fama, ſeu Thomæ ſubſcriptione falſam aucupati perſuaſionem; ſiue illum imperium, cæcumque ducem ſecuti in eundem præcipitati errorem, eum ſuis inſuper calculis probatum poſteris tranſmiſerunt. Vno igitur calami ductu reſpondeo: De Bellarmino actum ſuperiùs abundè, vbi & Poſſeuinum induximus: Rosveydus quantus in clypeum aſſurgat, iam examinauimus: Langius, Scous, Mauburnus, & alij, vtcunque magna apud ſuos nomina, minora tamen-

men, quàm vt conrra veritatem a nobis demonſtratum conſiſtant: Omnes demum ſecutos Buſchium, ſeu fama, & Thomæ ſubſcriptione, qua ille, deceptos cum illo lapſos fuiſſe, & maiorem quàm ille, aut cnm eo vllam, nec fidem facturi, nec habituri,

Examinantur Roſveydi argumenta deducta ab auctoritate Trithemij, Phraſi Flandrica, Autographis Kempenſibus, & Auctore cõpendij Vitæ Thomæ Kempenſis: atque omnia vt vana & frigida reijciuntur. Cap. XI,

SEcundum Roſveydi pro Kempenſi telum, a Trithemij auctoritate deſumptum, ſic in eum contorſimus ſuperiùs, vt ſuperuacaneum prorſus exiſtimemus quidquam adiungere. Igitur tertiò arguit a phraſi Flandrica, cuius cum plures manipulos collegiſſet, ſubnectit: *Poſſem complura eius generis producere, quæ ſolis Teutonibus in quotidiano vſu ſunt, ſed hæc iudicioſo lectori ſuffecerint.* Phraſes ſunt: *Si ſcires totam Bibliam exteriùs, cap.* 1. *In proprijs ſtare ſenſibus, c.* 4. *Leuiter indignari, cap.* 6. *Stare ſuper ſeipſum, c.* 9. *Labi ad conſolationes humanas, ibidem. Noli tibi attrahere, c.* 41. *lib.* 3. *de non attrahendo ſibi res exterio-* Roſveyd. Vind. c. 8.

 rio-

riores, c.44. Si benè ſteteris cum Deo, ibidem. Quare tam parua tibi ad cor tranſeunt, c.46. Ad capienda tanta myſteria me reuerberat propria conſcientia, lib.4. cap. 1. leuius ego momẽtum in huiuſmodi locutionibus ſemper poſui, quàm vt ſolidi, certiue quidquam opiner ex ijs probari. Illis enim idem fatum, quod vocibus, atque vt in his:

Horat. de arte Poet.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula:

Ita earum:

Idem ibid.

Vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modò natæ.

Quod igitur videmus eueniſſe Gallico, Italico, Anglico, alijsque vulgaribus idiomatis, vt ſuperiori ſæculo multo exuta ſitu & rubigine antiquitatis nitorem, nouitatẽque induerint; quidni illud vulgari Flandricæ acciderit:

Idem ibid.

Sermonem vt patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit.

Difficulter vt quis concludat, eam phraſim olim Belgis in vſu fuiſſe, quod hodiernæ diei familiaris exiſtat.

Quinimmo demus, quas adducit Roſveydus locutiones, nedum in vſu, ſed vſitatiſſimas fuiſſe Flandris, an non videmus quotidiana experientia, vt familias & perſonas,

ita

ita voces, phraſesque de gente in gentem, de regno in regnum migrare, ſedemque ponere in alieno ſolo? Quot, amabò, latina verba Athenis Græcia donauit? Quot Græca in Latium intulit Roma? Quot Hiſpanica vocabula vulgari Italo ſermoni familiaria ſunt? Quot Itala Gallico, Gallica Anglico & Germano? vt ſi Italus quiſpiam linguæ ſciēs Hiſpanicæ, Hiſpaniſmo vteretur inter ſcribendum, aut Italiciſmo. eruditus Gallus, aut Galliciſmo Anglus, an continuò opus aut hoc a Gallo profectum dicemus, aut illud, iſtudue àb Italo, ſeu Hiſpano? nemo dixerit.

Demus tandem, nonnulla vocabula, phraſesque ita propria alicuius Gentis, vt ea ſemper vſurpauerit Gens illa, præter eam verò nullum Regnum, nulla Prouincia, cũ tamen tam familiare ſit, vt vnius Gentis homines non pauci intellexerint, fuerintq. locuti alterius nationis idioma; certò forſitan & euidenter ex his idiotiſmis concludi poterit, Auctorem operis, in quo illi reperiuntur, calluiſſe linguam, cuius illi proprij ſunt; nullo autem equuleo, nullis neruis aliud, aut extorqueri poterit, aut probari.

Quocirca Roſveydus, vt aliquid efficiat, quod tincturam habeat certi, probare debet, quas adducit locutiones e Libello de Imitatione Chriſti, nedum in vſu olim fuiſſe

Belgis, dum Thomas eſſet in viuis, ſed nec ad exteros peregrinas, nec hoſpitio ab ijs receptas, nec demum in alia Gente ab eo vſurpatas, qui Belgicæ ſciens & eruditus linguæ, Belgicum idiotiſmum inter ſcribendum adhibere potuerit. Nam horum quidquam ſi deſit, ex inanibus paleis trituram facit, vel Belgici idiotiſmi non ſunt, ſed alterius Gentis ſermo familiaris; vel ſi exiſtant, ab eo potuerunt adhiberi, qui Belgica eruditus lingua, idiotiſmum Belgicum expreſſit. Atque hoc accidere potuit Gerſeni noſtro, qui ad ipſas pænè radices montium Germaniæ, & duarum nationum confinio poſitus, vbi maximè vigere ſolent commercia vtriuſque linguæ, præter natiuã Italam callere potuit, & loqui Germanicam, illiusq. loquendi formulas ſemel, aut iterum ſuo Libello interſpergere; atque inde oſtendere nihil indubitati adduci poſſe ex vna, alteraue locutione, quod euincat certam Auctoris patriam.

Quòd ſi autem ipſas examinemus phraſes, quas Flandricas Roſveydus appellat, *puroſq. putoſq. Teutoniſmos, vereor planè vt tales inueniantur, quales ipſe velit, & opinatur. Nam vt eas omittam, quæ ita latinæ ſunt, vt nihil poſſit eſſe latinius*; Cicero enim qui dixit: *Labi ad opiniones alicuius, labuntur ad mollitiem mores*; tam facilè, &

la-

latinè dixiſſet, *Ad conſolationem labi*. Atque idem de leuiter indignari, poſſet eſſe iudicium, ſi Grammatici vellemus eſſe, & loquendi has formulas ad elegantiæ Regulas examinare: Alias autem pænè omnes, Italiciſmos tam eſſe, quàm Flandricæ alteriusue idiotiſmos linguæ, adeo certum eſt, vt quod certiſſimum. Nam, *In proprijs ſtare ſenſibus: leuiter indignari: Stare ſupra ſeipſum: Attrahere ſibi res exteriores: Benè ſtare cum Deo: Parua tibi ad cor trāſeunt: Me reuerberat propria conſcientia: Propter aliquam paruam grauitatem, ſacram ne dimittas Communionem; vbi grauitas, inquit, pro tribulatione eſt.* Has, inquam, locutiones ſi idiotiſmi ſunt, ab Italiciſmis non abhorrere is dixerit, qui ignorarit ſequentes tam proprias & elegātes linguæ Italæ phraſes eſſe, vt inter puriores admitti poſſint. Locutiones ſunt: *Star oſtinato ne' proprij ſenſi, Star in ceruello, Iſcorucciarſi, Riſcaldarſi leggiermente, ſtare ſopra di ſe, Tirar a ſe le facende, e negotij, Stare bene con Iddio, Stiamo bene inſieme, Queſto mi paſſa il cuore, Ogni grauezza dal ſuo petto ſgombra, la maninconia, ò grauezza de' pēſieri m'affligge.* Vt errarit lōgè Roſveydus ignarus ſermonis Itali, cum certò dixerit affirmari poſſe: *In nulla omnino lingua ſupradictos idiotiſmos, & loquendi formulas reperiri, vel* Roſv. Vind. c.8.

ab Auctoribus Latinis, præterquam apud Flandros, vſitatos eſſe.

Illud autem, Si ſcires totam Bibliam exteriùs, in quo præcipuum fundamentum poſuit, non caret optima, veraque reſponſione: Nam ſi quis contendat pertinaciùs, ab ipſo AuctoreLibelli poſitum ly exteriùs, Gerſen noſter in confinio Germaniæ commoratus, eum næuum opere in longo contrahere potuit, vt ſemel adhiberet Germaniſmum: Etſi veriùs crediderim, poſitum non fuiſse. Nam Aronenſis, Cauenſis, & Claromontanus, Codices Tò exteriùs, non habent. Vt ſicut Roſveydus eam omiſſam, inquit, ab Italo Scriptore, qui eam vocem non cepit, ita a Belga, ſeu Germano Amanuenſi exiſtimare poſsumus additam, quo melius ſenſum Auctoris phraſi Belgis magis intellecta exprimeret. Alias igitur proferat locutiones verè, ſolùmq. Belgicas, verè Flādriſmos; & tum demum iactet cum ſuo Badio, *ſtylum totum Teutonicam redolere phraſim; phraſimque Flandricam Flandrum Auctorem loqui;* Interim mutato nomine fabulam narret de ſeipſo.

Roſv. Vind. c. 15.

Et multò hæc clariùs eluceſcent, ſi eas addamus locutiones, quæ Italo fonte deductæ inueniuntur in eodem Libello: vt lib. 1. c. 2. Scientia ſine timore Dei quid importat; Che importa la Scienza, &c. Et

cap.

cap.2. De ſeipſo nihil tenere, Tenerſi di poco: E di grande animo il tenne, inquit Boccatius. Et cap. 21. Si tu ſcis homines dimittere, ipſi te dimittent tua facta facere, Te laſciaranno far i fatti tuoi. Habeas ſemper oculum ſuper te primum: Habbiate l'occhio ſopra di voi. Et cap. 22. Amici Chriſti non attenderunt quæ carni placuerunt; qui ſi idiotiſmus eſt, Italiciſmus eſt. Et lib. 2. cap. 3. Pone te primò in pace: Ponetiui in pace. Ibidem, Homo paſſionatus: Huomo paſſionato. Cap.8. Euacuatis & licentiatis: Licentiati tutti. Cap. 8. Me puluerizauero. Cap. 50. Non me ſinas ſecundum auditum aurium hominum imperitorum ſententiari. Cap. 58. Illi benè & optimè contentantur, ſi ſcirent homines contentari. Lib. 4. cap. 12. Se humiliando, & ei regratiando. Vbi pulverizare polverizarſi, ſententiari ſententiare, contentare contentarſi, regratiari ringratiare; ſi ego Italicam ſapio, & capio linguam, ab ea parte detorta, Italiciſmi ſunt. Sed his minutijs nolo amplius inhærere.

Concludo igitur: Cum phraſes a Roſveydo productæ Italiciſmi ſint, quibus & plures hinc inde libro interperſas adiunximus; profectò ſi vox hominem ſonat, phraſis patriam (quod tamen in vna, aut altera locutione difficulter conceſſero) Au-

ctor Libelli non Belga erit, ſed Italus, cum tot Italas phraſes, & idiotiſmos, habeat.

De Kempenſibus Autographis, quæ Roſveydo ſuppeditarunt quartum argumentum, licet actum ſuperiùs capite ſeptimo conciſo quidquid habebant virium pro Kempenſi anterioribus anno 1441. productis manuſcriptis: denuo tamen collato pede cominus agendum cum eo, qui ab ijs ad hunc modum diſcurrit: *Quarta ratio, qua libri de Imitatione Chriſti Thomæ a Kempis vendicantur, ducitur ab auctoritate manuſcriptorum, quæ duo ipſius Auctoris ætate, & manu ſcripta reperiuntur, alterum quoque certum annũ exhibens, videlicet* 1441. *Auctor ipſe in fine miniata litera teſtatur: Finitus, & completus anno* 1441. *per manus Fr. Thomæ a Kempis in Monte S. Agnetis prope Suuollis: Alterum antiquitate non cedit eius Auctoris manuſcriptum, quod & idem character, eædem abbreuiationes, idemque per omnia contextus manifeſtè probant.* Reſpondeo: quid ſi vterque Codex a Thoma ſcriptus fuerit; ſubſcriptus alter, præſtituto anno? Num inde deducetur a Thoma compoſitus? gloſſema, ideſt, ſiue Roſveydi, ſeu Sommalij, qui ex ſuo non ad mentem, manumue Thomæ commenti ſunt, ipſum propria manu fateri ſe librum compoſuiſſe anno 1441. Thomas

enim

enim nihil tale ibidem iratus dicet. Nam *Finitus, inquit, & completus per manus Fr. Thomæ a Kempis*, ideſt, deſcriptus, non compoſitus. Et hoc triplici argumento conficio. Nam Thomas cum nullis ſuis Opuſculis nomen ſuum præ humilitate addiderit; vt ex ijſmet aduerſarijs docuimus ſupra, addiderit verò Libello de Imitatione Chriſti, planè Libellus de Imitatione Chriſti illius, ideſt, ab eo compoſitus non erit. Secundò, Subſcriptionem hanc ſolitus erat Thomas ijs libris annectere, quos Amanuenſis deſcripſerat, non quos compoſuerat: *Scripſit, inquit Roſueydus, Biblia in folio quatuor tomis compacta, quæ aſſeruantur Coloniæ apud Canonicos Regulares in Monaſterio ad Corpus Chriſti, vbi in fine primi voluminis, quo continetur Pentateuchus, vſque ad finem libri* Ruth, *ſic ſcribitur: Finitus, & completus anno Domini* 1439. *in Vigilia ſancti Iacobi Apoſtoli, per manus Fratris Thomæ a Kempis, ad laudem Dei, in monte S. Agnetis. Et in tertio ad extremum Libri Macbabæorum additur: Scriptum per manus F. Thomæ a Kempis, &c.* Confer, amabò, Autographum Autographo, Libellum de Imitatione Chriſti Pentateucho, & vtrique ijſdem planè verbis, eademque forma adſcriptum reperies: *Finitus, & completus*

Roſveyd. in Not. ad Vitã Thom. Kẽp. a ſe deſcriptam.

anno

anno 1439. per manus Fratris Thomæ a Kempis: Finitus, & completus anno 1441. per manus F Thomæ a Kempis. Vt ſicuti nemo dixerit, illum compoſuiſſe Pentateuchum, ſed Tò: *Finitus, & completus*, idem eſſe, atque deſcriptus, ita eadem planè verba Libello de Imitatione Chriſti ſubnexa, probabunt eum ſolita ſua vſum loquendi, & ſubſcribendi formula, dum Amanuenſis eſſet, faterique ſe deſcripſiſſe tantummodò, non compoſuiſſe dictum Libellum. Et hanc in ſententiam vel concedant nobiſcum Aduerſarij, vel exemplo aliquo demonſtrent; ly Finitus, & completus a Thoma, ſemel appoſita ijs libris, quos Auctor compoſuit, vt nos ijs ſubiuncta damus, quæ Amanuenſis exſcripſit. Tertiò, nobiſcum eſt ipſe Roſveydus, qui nedum generali decreto ſtatuit, *Multos Scriptores ſuum nomen vel præfixiſſe, vel poſtpoſuiſſe libris, quos exſcripſerunt, etſi non compoſuerint; quod ignorare non poteſt, qui vel paucos MSS. libros oculis luſtrauit*: ſed & præſenti in argumento victus demum a veritate fatetur, a Tò *Finitus, & completus, non ſequi, quòd Auctor fuerit: Quod autem, inquit, Thomas ipſe in fine Opuſculorum ſuorum ponit: Finitus, & completus per manus Fratris, &c. ſcio non inde ſequi, quod ea compoſuerit,*

Idē Prolog. ad Vitas Patrum.

Roſveyd. Viud. c. 9.

rit: nam potuiſſet tantùm ſcripſiſſe. Et cap. 6. *Scio equidem libros ſæpe circumlatos, & editos alienis nominibus, quod varia occaſione fieri potuit, &c.* Scilicet inertiam ſui teli conſpicatus, tametſi multum virium aliàs poſuiſſet in ea ſubſcriptione, nunc tamen illius leuitatem ritè ponderans, arma abijcit, telaque recondit: *Scio non inde ſequi, quod ea compoſuerit; nam potuiſſet tantùm ſcripſiſſe.* Subiungit verò: *Sed cum conſtet, reliqua Opuſcula, quibus libri de Imitatione Chriſti adiunguntur, a Thoma ipſo ſine vllo dubio compoſita, cur de ſolis libris de Imitatione Chriſti dubitabimus, maximè cum nullis Opuſculis ſuis Auctor ipſe nomen ſuum ex humilitate præfixerit?* Argumenti ſui Achillæum, pondusque in id inclinans, quòd liber hic alijs Thomæ operibus adiungatur, vt Thomæ ſit: non quia a Thoma ſubſcribitur, ſed quia Thomæ Opuſculis adnectitur. At nihil proficit. Ignorare enim non potuit, quod magna cum veritate habet Cardinalis Baronius: *Nemo eſt, qui ignoret, qui antiquorum Codicum habet vſum, ſæpe ſæpius ſolere contingere, vt non vnum, vel duos, ſed & tres, quatuorue, & amplius habeat idem volumen diuerſorum AuctorumTractatus; & aliquos ex illis inueniri ſub nomine vnius Auctoris*

Ibid.

Ibid.

Card. Baron. Annal. tom. 6. ad an. 441

ris exſcriptos; vt niſi quis oculos lynceos habeat, ſæpe accidat, vt inſcripto Auctori tribuatur, quidquid inferiùs eodē Codice continetur. Hęc Baronius: Quodque experientia quotidiana, & librorum veterum inſpectio, immo quod ipſa rerum potētiſſima veritas docet. Quis enim neſcit, inter Opera S. Auguſtini non inuenta modò, ſed ijs a maioribus noſtris accenſita plurima, quæ illius non ſunt? Idem de Hieronymo dictum eſto; idem de quamplurimis ſanctæ Fidei Doctoribus, Heroibus Eccleſiæ; in quorum monumentis recenſendis hoc, & ſuperiori ſæculo inſudarunt feliciter viri doctiſſimi, multumque ex ijs ſurfurem ſepararunt, ſegregemque fecerunt, a puriori farina; plurima, inquam, Opuſcula, tametſi inuenta inter eorum ſcripta, ijsque attributa, reſecarunt vt ſpuria, vt falſa reiecerunt. Si quis igitur vrgeret, & diceret: Ea adiuncta fuiſſe S. Auguſtini veris Opuſculis, accenſita S Hieronymi Operibus indubitatis, S. Ambroſij veris, & germanis ſcriptis annexa, annumerata, alligata; atque inde contenderet, S. Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Opera eſſe indubitata, an non meritò rideremus? Quas igitur aures Roſveydus ſuo finxit lectori, cum argumentatur: Libellum de Imitatione Chriſti a Thoma de Kempis compoſitum,

quia

quia reliquis ipſius Opuſculis adiungitur, ſed quia ipſius manu ſcriptum adiungitur alijs Opuſculis illius pariter ſcriptis manu, inferri illius opus eſſe.

Nam, vt in eodem exemplo perſiſtamus, plura ſanctiſſimi Hipponenſis Præſulis Opuſcula ſi apud nos eſſent doctiſſima illius manu exarata, quis neget ex ijs quodpiam verum, germanumque illius partum, & opus? Qua fronte vnum indubium reuocet, pronunciet ſuppoſititium, ſi omnia ſimul colligata fuerint, illiuſque charactere deſcripta? Ita pariter, cum Libellum de Imitatione Chriſti habeamus Thomæ deſcriptũ manu, alijs eiuſdem indubitatis Operibus ab eo exaratis adiunctum, qui alia Thomæ certa, veraque Opuſcula eſſe fatebitur; Librum de Imitatione Chriſti eiuſdem eſſe Thomæ, impudens, vecorsque ſi diffiteatur. Reſpondeo: Nec hunc funem aliquid attraxiſſe: Nam quidquid ſit de alijs Auctoribus, quibus facilè potuit accidiſſe, vt aliena Opuſcula ſua manu deſcriberent, deſcriptis, (ipſo vt vidimus Roſveydo fatente) *ſuum nomen vel præfigerent, vel poſtponerent*, de Kempenſi certiſſimum, ipſum non proprio tantùm marte procudiſſe Opuſcula ſua, ſed aliorum etiam calamo exſcripſiſſe. Dabit hoc S. Agnetis Chronicon: *Obijt perdilectus Frater noſter Thomas Hamer-*

Roſve. Prol. 5. in Vitas Patrum.

Continuat. Chron. Montis S. Agnetis ſub princ.

ken de Kempis, &c. Scripſit autem Bibliam noſtram totaliter, & alios multos libros pro dono, & pretio. Et Franciſcus Tolenſis, in Vita eiuſdem Kempenſis: *Temporis illum ſummam habuiſſe rationem, vt pretioſiſſimæ reique irrecuperabilis, tot ab illo elucubrata partim, partim in communem vſum ſua manu conſcripta volumina arguunt: multum enim ſcriptione pollebat. Superſunt adhuc vniuerſa Biblia in quatuor Tomos diſperſa. Præterea ingens liber, quo Sacerdotes in Sacris vtimur: tum aliquot Bernardi Opuſcula, præcellenti arte, & magna induſtria a Thoma conſcripta.*

Franc. Tolenſis.

Et vita illius ex varijs Auctoribus a Roſveydo contexta, & præfixa Libello de Imitatione Chriſti: *Otio malorum omnium fonti numquam indulſit, ſed vel ſacris libris lectitandis, vel in communem vſum ſcribendis, vel ingenio ſuo procudendis ſe exercebat.* Cum igitur tam prece, quàm pretio, tam ſibi, & fratribus, alijſque, quàm otio vitando, libros deſcripſerit, nihil efficient Aduerſarij, etiamſi produxerint ipſius & manu deſcriptum, & Opuſculis adiunctum Libellum de Imitatione Chriſti, cum tam potuerit eum ſeu dono, ſeu pretio, ſeu Fratribus, ſeu otio vitando ſcribere, quàm ſuo marte procudere: & vel ipſemet, vt ſemper ad manum haberet aureum

Her. Roſveyd.

reum

reum hunc Libellum, vitæque ſpirituali, cui maximè ſe impendebat, aptiſſimum; vel alius quiſpiam, ſeu is bibliopola, ſeu librarius, aut amanuenſis fuerit, ſeu ſcriptorum Thomæ collector, Opuſculis ipſius eum adiungere, & colligare. Et poſterius hoc eueniſſe, rectiùs exiſtimamus, quæque hactenus deducta ſunt argumenta, confirmant, atque demonſtrant.

Quinta Roſveydi ratio ducitur ab antiquo Auctore vitæ eiuſdē Thomæ Kēpenſis, quem nos amplo cohoneſtatum elogio pro Gerſene eduxeramus. Mirumque eſt, vt totus geſtiat Pæana canens, quaſi eo vno in argumento iuſtum de me triumphum reportaſſet. Sed facilè reſpondeo: Hunc Auctorem (ſi Libellum Thomæ adſcribat) eadem, qua Buſchius, alijque in deuia actum fama, quæ Thomam Libelli Auctorem falsò peruulgauerat: Cumque ea ſe ſcribere profiteatur, quæ ab alijs acceperat, vt his oculi, ſic illi aures in errore duces fuerunt: vt hos ſubſcriptio Kempenſis Autographi, ita falſus inde delatus rumor illum decipere potuit, & errore imbuere, quem poſteritati tranſmitteret offendiculum lapſandi. Tam copioſè egimus ſupra de argumento conſimili, cum teſtimonio Buſchij reſponderemus, vt plura hic addere fruſtra ſit. Ergone, dices, calculum huic Auctori datum

tum

tam reuocamus, fidemque illi minuimus olim aſſertam? Reſpondeo: Si vel ipſi veritati perire aliquid debeat, vel teſtimonio noſtro illi conceſſo, nos, qui non noſtrum honorem, ſed veritatem, illi, non nobis laureas quærimus, & victoriam; ne noſtro teſtimonio fortis hic Auctor in veritatem exiſtat, illud pro non dato volumus. Facilè enim nos patiemur vinci, dummodò triumphet veritas.

Examinantur quæ Roſveydus habet contra Gerſenem, & Aronenſem Codicem, & huius antiquitas propugnatur: atque Ille oſtenditur alius a Gerſone Cancellario; indeque concluditur, eumdem Auctorem Libelli de Imitatione Chriſti extitiſſe. Cap. XII.

HActenus pro Kempenſi Roſveydus. Reſtat iam videamus verſa in Gerſenem irrita planè, & imbellia tela. Nam ac ſi ipſum dixiſſe, amentum fuiſſet Dauidis funda potentius, ſine vlteriori probatione Gerſenem vult *incognitum fuiſſe, & Auctorem, nouumque ex Antiquarij manu, & lapſu cuſum.* Et demum magiſtrali voce definit: *Ego verò ita ſtatuo, nullum vnquam Ioannem Gerſen diſtinctum a Ioanne Gerſon extitiſſe.* Si horum rationem

Roſv. Vind. c. 4.

Roſu. Vind. c. 4.

nem

nem ab eo petis, nullam reddet, niſi petendo viciſſim; *vt vel vnus proferatur teſtis, qui Ioannis Gerſen, vel Geſſen meminerit.* At hoc edicere eſt, non probare; non vindicias ſcribere, ſed dictaturam aſſumere. Cum verò non eo ſe extulerit Roſveydi auctoritas, vt dicere poſſit: Sic volo, ſic iubeo, ſuam pro ratione voluntatem proponere, eadem cum facilitate: qua ipſe ſtatuit, ſtatuentem reijcimus; qua ipſe libertate aſſerit, aſſertum negamus; meliori autem argumento reponimus, *incognitum* non eſſe, quem non vno, ſed pluribus ſinceræ, & illibatæ fidei teſtibus meridiana in luce poſuimus: *nouum* non eſſe, qui perantiquus Poſſeuino, vetuſtiſſimus Bellarmino fuit; cuique antiquiſſimi Codices teſtimonium perhibent; *cuſum non eſſe ex vnius Antiquarij Aronenſis imperitia*, quem alij manuſcripti Codices antiqui, & incorrupti eadẽ appellatione denominant: Eundem demum non eſſe Gerſoni Cancellario Pariſienſi, quem tot monumenta, & argumenta ab auctoritate, & ratione ſuperiùs deſumpta, probant diuerſiſſimum fuiſſe.

Quapropter cum hæc ex voto non ſuccedant, videatque plurimum nos præſidij collocaſſe in Aronenſi Codice, cuius antiquitate, & auctoritate ſartam, tectam,

firmamque ſi conſeruemus, & tueamur, nullus in Gerſenem eſt: propterea pleno in eum fertur ariete, quo hunc deijciat Codicem, omni deſtituere conatur fide, quo Gerſenem poſſeſſione deturbet.

D. Conſt. Caiet. Apolog. pro Io. Gerſen. edit. anno 1616.

Kep. Vind. c. 5.

Cum itaque in priori mea Apologia dixiſſem: *In Monaſterij Aronenſis Archiuio Ioannis Geſſen Abbatis manu exaratum, vel eo dictante ab alio conſcriptum in ouina pagina opuſculum aſſeruari*; ſtatim infit: *Vnde, quæſo, tibi conſtet, quod tam aſſeueranter dicis: Libellum hunc, qui in Aronenſi domo noſtra extat Ioannis Geſſen Abbatis manu exaratum, vel ab eo dictante ab alio conſcriptum? quem teſtem, quas tabulas produeis? nullas profectò, præter eas ipſas, quæ certiſſimè euincunt contrarium. Cui enim iudicioſo perſuadebis, Auctorem ipſum nomen ſuum ignoraſſe, vt nunc Geſen, nunc Geſſen, nunc Gerſen ſcripſerit, aut dictauerit?* Hæc ibi. In quibus primò candorem queror, fidemque Roſveydi, qui cum Vindicias ſuas (quibus in præſenti vtor Opuſculo) impreſſerit anno 1621. non mea verba in Concertatione auctiori, & correctiori edita 1618. (quam ipſe vidit, cùm in ſui libri frontiſpicio promittat Commonitorium ad Apologiam meam vnà impreſſam) ſed neſcio quem lapſum calami prioris editionis

1616.

1616. exprimat, & conſectetur. Et huius quidem verba ſuperiùs dedimus; poſterioris verò ſunt: *In huius porro Archiuio Ioannis Gerſen Abbatis in ouina pagina manu exaratam Opuſculum aſſeruatur.* D.Conſt.Caiet. Apol. pro Gerſen. edit. 1618.

Non ero inſipiens, ſi cum magno Hipponenſi Præſule ex ijs me vnũ fatear, qui *ſcribendo proficiunt, & proficiendo ſcribunt: Si talem, inquit Vir ille maximus, me aſſeritis aduerſus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor; vt me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis: non bonam cauſam ſuſcepiſtis facilè in ea re, meipſo iudice, ſuperamini.* Et Magni huius Chriſtianorum Magiſtri, quantus abſum a ſuprema doctrina, tantus deſcendere cupio, & proximus eſſe humilitati profundæ; Debuitque Roſveydus, ex eiuſdem Sancti doctrina, *illa reprehendendo ſuſcipere, quæ a me, quamuis ſedulò perſcrutante, minimè videri potuerunt: & ſi quid vel incautiùs, vel indoctiùs a me poſitum fuit, ignoſcere debuit, & gratulari, non quia erratum fuit, ſed quia improbatum.* Sed Roſveydus, qui in ſuis Vindicijs calamo nimium fauit, aduertere noluit prioris lapſum calami poſteriori reſtitutum, vt bella fingeret, quæ depugnaret, monſtra crearet, quæ conficeret; ètſi illud non ſatis feliciter. S.Aug. ep. 7.

Nam eſto, difficilis exiſtat aleæ, *iudicioſo perſuadere, Auctorem ipſum nomen ſuum ignoraſſe, vt nunc Geſen, nunc Geſſen, nunc Gerſen ſcripſerit, aut dictauerit*, difficile tamen non erit perſuadere, quod eſt frequentatiſſimum, magiſtrum rectè pronunciare, diſcipulum non rectè ſcribere; doctorem rectè dictare, amanuenſem non rectè excipere: vt ſi pertinax eſſe velim, aut ex eorum Stoa, qui quidquid volunt, ſanctum eſſe defendant, ſuſtinere poſſem, nihil extra veritatis cancellos a me prolatum ea parte, qua ſcripſi, Aronenſem Codicem dictante Gerſenio, ab alio conſcriptum fuiſſe. Nam, ſi erratum fuit in nomine, non dictantis Gerſenij, ſed amanuenſis excipientis error fuit, qui nomen Gerſenis verè, & genuinè pronunciatum, non verè, ſed erroneè deſcripſit.

Sed hæc non moror, quo liberali concedam manu Roſveydo, quæcumque fecit. Affirmatne Aronẽſem Codicem a Gerſene ſcriptum non fuiſſe? annuo: nec dictatum? annuo: nec viſum? annuo. Quid inde conficiet? perantiquum non eſſe, aut vetuſtiſſimum? nullo modo: Nulla enim Logica ſequitur: Aronenſis Codex a Gerſene nec ſcriptus, nec dictatus fuit, ergo nec perantiquus eſt, nec vetuſtiſſimus. Potuit enim ab alio Amanuenſi quopiam

de-

deſcribi, iuniori quidem Gerſene centum annis, totidemque Kempenſi ſeniori, quique vetuſtate pariter, & antiquitate venerandus fuiſſet, & anteuertiſſet milleſimum trecenteſimum annum.

Contra tamen nititur Roſveydus, & Gerſone Cancellario Pariſienſi recentiorem eſſe contendit; quod ex libro ipſius nomine inſcripto deſumptus fuiſſet. Ipſum vt hoc probet, ad auguria aduerſis auibus conuerſum, audi: *Quod ſi mihi quoque augurari licet, dixerim, librum eum (Aronenſem Codicem) deſcriptum ex libro, qui Ioannis Gerſen nomen præferebat, ſiue impreſſus ille, ſiue manuſcriptus fuerit.* Licuit tibi diuinare, Roſveyde, augurari licuit, ſed quia nullæ aues viſuntur proſperæ: nulla, inquam, argumenta producis, quæ ratum faciant auſpicium, lituus inauſpicatus, fallax ala, vanus garritus fuit. Nos igitur multiplici argumento inſtructi, meliori augurio pronunciamus: Aronenſem Codicem *ex libro, qui Ioannis Gerſon nomen præferebat, ſiue impreſſus, ſiue manuſcriptus fuerit*, nec deſcriptum fuiſſe, nec potuiſſe deſcribi, quod ad hunc modum comprobamus. Nã vbi gentium repererit vnquam Roſveydus manuſcriptum exemplar Libelli de Imitatione Chriſti ſub Gerſonis nomine,

Roſv. vind. c. 5.

e quo potuit Aronenſis Codex deſcribi? Exemplaria autem impreſſa ſub eodem nomine, cum anno primùm 1486. lucem aſpexerint, ſi ex ijs deſumptus fuit, infeliciter certè augurati ſunt Bellarminus, Poſſeuinus, & Roſignolus, qui vetuſtiſſimum, & perantiquum eum obſeruarunt. Secundò, Impreſſi omnes (quos vidi plures) ſnb Gerſonis nomine, ſemper adiunctum habent Cancellarij Pariſienſis titulum, nomen Abbatis nulli, idemque exiſtimandum de manuſcriptis ſub eodem nomine, ſi vſpiam extitiſſent; at Cancellarium Pariſienſem nunquam poſuit Aronenſis Codex, ſemper Abbatem. Tertiò, Geſen, Geſſen, Gerſen, ſcripſit ſemper Aronenſis, Gerſon, nunquam. At credemusne, tam incorrectum, ſtupidumque fuiſſe, vt perpetuò errauerit in proferendo nomine? nunquam verum attigerit? profectò non tam diligentia, quàm toto cerebro vacuus fuſſiet, ſi Gerſenem a Gerſone deſumprum ne ſemel quidem vero appellaſſet nomine; verumque Cancellarij titulum nunquam, falſum Abbatis ſemper appoſuiſſet.

Occurrit Roſveydus: *Et quàm facilè, inquit, fuit Scriptori Aronenſis Codicis ſcribere Gerſen pro Gerſon?* Optimè, nec nos illud inficiamur; non enim controuerſia fuit, fuiſſe, an difficile eſſet, Gerſe-

nem

nem pro Gerſone ſcribere, ſed an Gerſenis nomine inſcriptus Aronenſis Codex, ex Gerſone deſumptus fuerit; an ſcriptor ſemper errauerit in nomine? Et hoc ſolidè argumentando probare debuit, non augurando tantùm aſſerere, meliori auſpicio, & argumentis ratum facere, quàm nos vt irritum, vanumque reijcimus. Et hoc, quia nec fecit, nec facere vnquam poterit, facile eſſe Gerſenem pro Gerſonem ſcribere, fruſtra ingerit nobis, qui hac illius confeſſione ſupra deduximus, Gerſonem pro Gerſene imprimere, non fuiſſe difficile.

Pergit Roſveydus, & deſignata regione, obſeruatis auibus, captato augurio, pronunciat; *Vnde quoque conſequitur, nullum vnquam Ioannem a Gerſen Libelli huius Auctorem extitiſſe; niſi forte exſcriptor aliquis, vel herus huius libri eo nomine appellatus fuerit, qui nomen ſuum ita præſcripſit.* Bone Deus, hæccine verba: Incipiunt Capitula Libri primi Abbatis Ioannis Geſen: Incipit Tabula Libri ſecundi Abbatis Ioannis Geſſen: Incipit, &c. Abbatis Ioannis Geſſen: Explicit, &c. Abbatis Ioannis Gerſen: hæccine, inquam, verba, exſcriptorem libri, herumque indicant, an Auctorem? An non ridiculus eſſem, ſi ex ijs verbis, Vindiciæ

Kempenſes Heriberti Rosveydi, Roſveydum ego non Auctorem, ſed Herum, ſed Exſcriptorem Vindiciarum ſtatuerem? vel ſi proferri poſſet inſcriptio antiqua ad hunc modum: Thomæ a Kempis libri quatuor de Imitatione Chriſti; an non tota dignus eſſem Anticyra, ſi Kempenſem Libelli Herum aſsererem, Auctorem negarem? Profectò tota eruatur antiquitate vel vnicum exemplum, quo huiuſmodi verba: Incipiunt Capitula Libri primi Abbatis Ioannis Geſen. Incipit Tabula Libri ſecundi Abbatis Ioannis Geſen, &c. exſcriptorem indicant, aut libri Dominum, non Auctorem, & vincat Roſveydi lituus, ego mecum confringam.

Pluribus hæc non vrgeo: Vidit enim errorem Roſveydus, & magnus verſator in re puſilla metamorphoſim damnauit, Gerſenemque ex Hero, aut Amanuenſi in Gerſonem reuoluens. Et quia ſupra oſtendimus, Aronenſem codicem ab inſcripto Gerſonis nomine non potuiſſe deſcribi, quod addat ſemper, qui Gerſoni minimè conuenit, Abbatis titulum, Cancellarij prætermittat, qui ei proprius fuit, & augure malo coniectator non bonus, diuinare conatur ad hunc modum: *Quòd ſi quiſpiam præterea roget: Si Gerſon in Gerſen mutatus eſt, vnde Gerſoni nomen Abbatis adhæſerit? in*

Roſv. Vind. c. 5.

re

re incerta non niſi coniecturis vti licet. Quidni fieri potuit, vt ſcriptor ille in alijs incorrectus, ex propria opinione addiderit nomen Abbatis? quod videlicet aliquoties cum in his libris legeret, Monachorum meminiſſe, & ijs velut præcepta præſcribere. Vt ad hanc coniecturā reſpondeam: Primò dico gratis effingi illám. Nam tametſi verū fortaſſis eſſet, Aronenſem ſcriptorem indiligentem fuiſſe, & incorrectum, at falſarius, non fuit, vt ex ſuo adderet, titulumque fingeret Abbatis. Secundò, demus, eum re-uera exiſtimaſſe, Gerſonem Abbatis titulo inſigniendum (quod tamen longè abeſt à veritate) cur Abbatem cum ſcripſit, omiſit Cancellarium? nec enim hæc duo ſic aſyſtata erant, vt non poſſent conſiſtere, nec ſic oppoſita, vt ſe conuellerent: Vt ſi ex Gerſone Libellum deſcripſiſſet, eumque ſuſpicatus fuiſſet Abbatem, dixiſſet, Ioannis Gerſon Abbatis Cancellarij Pariſienſis, & Cancellarium ſibi iugaſſet Abbas, non exterminaſſet. Vel igitur fateatur nobiſcum Coniectator egregius ex ſuo nō addidiſſe nomen Abbatis Aronenſem ſcriptorem; vel edoceat, alterum horum cum appoſuerit titulum, alterum cur omiſerit? Abbatem cum ſcripſerit, non ſcripſerit Cancellarium? Hoc cum impoſſibilis eſſet alea, aliam ſubnectit coniecturam: *Quòd ſi, inquit, ea coniectu-*

ra minus placet, vide an hæc altera magis ſatisfaciat: Eius tituli occaſio fortè in quorundam animis oboriri potuit, quod Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis fratrem habuerit eiuſdem nominis, qui Prior fuit Cæleſtinorum Lugduni. Abdicit ſibi Roſveydus.

Nec enim quæſtio eſt, quid potuit in quorundam animis oboriri (cogitationes enim hominum & multæ & vanæ ſunt) ſed cur Aronenſis ſcriptor Gerſonem appellauerit Abbatem? An ſic argumentum inſtruit: Habuit Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis cognomine fratrem, Priorem Cæleſtinorum, ergo ſcriptor Aronenſis titulo Abbatis eum cohoneſtauit? Profectò hæc ſcribere debuit ſtupidiſſimus amanuenſis, incurioſus coniectator ſuſpicari. At ipſum cum fratre confudit, quod *Poſſeuino* accidit. Si verum illud, non Abbatem, ſed Priorem debuit appellare. Igitur ſiue eundem fratri, ſeu diuerſum ſcriptor exiſtimauerit, futili, nullaque coniectura contendit, & concludit Roſveydus: Abbatem eum ab Amanuenſi vocatum, quia frater illius Prior fuit. Hanc etiam cum vidiſſet coniecturam nihil habere roboris, tertiam ſubiungit, his verbis: *Legerant in Gerſonis Operibus, in cauſis, ob quas Cancellariam dimittat, quòd Prælatura aliqua præ-*

di-

ditus fuerat; & mox: *Non tamen fuerat Prælatura ea Abbatia, ſed potius Decanatus Canonicorum*. Sibi aduerſarius eſt Roſveydus: Si enim Prælatura illa Abbatia non fuit, cur Abbatis nomen ſcriptor affingeret? ſcapham quidem ſcapham, vt in Prouerbio eſt, ficum ficum appellare permiſſum non ſemel; at Decanum Canonicorum, Abbatem inſcribere, nemo præter inſaniſſimum amanuenſem volet, præter Roſveydum credet nemo.

Proinde, Roſveydus cum nihil aſſeruerit contra antiquitatem, auctoritatemq. Aronenſis Codicis, manebit ſua dignitas illi, magna vetuſtate venerandus erit, atque integra digniſſimus fide. Atque adeo Ioannes Gerſen ab eo Auctor inſcriptus, & aſſertus Libelli de Imitatione Chriſti, optimo iure talis aſſeri debet, & procul omni dubio ab omnibus in poſterum haberi illius Auctor verus, non fabuloſus; perantiquus & vetuſtiſſimus, non recens, aut nouiter cuſus; Abbas non Cancellarius, aliusque omnino & diſtinctiſſimus a Gerſone Pariſienſi.

Ex quibus etiam patenter apparet, quàm facili calamo Henricus Spõdanus (vir alioqui doctus & eruditus) Tomo ſecundo ſuorum Annalium, de Thoma Kempenſi hæc affirmans: *Sicuti & inutili labore fatigarunt ſe ſe, qui prædictum Commentarium*

Henr. Spõd. opinio de Thoma Kẽpen. Annal. Tom. 2. ſub an C. 1471. n. 15.

(de

(de Imitatione Chriſti) alicui alij, quàm ipſiſſimo ipſi adſcribere voluere. Ita ille. Sed quod nos ad veritatem cōſtabiliendam iuſto labore confecimus, vt antea tribus editis Concertationibus, ita nunc noſtra hac etiam Apologia iam ſatis, ſuperq́ probatum voluimus, legitimum libri de Imitatione Chriſti Auctorem fuiſſe Ioannem Gerſenem de Canabacco, Abbatem ſancti Stephani Vercellenſem, Italo-Benedictinum. Qua de re ea Spondani verba potius ad eūdem ipſum retorqueri deberent, cum reuera is inutili labore fatigauerit ſe ſe, dum tres Tomos Annalium vti Continuator (ſicut ipſe aiebat) ad Cardinalem Baronium, totidē ferè verbis exſcripſerit ex Annalibus Magiſtri Fr. Abrahami Bzouij de ſacro Prędicatorum Ordine Viri eruditiſſimi.

Vt falſa reijcitur.

Mag. Abrahamus Bzouius Script. Annal. poſt Car. Baron.

Reſpondetur Libello ſupplici RR. PP. Canonicorum Regularium exhibito Eminētiſſimis & Reuerendiſſimis S. R. E. Cardinalibus ſacræ Congregationis de Propaganda Fide, ex primo Capite præſentis Opuſculi deducto. Cap. XIII.

QVod vnum pro coronide reſtat, Libello ſupplici VV. PP. Canonicorum Regularium reſpondemus. In eo duo illi conantur præſtare: & Libelli Auctorem fuiſ-

fuiſſe Kempenſem, & non fuiſſe Gerſenem. Primum inde probant: quia Thomæ adſcriptus fuit a ducẽtis annis, vt docent antiqui codices, grauiſſima teſtimonia, communis fama, antiqua traditio ſemper hactenus cõtinuata.

Sed hæc omnia nihil prorſus pro Thoma efficiunt, vt luculenter ſuperiùs oſtenſum eſt. Nam, Codices illi (ſiue Autographos Kempenſes intelligant) ſiue conſideremus ſubſcriptum Thomæ nomen, quod ipſe nequaquam addidit opuſculis, quę compoſuit, ſed quæ deſcripſit: ſeu titulum de Imitatione Chriſti Thomæ Autographi, quo ipſi, Roſveydo fatente, defecti ſunt: ſeu numerum librorum, *quem nulli (vt idem inquit) manuſcripti aſſerunt*: ſiue ordinem, *quem nullum certum, eodem aſſerente, Auctor ipſe in ſuis Autographis præſcripſit*. Illi ipſi, inquam, Codices certiſſimè euincunt cõtrarium, atque ipſi volunt, demonſtrantque, dictos Kempenſis Autographos archetypos non eſſe, nec a Thoma compoſitos, ſed deſcriptos. Atque hoc concedere debent Canonici Regulares; niſi Thomam velint Libellum numero confuſum, defectum ordine, titulo mancum ſcripſiſſe, & ſubſcripſiſſe probent ſuorum alicui opuſculorum; quod Roſveydus, inuictus, vt ipſi autumant, eorum pugil, negat: Sin autem

non

non de Autographis Kempenſibus, ſed de exemplaribus ſcriptis aliena manu, illius autem circumlati præfixo nomine, ſermo eſt; de illis, quod de grauiſſimis teſtimonijs idem eſto iudicium. Vtraque enim, falſis illuſa crepundijs, faſcijsque, partum Thomæ a Kempis ſuppoſuerunt non ſuum; vt
ff. lib.48.tit. 10.l.19. tametſi antiqua fuerint, *accuſatio tamen ſuppoſiti partus nulla temporis præſcriptione depellitur; nec intereſt, deceſſerit nec ne quæ partum ſubdidiſſe contenditur*: Si
Card Baron Annal.Tom. 12.ann. 1125 plurima, *non numero hiſtoricorum* (*inquit Card. Baronius*) *veritatem hiſtoriæ conſueuimus æſtimare, ſed quanta fide polleat primus Auctor cuiuſlibet aſſertionis; nam reliquos primum ſequi Auctorem, & eius veſtigijs inhærere, frequentiori in more poſitum reperimus*. Et nos Buſchium, cuius fide tota hæc de ſcripto a Thoma Libello de Imitatione Chriſti aſſertio nititur & conſiſtit, proſtrauimus ſupra, & lapſum illum alijs lapſandi anſam dediſſe demonſtrauimus. *Famam communem, non dicam cum Niceta Coniate, veritatem ſæpius opprimere, aut tam ficti, prauique*
Nicetas cognatas. *tenacem eſſe, quàm veri nunciam*. Sed illam Kempenſi non adſtipulari. Nam vel de ea loquimur, quæ viget hodierno die, vel quæ Patrum æuo ſe dilatauit: De hac ſermonem ſi inſtituamus (vt miſſos faciam

ciam manuſcriptos Aronenſem, Mantuanum, Leo Allatianum, & Ianuenſem, Codices, qui omnes contra aſſertam hanc pro Thoma famam communem militant. Roſveydum audi: *Vetuſtiſſimæ, inquit, editiones librum hunc Ioanni Gerſoni inſcripſere.* Et mox: *Qui error apud plurimos Typographos inualuit vſque ad noſtra penè tempora.* Deinde, ſi in Angliam concedamus, inueniemus Thomam Morum, ſummum illius Inſulæ ruentis decus, & vniuerſæ literaturæ principem virum, allegantem librum de Imitatione Chriſti ſub nomine Gerſonis his verbis: *Optimum eſſet, ſi vulgus indoctum (quantum ei per alia negotia permiſſum fuerit) occuparet ſe in oratione & meditatione & lectione eorum librorum, qui Anglico idiomate ſcripti, præcipuè nutrire poſſint deuotionem, quales ſunt: Bonauentura de Vita Chriſti; Gerſon de Imitatione Chriſti; & deuotus ille, & magnæ contemplationis liber, dictus Scala Perfectionis.* Sub eodem etiam nomine in Gallia impreſſus aliquoties fuit. In Hiſpania Didacus Perez Theologiæ Doctor & interpres ſacræ Scripturæ, parte 4. Monitorum Spiritualium Cap. 5. ſic habet: *Illud verò conſilium in primis ſuſcipiat, ſi fieri poteſt, nullum vt diem tranſire patiatur, in quo lectioni* an-

Roſv. Vind. c. 4.

Tho. Morus.

aurei illius Libelli, qui ſub nomine Gerſonis circumfertur, aliquantum temporis non impertiat. In Luſitania, Ludouicus Gonzales, qui rogatu Ioannis III. Regis Acta ſancti Ignatij annotauit: *Solitum, inquit, fuiſſe B. Patrem quotidie legere vnum Caput ex Libello Ioannis Gerſonis*. Et poſtea: *Agnouerunt in eius Vita viuam maginem expreſſam Libelli Ioannis Gerſonis, cuius lectionem commendabat omnibus quibuſcum tractabat*. In Germania Trithemium vidimus, dum Seniores introducit in ſcenam ſuos, aſſerentes, Libellum a Senioribus itidem eorum lectum, eum a Thoma abiudicare. In Italia verò ipſemet Roſveydus fatetur: *dictum Libellum nomine Gerſonis notiorem eſſe*.

Iam verò ſi per noſtra tempora, & anno 1600. citeriora diſcurramus, Bellarminus, Roſignolus, Poſseuinus, & Orlandinus, in Italia. In Gallia Dominus de Marigliac, Cuſtos Magni Sigilli Franciæ, P. Franciſcus Valgrauius Benedictini Ordinis, Monachus Anglus. E Sicilia, quicumque is fuerit e Societate I. qui Librum ſub nomine Gerſonis edidit. In Germania, Gregorius Abbas Otemburanus, qui Libellum centum manuſcriptis e Bibliothecis Germaniæ collatum, Gerſeni vindicauit iuſta Apologia, quam tamen morte

præ-

præuentus, non potuit his Germaniæ tumultibus in publicam lucem edere. Et Romæ, quia Romam potiſſimùm, aduerſarij appellant, D. Iulius Cæſar Rainerius in opuſculo ſuo, cui nomen fecit; Praxin ſpiritualem Imitationis D. N. Ieſu Chriſti, extractam ex aureo libello Ioannis Gerſonis: *Opuſculum hoc, inquit, a me redactum in compendium, attribuitur communiter Ioanni Gerſoni Cancellario Pariſienſi, & ſecundum alios Thomæ de Kempis, Belgæ, Canonico Regulari; maiori tamen probabilitate creditur, verum illius Auctorem fuiſſe alium Ioannem Abbatem de Geſſen, ſiue de Gerſen; vnde nominis amphibologia attributus poſtea fuit Ioanni Gerſoni.* hæc ille. Nos autem in hac pugna aliqua pars fuimus, clarèque noſtro & opere, & exemplo demonſtrauimus, cauſam aduerſarios non euincere communi fama, quæ, ſeu tempora conſideremus, ſeu loca, ſæpè pro Ioanne Gerſene fuit, ſæpiſſimè contra Thomam a Kempis. Fateor equidem, a triginta plus minus annis, cum rationibus non poſſent, & documentis ſolidis Kempenſi librum vendicare, repetitis multoties impreſſionibus, idque celebrioribus Europæ in Vrbibus, & notioribus prælis, ſub illius nomine id conatos, vt animis hominum (qui vltra corticem,

Iulius Cæſar Rainerius.

& ſuperficiem, librorum, inquam, frontem primam non inquirunt) inſererent, & perſuaderent, Thomam a Kempis verum illius Auctorem eſſe, & famam eo facto extenderent, redderentque frequentiorem; ſicque effectum, vt quæ parua metu primo fuerat, mox ſeſe in auras attolleret, & e minimo ſua per mendacia creſcere in immenſum conaretur.

Iam verò ad traditionem quod ſpectat, eam fateor ex ſelectioribus telis vnum, quo vel proſternatur falſitas, vel veritas propugnetur. At traditionem volo, quæ antiqua ſit, vniuerſalis conſentiens; his enim defecta ſymbolis, nulla, & eneruis nihil prorſus efficiet, aut comprobabit. His autem inopem eſſe, & conſequenter futilem, caluamque, quam aduerſarij allegant traditionem eadem argumenta probant, quæ oſtenderunt, famam non fuiſſe communem. Quomodò enim vniuerſalis, & conſentiens traditio eſt, quæ paſſim per Europam, idque omni æuo, plurimos habuit viros optimos, & doctiſſimos, qui contradicerent, plurima præla, quæ aduerſarentur, plurimam famam, quæ eſſet contraria? Antiqua autem ſi eſſet, certè, & antiqua illa eſt, quæ Gerſoni librum adſcribit; antiqnior, quæ Gerſeni; omnium autem antiquiſsima, quæ Trithemij, Sancto-

ctorum Thomæ, & Bonauenturæ innixa, auctoritate tradit & demonſtrat, Thomam Kempenſem non potuiſſe Libelli Auctorem fuiſſe, quem eorum Seniores, qui Trithemio Seniores fuerunt, legerant, Sancti Doctores, Angelicus, & Seraphicus allegauere. Cum igitur *verum eſſe non poſſit, quod falſo principio infirmatur, nec efficax ad probandum, quod debitis videatur circunſtantijs*, non vera, non ſolida, ſed falſa, & friuola erit traditio, quam aduerſarij iactant; ab illis ſolis continuata, qui ſua intereſſe putant, Thomam Libelli Auctorem conſtitui, atque illud vt obtineant apud vulgum, nullam artem, nullam induſtriam prætermiſſam volunt. L. Cũ filius. §. Hæreſ. ff. de Legat.

Secundus, vt dixi, conatus Libelli ſupplicis Canonicorum Regularium, eijcere tentauit Gerſenem e poſſeſſione, quam pluribus monumentis aſſertam, ratam ei, certamque fecerat Apologia noſtra: atque illud inde deducit, *quòd nos nullo ſolido nixi fundamento eum ſubſtituere contendiſſemus, nouum de nomine ignotum, hactenus incognitum, primò Ioannem Geſſen, nunc Ioannem Gerſen, Abbatem Vercellenſem dictum, illudque poſtquam Eminentiſsimus Bellarminus priorem retractauiſſet ſententiam, ac Thomæ Libellum reſtituiſſet*. Quocumque ego fundamento

L 2 Ger-

Gerſeni erexi triumphalem arcum, cuius Lectori arbitrium eſto, ipſi certè debili prorſus videntur innixi, cum hæc aſſeruerunt. Nam demus, nomine ignotum, incognitumque diu fuiſſe, nullo hoc impedimento erit, ne Auctor fuerit. Nam ignotus diu fuit Abbas Vrſpergenſis, de quo Bellarminus: *Abbas Vrſpergenſis, cuius nomen diu fuit incognitum; ſed tandem Conradum eſſe innotuit, viuebat tempore Innocentij Tertij.* Ignotusque, incognitusque diu, de quo Theophylus Raynaudus, Oculus myſticus Reuerendi P. D. Raymundi Iordani, Canonici Regularis, primum Præpoſiti Vticenſis, deinde Abbatis Cellenſis, qui hactenus Idiotæ nomen protulit, ſcribebat anno 1381. Theophilus Raynaudus e Societate Ieſu edidit, diſtinxit, labem ſuppleuit. Latebat & etiam in tenebris Idiota tempore Bellarmini: Qui Idiota, inquit, nomine proprio ex humilitate ſuppreſſo, ſcripſit libros quinque contemplationum valde pios, & eruditos. Nec tamen negauit quiſpiam, aut hunc, aut Conradum, ſiue Iordanum, quamdiu nomine incogniti fuerunt, veros, germanos, genuinosque Auctores fuiſſe. Ita pariter de Gerſene philoſophandum, qui verus Auctor potuiſſet fuiſſe, tametſi fuiſſet ignotus: ignotus tamen non fuit, quem

Card. Bellarm. lib. de Scriptor. Eccleſiaſt.

Idem vbi ſupra.

Aro-

Aronenſis, Mantuanus, Ianuenſis, & Leo Allatianus, Codices clara in luce conſtituerunt; & Bellarminus, Roſſignolus, Poſſeuinus, e Societate Ieſu præclara lumina, ſuis teſtimonijs illuſtrarunt: qui dum fatentur, illum vetuſtiſſima, & perantiqua inſcriptione notum eſſe, nouum non eſſe, certiſſimè demonſtrarunt.

Inconſtantia nominis, nunc Geſſen, nunc Gerſen, leuiſſimi momenti eſt: Nihil enim ſollemniùs apud Scriptores, quàm vt idem Auctor varia orthographia proferatur, & pronuncietur. Nam Euſtathium, aliàs Euſtachium inuenies; ſic qui alijs Eginardus, alijs Eynardus eſt; Aldalinus, ſiue Adelinus; Ildephonſus, ſiue Illefonſus, & Alfonſus; Laudulfus, ſiue Ludulfus, inquit Bellarminus; Idacius, ſiue Ithacius; Heſychius, ſiue Iſychius. Et ſumas tantùm in manus eos, qui cenſum egere Scriptorum, & nulla non pagina huiuſmodi exempla inuenies. Vt nihil habeat admirandi, Ioannem Vercellenſem Abbatem, nunc Geſſen, nunc Gerſen vocatum. Etſi reuera exiſtimem, Gerſenem appellatum, quod, præter Aronenſem Codicem, ita illum Mantuanus inſcribat; & toties repetita impreſſio ſub nomine Gerſonis, in quem facilior Gerſenis tranſitus, ita illum dictitat inſcribendum.

Num reuera ſententiam refixerit ſuccedaneo teſtimonio Bellarminus, Thomæque Kempenſi reſtituerit Libellum, dubitat Auguſtinus. Nam ſupra oſtenſum; extra fidem non eſſe, quod illius nomine venditant, non ab eo aſſertum; ſed illius Operibus inſertum aliena manu. Sed eſto, illius certiſſimè exiſtat; & habeatur: vt Bernardus, ita Bellarminus omnia non vidit; nec eo peruenit eminentiæ, & auctoritatis, vt regula haberi poſsit, & debeat Fidei, ſeu Diuinæ, ſeu humanæ, illiusque vnius auctoritate, quidquid eſt in hiſtoria veritatis, ſtet, aut cadat. Et nos, qui magnum planè virum fatemur eum; & ſanctitate, & doctrina, & auctoritate, cum maiori tamen Auguſtino exiſtimamus: *Nullum Auctorem tantæ veritatis eſſe, & auctoritatis, a quo nequeat diſſentiri, niſi idoneis argumentis veritatem aſtruat, quam producit.* Quod cum non faciat Bellarminus; mirum eſſe non debet, ſi ipſi palinodiam canenti (ſi verum exiſtat, quod eam cecinerit) non concinamus; ſi deſeramus eum, nullo aſtruentem, quæ aſſerit argumento ſolido; & certiori perſuaſioni adhæreamus, firmiſſimis documentis probatæ: Magnus enim licet ipſe, & amicus olim, maior tamen, & magis amica veritas.

S. Aug. Ep. 3. ad Fortunatian. de videndo Deo.

Deſinant igitur Canonici Regulares nos

po-

poſtulare velut ingentis criminis, quod cum Bellarmino non ſimus, vt ſimus cum veritate: deſinant ſugillationibus agere, & querelis, quæ & multum in ſe continent falſitatis: nulla enim Apologia noſtra in Germania, aut Italia repulſam paſſa, a Magiſtro Sacri Palatij manſit ſuppreſſa; (nam duas cum ediderimus, altera Romæ, & approbata fuit, & impreſſa cum ipſo libello de Imitatione Chriſti ſub nomine, & titulo Ioannis Gerſenis; altera in Germania) non ſubdolè agimus, qui palam loquimur; non Vrbis ſubterfugimus cenſuram, qui ad eam confugimus, & ſeriò optamus tota hac controuerſia Vrbis arbitrio decidatur: & vna oſtendant, tantùm candoris deſiderari in Aduerſarijs, quantum in eorum ineſt cauſa infirmitatis, & errorum. Deſinant tandem, cum rationibus, & argumentis, & rationibus non poſſint, impreſſione multiplici veritatem obruere, & Gerſene iniuriâ eiecto, non iure, ſed facto, Kempenſi perennare poſſeſſionem: & candidè nobiſcum agant, collato pede, ratione, & auctoritate, ſolidis eruditorum armis, vnius amore indagandæ veritatis, quæ velut e bello pax, e lite amicitia, ex amica hac, & mutua concertatione pulcherrima prodeat, & ſolidiſſima ſtabiliatur. Illi enim noſtra deſu-

dat opera, illi laureas quærimus, & triumphos.

Conſilium, & Methodus Ioannis Gerſen Abbatis Benedictini, Auctoris, in ſuis libris de Imitatione Chriſti.

Caput XIV.

METhodum Diuini huius libelli in ius vocatum exulare voluit Roſveydus, vt ſupra vidimus: *Auctor, inquit, dum hæc ſcriberet, nullam ſibi hic methodum præfixiſſe, planè mihi perſuadeo.* Eam igitur non tam diſputando, quàm coram exhibendo (quod omni fortius argumento) probare animus eſt: idque non noſtro, ſed aliorum Doctorum virorum calamo delineatam; vt tam eorum auctoritate, quàm noſtro calculo clariùs eluceſcat ea, fortiùſque ſtabiliatur.

Roſv. Vind. c. 15.

Methodus practica Librorum de Imitatione Chriſti Venerabilis viri Ioannis Gerſen Itali Abbatis Benedictini; in qua homo ad ſummum perfectionis Chriſtianæ culmen gradatim perducitur.

Ex l.b. noſtro edit. Romæ A. 1616.

Quam profitemur Ieſu Chriſti Domini noſtri Imitationem, Ioannes Gerſen perfectiùs; quàm multi alij complexus eſt; cuius paruum Libellũ pij viri multis multorum magnis aliorum Voluminibus deper-

perfectione agentibus anteponunt: ſed ordinem, ac methodum in eo multi deſiderant; non quòd illi deſit, ſed quòd adeo ſublimis ſit, vt multos effugiat: Tradit enim Imitationem Chriſti practicè: quem docendi modum is optimè aſſequitur, qui opere quæ legit, exequitur: Mea quidem ſententia, ſecutus eſt in hoc Opere Gerſen methodum naturalem, & neceſſariam, incipiendo à primo, & imperfectiori gradu Imitationis Chriſti, & aſcendendo paulatim vſque ad vltimum, tanto ordine, vt, qui alium in perfectione acquirenda tenuerit, vel eam non aſſequetur, vel adeptam facilè perdet. Sicut enim turris abſque fundamentis ſupra arenam ædificata, diu ſtare non poteſt, ita neque abſque fundamentis ædificium perfectionis. Ob quam cauſam primò agit de vita purgatiua, quæ eſt initium, & quaſi fundamentum perfectionis: in qua introducit Magiſtrum vitæ ſpiritualis docentem, quia hæc vita non tam altè progreditur, vt videatur indigere immediato magiſterio Dei; & Diſcipulus adeo eſt ignarus rerum ſpiritualium, vt ei audire, & auſcultare Magiſtrum, potius quàm loqui, aut interrogare conueniat: Vita illuminatiua totam eruditionem doctrinæ ſpiritualis continet, ideo meritò introducitur Deus cum homine

loquens, quia in ea digna Deo traduntur documenta. Diſcipulus autem iam prouectus Dei documenta non tantùm aure excipit, ſed opere exequi conatur: in quo cum ſæpè magnas patiatur tentationes, & difficultates, quandoque pro gratia, & diuino auxilio, quandoque pro venia, & conſilio ad Deum recurrit. Vita vnitiua anima Deo vnitur, quod maximè fit participatione Corporis, & Sanguinis IESV Chriſti: in qua duo ſunt, præparatio ad vnionem, & ipſa vnio; vtrumque adeo magnum eſt, vt meritò introducatur Deus docens, & homo practicè exequens. Iam verò (vt ad ſingulas Vitas deueniamus) Purgatiuam in duas diuidit partes: in priori (quæ traditur toto primo Libro Gerſenis) de initijs Vitæ Purgatiuæ tractatur. In poſteriori (quæ traditur toto ſecundo Libro) de Progreſſu Incipientium quinque quaſi gradibus, ſeu capitibus continetur.

1 Quid ſit imitari, & ſequi Chriſtum.
2 Ne quis in Imitatione erret, Duce, & Magiſtro vtatur.
3 Quia Magiſter non prodeſt, ſi Diſcipulo deſit voluntas diſcendi, excitatur in eo deſiderium vincendi paſſiones.
4 Ex hoc deſiderio, & victoria, conſequitur propoſitum efficax non peccandi mortaliter, nec venialiter.

5 Hoc

5 Hoc propoſitum, timore Dei, & cordis compunctione ſolidatur. Progreſſus, & terminus huius *Vitæ* quatuor alijs gradibus, ſeu capitibus continetur.

6 Ex timore Dei oritur odium mundi, qui Deo aduerſatur.

7 Mundus neglectus perſequitur ſeruum Dei, qui eget, vt ſe defendat, patientia in aduerſitatibus, & perſecutionibus.

8 Qui aduerſitates conſtanti animo tolerat, erumpit in Chriſti dilectionem, & mentis dulcedinem.

9 Sed debet potiùs animum conuertere in hac vita ad Crucem Chriſti, quàm ad conſolationem: ideo docetur viam Crucis, & mortificationis deſiderare. Quod deſiderium eſt terminus Vitæ purgatiuæ.

Vita Illuminatiua, tota verſatur in Imitatione Chriſti: quem qui perfectè imitari vult, & vult perfectè purgatus eſſe.

1 Dei indiget colloquio, & interna orationis conuerſatione.

2 Ex ea conuerſatione erumpit in affectum humilitatis.

3 Humilitas omnem abijcit ſimulationem, & puritatem cordis, ac veritatem

tem introducit.

4 Veritas erumpit in Dei, & proximi amorem.

5 Ex hoc amore ſequitur odium ſui, & exercitium pœnitentiæ.

6 Quod exercitium, ne noceat, moderandum eſt deſiderio exequendi tantùm Diuinam voluntatem.

7 Vt eam quis exequatur, obedientiam auiditate magna complectatur.

8 Quæ perfecta eſſe nequit abſque indifferentia in rebus omnibus.

9 Ex indifferentia ſequitur perpetua pax animæ.

10 Ex pace ſequitur libertas ſpiritus.

11 Ex libertate ſpiritus ſequitur deſiderium volandi ad Chriſtum, & exuendi carnis ſarcinam.

12 Quod cum ita fieri nequeat, ſaltem ſolitudinem anima concupiſcit, vt ſola cum ſolo Deo conuerſetur.

13 In ipſa verò ſolitudine non iam beatitudinem poſtulat, ſed ſimul cum Chriſto in Cruce pendere, eiusq. doloribus inebriari.

14 Cui non proprijs meritis, ſed gratia, & miſericordia Dei, ſperat vſque ad finem vitæ copulari: quod eſt terminus omnis perfectionis.

Vita vnitiua, in perfecta vnione cum

Deo

Deo conſiſtit, quæ maximè habetur per ſuſceptionem corporis Chriſti: ad quam triplex præparatio requiritur.

1 Remota. 2. Proxima. 3. Coniuncta ipſi Communioni: & vtraque triplex.

Singulos hos perfectionis gradus Gerſen pluribus capitibus declarat: quos ſuo ordine ad alteram marginem annotabimus; ad alteram gradus, ſeu capita methodicè à nobis numerata. Hucuſque vir ille doctiſſimus, & deuotiſſimus.

Huic etiã accedit ſacræ Theol. Profeſſor eruditiſſimus, Franciſcus Valgrauius noſter, in ſuis Animaduerſionibus Apologeticis pro Ioãne Gerſene Abbate, ita ſcribens.

Scopus enimuerò Auctoris (quem non modò Monachorum Prælatum, verùm etiam Abbatis titulo inſignitum fuiſſe diximus) planè non eſt alius, quàm vt his quatuor Libris fratres ſuos Monachos ad ſupremam, quanta in hac vita haberi poteſt, Chriſti vnionem, ſeu charitatis perfectionem, conduceret: quæ Monaſticæ vitæ ſtatu, eiusque profectu, citiùs, certiùs, ſecuriùs acquiri ſolet. Hunc porro ſtatum, quem Chriſtus Dominus in Euangelio *ſui ſequelam* vocans, tribus perfici narrauit, Matth. 16. *Si quis vult venire poſt me,*

Franc Valgrau. in Gerſene §.5 pagina 36.

abne-

abneget ſemetipſum , & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Auctor hic noſter Chriſti imitationem nuncupans, libris tribus prioribus latiùs exponit, eiusque profectum feriò inculcat, & ad proficiendi feruorem inflammat. Quandoquidem verò proficiendi feruor maximè in frequentando Sanctiſſimi Corporis Chriſti Sacramento comparatur, Librum quartum adiecit, in quo religioſum, & maximè iam ſacris initiatum, ad Sacrificium & Sacramentum hoc ſuſcipiendum, & celebrandum familiariùs inuitat, ritè diſponit, & mirificè perficit. Hunc ſanè, neque alium prorſus Auctoris eſſe ſcopum, vel inſcriptionis argumentum, ex Librorum ordine ac methodo, per ſingulos deſcendendo breuiter aperiemus.

Libro primo. Præpoſito totius Operis ſcopo, ſub primis illius verbis: *Qui ſequitur me, &c.* a primo ſequelæ gradu exorditur, *Abneget ſemetipſum*, quem toto libro primo pertractat. Quibuſdam igitur ab ingreſſu, cap. 1. 2. & 3. de mundi, ſuijpſius, ac ſcientiæ ſæcularis contemptu præmiſſis, mox aggreditur ea, quæ ad exteriorem vitæ Monaſticæ conuerſationem, eiusque profectum faciunt; vt ſpeciatim, de Lectione ſacra, de Obedientia, & Subiectione, de Tentationibus nouiter conuer-

uerſorum, de Vita Monaſtica, de Exercitijs boni Religioſi, de Solitudine, & Silentio. Deinde ſtimulans ad cordis compunctionem, & contritionem peccatorum per conſiderationem miſeriarum huius vitæ, Mortis meditationem, Iudicij, atque inferni memoriam, cap. 25. & vlt. cuius argumentum eſt *De feruenti emendatione totius vitæ noſtræ,* id eſt, Monaſticæ, ad intentum rediens, ſic concludit: *Eſto vigilans, & diligens in Dei ſeruitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti, & cur ſaculum reliquiſti? nonne vt Deo viueres, & ſpiritualis homo fieres? Igitur ad profectum ferueas, &c.* Et eiuſdem capitis num. 6. *Memor eſto arrepti propoſiti, & imaginem tibi propone Crucifixi, &c.* Et num. 8. *Quomodò faciunt tam multi alij Religioſi, &c.* vſque ad finem capitis, & libri, quem ſententia iſta memoranda coronat: *Tantùm profeceris, quantùm tibi ipſi vim intuleris.*

Libro ſecundo, conſequenter ad illud Chriſti: *Tollat Crucem ſuam*, præmiſſa cap. 1. exhortatione ad introuerſionem, quam ſic exorditur: *Regnum Dei intra vos eſt, &c. Diſce exteriora contemnere, & ad interiora te dare, &c.* tractat gradatim de virtutibus, quæ ad interiorem Vitæ Monaſticæ conuerſationem, eiuſque

pro-

profectum conducere, & in ordine ad Prælatum, fratres, ſeipſum, atque Deum perficere ſolent. Exempli gratia, Cap. 2. De humili ſubmiſsione ſub regimine Prælati, Cap. 3. De pace cum alijs habenda, Cap. 4. De pura mente, & ſimplici intentione, Cap. 5. De propria conſideratione. Cap. 6. De lætitia bonæ conſcientiæ. Cap. 7. & 8. De amore Ieſu ſuper omnia, deque familiaritate eius, ac præſentia. Tandem verò, 9. & 10. deducit religioſam ad internam ſui abnegationem, carentiam omnis ſolatij, & humilem patientiam in ſubtractione gratiæ: *Quis, inquit, ſæcularium non libenter conſolationem, & lætitiam ſpiritualem acciperet, ſi ſemper poſſet? &c.* Deinde Cap. 11. Per paupertatem, ſpiritus nuditatem, & cordis exilium, ad viam regiam Sanctæ Crucis, de qua Cap. 12. & vltimo; vbi enarrata Crucis excellentia, neceſſitate, virtute: *Ecce, inquit, in Cruce totum conſtat, & in moriendo totum iacet, &c.* num. 14. & vltimo, de ſuo, & fratrum ſuorum profectu in hac regia via Sanctæ Crucis (quam lib. 3. Cap. 86. Vitam Monaſticam interpretatur, & Chriſtum per Crucem imitari) Caput ille, atque Librum, his verbis abſoluit: *Non ſtat meritum noſtrum, & profectus ſtatus noſtri (Monaſtici) in multis ſuauitatibus, & con-*

ſo-

ſolationibus, *ſed potiùs in magnis grauitatibus*, *& tribulationibus*, *&c. Omnibus igitur perlectis*, *& ſcrutatis*, *ſit iſta concluſio finalis*: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*.

Libro tertio (iuxta illud Chriſti, *& ſequatur me*) anima religioſa poſt mundi contemptum ad ſe introuerſa, & ab intus ambulans in via regia Sanctæ Crucis, ſeu mortificationis,ad veſtigia Chriſti preſſiùs ſequenda eruditur, dum mutuis colloquijs, Dei docibilis redditur. Vbi ergo, *internam Chriſti locutionem*, id eſt, ad Diuinas inſpirationes audiendas, & petendas, pro ſpirituali profectu neceſſarias ſe præparaſſet Capite primo: *Audiam quid loquatur Dominus Deus in me*, *&cæt.* Et capite ſecundo: *Loquere Domine*, *quia audit ſeruus tuus*, *&cæt.* Chriſtus præſtò eſt, qui paterno eum affectu interpellans, ad doctrinam ſuam audiendam ardenter excitat, dicendo, capite tertio: *Audi fili mi*, *verba mea*, *verba ſuauiſſima*, *&c.* Vbi poſt verborum ſuorum virtutem, & ſuauitatem expoſitam, eorumque neglectum mundo exprobratum, ſuæ eruditionis methodum, & ordinem proponit ad finem capitis his verbis: *Dupliciter ſoleo viſitare electos meos*, *tentatio-*

ne ſcilicet, & conſolatione: Et duas lectiones eis quotidie lego: Vnam, increpando eorum vitia; alteram, exhortando ad virtutum incrementa. Hac verò viſitatione, & doctrina continuò per orationem ibidem petitis; *Domine Deus meus, &c.* Sequenti Capite incipit docere ſectatorem ſuum Chriſtus, quo modo cum ipſo cōuerſandū ſit: *Fili, inquit, ambula coram me in veritate, & in ſimplicitate cordis tui, quære me ſemper, &c.* Et in hunc modum per totum libri reliquū, Anima religioſa nunc filij, vel amici, nunc diſcipuli, vel ſerui perſonam induta, per ſuauiſſima colloquia Chriſtum viciſſim audiendo, & interrogādo, ad proficiendi feruorem accenditur, & ad Chriſti ſequelam perfectiorem eruditur. Nō abſque ordine, aut methodo (vt minus rectè exiſtimauit Roſveydus) ſed ea peregregia, huic licet Auctori forſitan ſingulari, & a paucis admodum obſeruata; quia non ſolent plerique totius libri methodū, vel ſcopum, ſed præſentem dumtaxat cuiuſque Capitis materiam, inter legendum attendere. Et quamuis eam nos ob breuitatis ſtudium intermittendam duximus, quod ad præſens tamen inſtitutum videtur, aduertendum eſt: Quòd inter alias virtutes verè Religioſas, Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam, quas Capite decimo

mo ſummopere commendat, & ſequentibus latiùs explicat, frequens, & ferè totus eſt deinceps in virtutibus illis heroicis (quæ ſunt, Humilitas in proſperis, Patientia in aduerſis, in cunctis Reſignatio, & Conformitas ad Dei beneplacitum) docendis, & perſuadendis: quibus perfecta Chriſti imitatio, ſeu ſequela maximè elucet, tum liberæ mentis eminentia, huiusque vitæ pax, ac beatitudo comparatur; iuxta illud Chriſti Matt. 11. *Diſcite a me. quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* His itaque in toto Libro tertio pertractatis, ſub eius finem Cap. 56. ad ſemetipſum, & fratres ſuos Monachos verba conuertens ſub hoc titulo: *Quod noſmetipſos abnegare debemus, & Chriſtum per Crucem imitari*, Crucem per vitam Monaſticam explicando, huius, & præcedentium duorum Librorum ſcopum præclara hac methodo abſoluit: Primò Chriſtum deprecando: *Domine Ieſu Chriſte, quia arcta eſt vita tua, & mundo deſpecta, dona mihi tecum mundi deſpectum imitari. Non enim maior eſt ſeruus domino ſuo, nec diſcipulus ſuper magiſtrum. Exerceatur ſeruus tuus in vita tua, quia ibi eſt ſalus mea, & ſanctitas vera. Quidquid extra eam lego, vel audio, non me recreat, nec delectat plenè.*

Secundò, propoſitum ſuum circa ſequelam Chriſti renouando in hæc verba: *Domine, ſuſcepi de manu tua Crucem portabo eam vſque ad mortem, ſicut impoſuiſti mihi; verè vita boni Monachi, Crux eſt, ſed Dux Paradiſi; incœptum eſt, retro abire non licet, nec relinquere oportet.* Tertiò, ad Fratres cōuerſus ſic ·os.& ſeipſum cohortatur: *Eia Fratres, pergamus ſimul, Ieſus erit nobiſcum. Propter Ieſum ſuſcepimus hanc Crucem, propter Ieſum perſeueremus in Cruce. Erit adiutor noſter, qui eſt Dux noſter, & præceſſor. En Rex noſter ingreditur ante nos, &c.* Duobus deinde Capitibus ſequentibus præmunitis Fratribus aduerſus *puſillanimitatem*, ob lapſus fragilitatem; & præmonitis circa *curioſitatem* de altioribus rebus, & iudicijs Dei non ſcrutandis, Capite 59. & vltimo concludit: *Omnem ſpem, & fiduciam in Deo ſolo figendam eſſe*: cuius propterea vnius præſentiam, conſolationem, cuſtodiam deprecatur.

Libro quarto, hanc Chriſti imitationem, ſeu Monaſticæ vitæ profectum proſequitur Auctor, & efficaciùs inſtruit, & adhortatur, per realem cum Chriſto vnionem in Communione Euchariſtiæ, alterius illius ſpiritualis per charitatem vnionis cōſummatricem, & conſeruatricem. Poſt-

quam

quam igitur in perſona Chriſti inuitaſſet Religioſum ad Sanctiſſimi Corporis ipſius Communionem; & præmonuiſſet, Cap. 1. quanta cum reuerentia, deuotione, fide, ſpe, & charitate ſuſcipiendus ſit Chriſtus; Cap. 2 Quanta ipſius bonitas, potentia, ſapientia, in hoc Sacramento inſtituendo; Cap. 3. quot vtilitates ex eius frequentia; & Cap. 4. quanta bona præſtantur deuotè communicantibus; Cap. 5 agendo de Sacramentis, & Sacerdotalis ſtatus dignitate, Monachum, præſertim Sacerdotem iam factum, ad maiorem inde in diſciplina Monaſtica profectum, & perfectionem ſtimulat his verbis, ex Regula Sancti Benedicti Cap. 62. De Sacerdotibus Monaſterij, ferè ad verbum deſumptis: *Ecce Sacerdos factus es, & ad canſecrandam ordinatus, &c. Non alleuiaſti onus tuum, ſed arctiori iam alligatus es vinculo diſciplinæ, & ad maiorem teneris perfectionem ſanctitatis.* Deinde Cap. 6. & 7. præmiſſo exercitio de diſcuſſione propriæ conſcientiæ, & *emendationis propoſito*, Cap. 8. ſcopum ſibi ſemper præfixum repetens, ad Chriſti exemplum, & imitationem, per *perfectam ſuiipſius in Cruce oblationem, & reſignationem integram*, his verbis Chriſti loquentis commendat: *Quid magis a te requiro, quàm vt te ſtudeas mihi ex integro reſignare?*

re? quidquid præter teipſum das, nihil curo, quia non quæro datum, ſed te, &c. Ecce ego me totum obtuli Patri pro te; dedi etiam totum Corpus meum, & Sanguinem in cibum, vt totus tuus eſſem, & tu meus permaneres! ſi autem in teipſo ſteteris, nec ſponte te ad voluntatem meam obtuleris, non eſt plena oblatio, nec integra erit inter nos vnio, &c. Deinde hac oblatione Capite 9. in exercitium redacta (quod Ludouicus Granatenſis, vir ſanctiſſimus, & hoc noſtro ſæculo in illuſtranda Vita ſpirituali facilè princeps, vt omnibus ſuis numeris abſolutum commendat) in ſubſequentibus capitulis diſponitur, & præparatur anima religioſa ad vnionem iſtam per inflammata deſideria, & alia deuotionis exercitia ante & poſt Communionem, & Miſſam vſurpanda, vſque ad Caput 18. & Libri vltimum, vbi pro totius Operis epilogo breuiter ſubdit: *Fides, inquit, a te exigitur, & ſincera vita*, id eſt, Chriſti imitatio, iuxta Capitis ipſius lemma: *Quòd homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti, ſed humilis imitator Chriſti.*

Hactenus tam de Ordine Librorum quatuor de Imitatione Chriſti, quàm de Auctoris methodo, ac ſcopo. De quibus præterea obiter hoc in loco admonendum cen-

cenſeo, quòd etiamſi ab Auctore Monacho, & Monachorum Prælato in Religioſorum ſuorum gratiam, & ad eorum potiſſimè profectum elucubrati fuerint, eo tamen ſiue conſilio, ſiue induſtria concinnati, & ex ſpeciali proculdubio Spiritus Sancti ducta, & aſſiſtentia, vt cunctis, cuiuſcumque ſtatus fuerint, vel conditionis, ad perfectionis apicem aſpirantibus optimè inſeruire valeant. Nam præter virtutes religioſæ vitæ peculiares, perfectionis impedimenta remouentes, atque ad actualem mundi abdicationem reapſe neceſſarias, Paupertatem videlicet voluntariam, Caſtitatem, Obedientiam: quod verbum omnes non capiunt, ſed nec omnibus dictum eſt a Chriſto: *Vos, qui ſecuti eſtis me, &c.* Sed Apoſtolis tantùm, qui etiam ante Sacerdotium, teſte Auguſtino, votum hoc vouerunt potentiſſimi, & eorum ſectatoribus: præter, inquam, virtutes iſtas religioſas, etiam cætera quæcumque ad perfectionem Chriſtianam neceſſariæ, aut vtiles, citiùs, certiùs, & efficaciùs ex hoc Opuſculo, quàm ex quouis alio hauriri poterunt. Tanta eſt enim Libelli huius perſpicuitas, qui ſtylo ſimplici, nulloque verborum ornatu confectus eſt, vt eius intelligentia neminem effugiat: tantus verborum ſuccus, ſententiarum graui-

Matt. 19.

Aug. de Ciuit. Dei lib. 9. c. …

nitas, vt legentis attentionem potenter poſt ſe abripiat: tanta ſpiritualium delitiarum ſuauitas, vt numquam ſatiet eius lectio, vel nauſeam pariat: tanta præceptionum, & conſiliorum varietas, vt millies repetita, legentis animum mirificè delectet, Diuinæ ſanè Scripturæ non abſimilis. Præter ea, quæ dicta ſunt, latet in eo Diuina quædam, & occulta Spiritus Sancti virtus, quæ in legentis, & audientis mentem (modò id cum pietate, & attentè fiat) ita illabitur, vt eam penitus immutet, & a rebus creatis in Deum transferat. Hactenus Valgrauius noſter, doctus quidem Vir, & pius in gratiam noſtræ ſententiæ, tum Auctoris Librorum de Imitatione Chriſti.

Variæ lectiones Libelli de Imitatione Chriſti, e Codicibus, Aronenſi (per quem intelligimus Libellum a nobis Romæ impreſſum Anno C. 1616. ad fidem eiuſdem Codicis) Mantuano, Cauenſi, & Leo. Allatiano. Cap. XV. & *Vltimum.*

QVoniam verò Capite 18. Vindiciarum, Roſveydus comparationem inſtituit manuſcripti Cod. Italici Aronenſis, quo Nos vſi ſumus, cum Manuſcriptis Belgicis, quibus vnus eſt Sommalius, & idem

Roſ-

Roſveydus; Nos vtiliùs ſubijciemus varias lectiones, quæ & faciliùs cuiuſque editionis præſtantiam oſtendent: & quod magis e re præſenti, probabunt clarè, quod ſuperiùs Cap. 7. & 8. inſinuauimus, nec manuſcripta Kempenſia, nec horum vllum exemplariorum Prototypon fuiſſe. Vnde inſuper conficietur & Thomam Kempenſem legitimè excluſum poſſeſſione: & Autographum veri, & germani Auctoris antiquiſſimum fuiſſe; cum (vt alia exemplaria taceam) Aronenſe, quod peranti-quum, & vetuſtiſſimum fuit Bellarmino, & Poſſeuino, Apographum tantummodò exiſtat.

Literæ autem denotant: A, Aronenſem Codicem; C. Canenſem; L. Leo-Allatianum, M. Mantuanum.

Liber Primus. A. Incipit Liber Primus de Imitatione Chriſti, & Contemptu omnium vanitatum mundi, Caput I. C. In nomine D. N. Ieſu Chriſti: Incipit Libellus de Imitatione Chriſti, & Contemptu omnium vanitatum mundi. L. Incipit Tractatus Ioannis de Canabacco, de Imitatione D.N. Ieſu Chriſti, & Contemptu omnium vanitatum Mundi, & diuiditur in quatuor libros: Incipit Liber primus, Capur primum. M. Incipit Liber Ioannis Gerſen primus, De *Ex lib.* I.

Con-

Contemptu Mundi, & de Imitatione Chriſti, Cap. primum.
A. Si volumus. C. L. M. Si velimus.
A. C. L. In vita Ieſu. M. In vita Ieſu Chriſti.
A. L. M. Doctrina Chriſti. C. Doctrina eius.
A. Qui ſpiritum eius haberet abſconditum. C. L. M. Qui ſpiritum haberet abſconditum.
A. C. Qui ſpiritum Chriſti. L. M. Quia ſpiritum Dei.
A. C. Si ſcires totam Bibliam. L. M. Si ſcires totam Bibliam exteriùs.
A. C. L. Sine charitate, & gratia. M. Sine charitate Dei, & gratia.
A. Vnde poſtmodùm grauiter punitur. C. Vnde poſtmodùm grauiter puniatur. L. Vnde poſtmodùm oportet grauiter pœnitere. M. Vnde poſtmodùm oportet puniri.
A. C. Vitam ſperare, vel optare. L. Vitam optare. M. Vitam deſiderare, vitam optare.
A. C. Modicum curare. L. M. parum curare.
A. C. M. Solùm attendere. L. Attendere.
A. Gaudium eſt. C. L. M. Gaudium manet.
A. C. M. Satiatur. L. Satiabitur.

A.

A.M. De humili ſentire ſuijpſius. C.L. De humili ſcire ſuijpſius. *Caput* 2.

A. C. L. Timore. M. Timore Dei.

L. Melior. A.M.C. Melior eſt.

A. C. Saluti ſuæ. L. Saluti animæ ſuæ. M. Saluti propriæ.

A.C.L. ad Deum. M. apud Deum.

A. L. M. ni ſanctiùs vixeris. C. ni ſanctè vixeris.

A. L. M. ſunt plura. C. ſunt multò plura.

C. Altiſſima, & veriſſima. L. M. Vtiliſſima. A. Veriſſima.

A C. Alta. L. M. altè.

A. C. L. Videris aliquem. M. Videris alium.

A. C. L. non debes. M. non deberes.

A. Modica cauillatio. C. L. M. magna cauillatio. *Caput* 3.

A.C.L. fallunt, & modicum vident. M. fallit, & modicum videt.

A. C. M. vltro intendimus. M. Iubendi cupimus.

L.M. Quid curæ nobis de generibus? A.C. Quid nobis de generibus?

A.C. vno verbo omnia, & vnum loquuntur omnia. L. ex quo vno omnia, & vnum loquuntur omnia. M. ex vno verbo omnia, & omnia vnum loquuntur.

C. Omnia ſunt. A.L. M. Omnia vnum ſunt.

A. Quanto quis magis vnitus, C. Quanto

ali-

aliquis magis vnitus. L. Quanto aliquis tibi magis vnitus. M. Quanto aliquis ſibi magis vnitus.

A. C. L. ſine labore intelligit, &c. accipit &c. M. ſine labore intelliget, &c. accipiet, &c.

A. C. M. & hoc deberet eſſe negotium. L. & hoc eſt negotium.

A. L. M. Quandam imperfectionem annexam. C. quiddam imperfectionis annexum.

A. L. M. profunda ſcientiæ. C. profundæ ſcientiæ.

A. C. Quælibet rei notitia. L. M. Quælibet ſimplex rei notitia.

A. Plures magis ſcire deſiderant. C. M. L. plures magis ſtudent ſcire.

A. C. L. Ideo ſæpius errant. M. Immo ſæpè errant.

A. C. Sicuti mouendi quæſtiones. L. M. Sicut ad mouendum quæſtiones.

A. C. M. non fierent. L. tunc non fierent.

A. M. Benè diſcimus. C. L. Benè diximus.

A. C. Omnes illi magiſtri. L. M. Omnes illi Domini, ac Magiſtri.

A. Studijs. C. L. M. in ſtudijs.

A. C. In hoc ſæculo. L. M. In ſæculo:

A. L. M. & quia magis eligunt. C. quia eligunt.

In Codd. Aronenſi, & Cauenſi deſunt: Verè

ma-

magnus eſt, qui magnam habet charitatem: Alij MSS. habent.
L. terrena. A. C. M. omnia terrena.
A. C. M. & ſuam relinquit. L. & ſuam voluntatem relinquit.
A. L. M. de prudentia in agendis. C. de prudentia in legendis. *Caput* 4.
A. Labilem, ſiue debilem. C. L. M. labilem.
A. C. humilior fuerit, & Deo ſubiectior. L. humilior, & Deo ſubiectior eſt. M. Quanto quis humilior, & Deo ſubiectior.
A. C. L. In omnibus erit ſapientior, & pacatior. M. In omnibus erit, & placatior.
A. L. M. de lectione ſanctarum Scripturarum. C. de lectione Scripturarum. *Caput* 5.
A. M. eo ſpiritu debet legi. C. ex ſpiritu debet legi. L. in ſpiritu debet legi.
A. C. Ita deuotos. L. M. Ita libenter deuotos.
A. C. M magnæ literaturæ. L. magnæ ſcripturæ.
A. C. L. quid dicat, attende. M. quid dixerit, attende.
A. C. excutere. L. M. diſcutere.
A. Si vis profectum, ſiue perfectum haurire. C. L. M. profectum haurire.
A. L. M. tacens verba Sanctorum. C. tacens

cens verba.

M. diſpliceant parabolæ. A. C. L. diſpliceant tibi parabolæ.

Caput 6. A. L. de inordinatis affectibus. M. de ordinatis affectibus.

A.C. quandocumque enim. L.M. quandocumque.

A. M. L. in rebus paruis, & vilibus. C. in verbis paruis, & vilibus.

A. C. infirmus ſpiritu. L. M. infirmus in ſpiritu.

A. C. quodammodò carnalis. L. M. quodammodò adhuc carnalis.

A. M. leuiter etiam indignatur. C. L. leuiter etiam dedignatur.

A. C. L. proſecutus fuerit. M. conſecutus fuerit.

A. L. M. nihil iuuat. C. non iuuat.

Caput 7. A. confidas in tua ſcientia, vel cuiuſquam aſtutia viuentis. C. confidas in tua ſcientia, vel in cuiuſcumque aſtutia viuentis. L. confidas in tua ſcientia. M. confidas in tua conſcieutia, vel in cuiuſcumque aſtutia,

A. C. non glorieris. L. M. ne glorieris.

A. Non ſuperbies de operibus tuis. C.L. M. non ſuperbies de operibus bonis.

A. vt hominibus te ſupponas. C. vt omnibus te ſupponas. L. M. Si te omnibus ſupponas.

A.

A. L. coram Magnatibus. C.M. coram Magnatis. *Caput* 8.

A. L. M. cuius tamen præſentia. C. tamen præſentia.

A. curre alio, vel ibi. C.L. M. curre hic, vel ibi. *Caput* 9.

A. C. L. locorum, & mutatis. M. locorum, & multos.

A.M. ſed velis etiam libenter ſenſum. C. ſed velis etiam aliorum ſenſum. L. ſed fortè velis etiam libenter.

A. L. M. ſecuriùs eſſe. C. ſecuriùs eſt.

A.M. poteſt etiam. C. L. poteſt enim.

A. C. ſuperbiæ, aut pertinaciæ. L. M. ſuperbiæ, & pertinaciæ.

A. L. M. pluries tacuiſſe. C. pluribus tacuiſſe. *Caput* 10.

A. L. M. tam libenter. C. tam ſollemniter.

A. C. M. libet loqui. L. libet nos loqui.

A. C.L. vigilandum eſt, & orandum. M. vigilandum eſt ne tempus.

A. L. M. de pace acquirenda. C. de pace quærenda. *Caput* 11.

A. factis, & quæ ad noſtram. C. L. M. factiſque ad noſtram.

A. C. M. in pace manere. L. in pace viuere.

A. L. M. multam pacem habebunt. C. ipſi pacem.

A. L. M. Morrificare ſeipſos. C. Mortifica-

care ſe.

A. M. non accendimur. C. L. non attendimus.

A. L. M. nos fuiſſe inueniamus. C. nos fuiſſe.

A. malam dediſſe conſuetudinem. C. malam deſiſte conſuetudinem. L. malam noli ediſcere conſuetudinem. M. malam deſere conſuetudinem.

Caput 12. A. Bonũ nobis eſt, quod patiamur. C. L. M. Bonum eſt, quod patiamur.

A. *L.* M. Et quod malè. C. & malè.

A. *L.* benè nobis creditur. C. benè nobis quæritur: M. non benè de nobis creditur.

A. M. Multas humanas conſolationes. C. L. Multas conſolationes.

A. M. aut malis cogitationibus affligitur. *C.* & a malis cogitationibus infligitur. *L.* & cogitationibus malis affligitur.

Caput 13. A. C. tunc enim benè. *L.* M. tunc etiam benè.

A. *L.* M. ſæpè valde vtilis. C. valde vtilis.

A. M. C. ad patiendum habemus. *L.* ad patiendum habebimus.

A. M. *L.* Felicitatis noſtræ perdidimus. *C.* felicitatis perdidimus.

A. C. tentationes accedent. *L.* M. tentationes redient.

A.

A. ſed oſtium mentis. C. M. ſi oſtium mentis. L. ſi intra hoſtium,

M. cum mala per longas inualuere moras, Hic verſus in alijs deeſt.

A. C. Sancti Pauli. L. Beati Pauli. M. Pauli.

A. L. M. pro vtilitate tamen indigentis. C. pro vtilitate indigentis. *Caput* 15.

A. multum facit, ſiue benè facit, qui magis. C. M. benè facit, qui magis. Hic deſunt duæ lineæ in Leo-Allatiano.

A. L. M. charitatem habet. C. charitatem habere deſiderat.

A. L. M. in nulla re ſeipſum quærit. C. in nullo ſeipſum quærat.

A. L. M. fontaliter omnia procedunt. C. tota & omnia procedunt.

A. C. L. benignè portare. M. benè portare. *Caput* 16.

A. L. M. totum Deo committe. C. totum committe.

A. L. M. quomodò poteris. C. quomodò potes.

A. M. C. patimur amplius cohiberi. *L.* patimur cohiberi.

A. C. ſicut noſipſos amamus. L. M. ſicut noſipſos penſamus.

A. C. libenter volumus. L. M. libenter habemus.

A. L. M. adiuuare, inſtruere, & admone-

 re.

re. C adiuuare, & admonere.

A. L. M. quantæ autem virtutis quiſque fuerit. C. quantas autem virtutes quiſque fecerit.

Caput 17. *A.* C. & ibi. *L.* & vbi. *M.* & inibi.

A. M. C. fideliter perſeuerare. *L.* fideliter permanere.

A. *L. M.* feliciter conſummauit. C. fideliter conſummauit.

A. L. M. teneas te tanquam exulem. C. caueas te tanquam exulem.

L. M. modicum conferunt. *A.* modicum faciunt, ſiue conferunt. *C.* modicum faciunt.

Caput 18. *A. M.* refulſit & religio, & videbis. C. *L.* & videbis.

A. L. o quam ſtrictam, & abdicatam. *M.* ſtrictam & abiectam.

A. C. *M.* abſtinentias peregerunt. *M.* abſtinentias egerunt. *L.* abſtinentias quotidie peregerunt.

A. *L.* M. minimè ceſſarent. C. minimè ceſſaſſent.

A. L. M tepidorum numerum. C. tepidorum numeroſitas.

A. M ſub regula magiſtri in omnibus. C. *L.* ſub regula in omnibus.

A M C. Vidiſti deuotorum. *L.* Vidiſti virtuoſorum, & deuotorum.

A.

A. C. L. diligentia opus eſt. M. multa diligentia quid benè perficere volenti. *Caput* 19.

A. L. mane videlicet, & veſpere. C. M. mane videlicet, aut veſpere.

A. L. M. corporalia exercitia. C. corporalia tamen exercitia.

A. C. M. quære aptum tempus. L. ſume aptum tempus. *Caput* 20.

A. C. M. & otioſis circuitionibus. L. curioſis circumitionibns.

A. L. M. Maximi Sanctorum. C. maximè ſancti.

A. C. L. benè obedire didicit. M. libenter obedire didicit.

A. teſtimonium in ſe habeat. C. L. M. teſtimonium habeat.

A. L. M. in deceptionem ſui. C. in deſperationem ſui.

A. M. Vnde multis vtilius eſt. C. Vnde multò melius eſt, *L.* vnde multùm vtilius eſt.

A. Li M. ſe abſtrahit. C. ſe ſubtrahit.

A. reportas. C. L. M. importas.

A. C. L. in fine mordet, & perimit. M. in fine vt vipera mordet, & perimit.

A. C. L. delectat aliquando audire. M. delectat audire.

A. C. M. bona aperit. L. aperit, vel reperit. *Caput* 21.

A. C. L. in timore Dei cum bona. M. in timore cum bona.

A. L. recolligere ſanctæ compunctionis. C. M. redigere ſanctæ compunctionis.

A. externas abijcimus. C. extraneas abijcimus. *L.* externas conſolationes omnino abijcimus. M. externas omnino abijcimus.

A. L. M. tribulatione hic viuit. C. tribulatione viuit.

A. C M. contemplari valeamus. L. concupiſcere valeamus.

A. L. M. rigoris formidares. C. rigoris formidans.

Caput 22. A. L. M. de conſideratione humanæ miſeriæ, C. de conditione humanæ miſeriæ.

A. C. L. nec aliquis hominum ſuper terram. M. nec aliquis ſuper terram.

A. C. M. quamuis Rex ſit, vel Papa. L. ſiue Rex ſit, ſiue Papa.

A L. M. pati valet. C. pati vellet.

A. amantior. C. L. M amatior.

A. L M. abſolutus, & liber ab omnibus. C. abſolutus ab omnibus.

In Cauenſi deſunt: Et amplius væ illis, qui diligunt hanc miſeram, & corruptibilem vitam.

A. In terris jacent vt nil. C. in terrenis vt nil. L. M. in terrenis jacent vt nil.

A. L. Surge, & in inſtanti incipe. C. M. Sur-

Surge, & ſtatim incipe.

A. C. M. pugnandi, nunc tempus aptum eſt emendandi. L. pugnandi, nunc tempus eſt merendi, nunc tempus.

A. C. L. male habes, & tribularis. M. male habes, & turbaris.

A. C. L. benè opus eſſet. M. bonum opus eſſet.

A. M. tecum hoc factum. L. tecum hic factum. C. tibi hoc factum.

A. L. M. tam parum. C parum.

A. nobis longa vita. C. hæc longa vita. L. ah longa vita. M. ſed longa vita.

A. periculoſius erit: C. L. M. periculoſius eſt.

A. M. aliquando hominem. C. L. aliquem hominem.

A. C. L. fiduciam moriendi. M. confidentiam moriendi.

A. noli conſiderare ſuper amicos. C. L. M. noli confidere ſuper amicos.

A. L. M. habere confidentiam. C. habere fiduciam.

A. L. M. quid cogitas. C. quid agis? cogitas.

A. habeas hic ſecurum. C. L. M. habeas ſecurum.

A. vmbra pertranſit. C. *L.* M. Vmbra ſubitò pertranſit.

A. feliciter tranſire amen. *C. L.* felici-

ter tranſire. M. feliciter peruenire.

Caput 24. A. C. L. purgatiuus. M purgatorius.

A. C. L. deuorabit. *M.* purgabit.

A. L. habebit. *C.* M. habeat.

A. C. L. exaltabit caro. M. gaudebit caro.

A. *L.* M. fuiſſet nutrita. C. fuiſſet in terra.

A. C. *L.* plus ponderabit. M. plus appretiabitur.

A. M. plus placebit. C. *L.* plus valebit.

A. M. poſſis poſtea. C. L. poſſis pati poſtea.

A. *L.* peccata delectant. C. M. peccare delectat.

A. M. parum non vales ſuſtinere, C. parum vales ſuſtinere. In L. deſunt.

A. C. tormenta ſufferre. M. tormenta portare.

Caput 25. A. L. De feruenti emendatione vitæ noſtræ. C. de feruenti emendatione totius vitæ. M. De fructu emendationis vitæ noſtræ.

Monaſterium S. Andreæ Vercell. Apol. 110. Fuit Ordinis S. Benedicti, Apol. p. 111.
Monaſterium S. Stephani Vercell. Apol. p. 109.

P

Pauli Laymanni, Auctoris Caueæ Turturis, & aliorum blaſphemiæ hæreticales aduerſus Religioſi ordinis viros damnantur. Apol. p. 81.
Petrus de Marigliac, magni Sigilli Franciæ cuſtos edidit Librum Gerſenis cum eius Apologia, idiomate Gallico. Apol. p. 54.

R

Roberti Bellarm. Opera Coloniæ impreſſa falſis Retractationibus vallata. Apol. p. 49.) & in Addit. p. 219. eſt pro Gerſene. App. p. 10. & p. 36. eius teſtimonium pro lib. de Imit. Chriſti Ibid. p. 54. Apol. p. 39.
Romanus Academiæ Salisburgenſis Benedictinorum Rector. Apol. p. 89.

S

Societas Ieſu quanti faciat lectionem lib. de Imit. Chr. p. 50. App.

T

Teatini Clerici Reg. quanti faciant lib. de Imit. Chr. App. p. 48.
Teſtimonium Doctorum Pariſienſium pro Io. Gerſene. Apol. p. 57.
S. Thomas Aquinas eſt pro Gerſene. App. p. 9. Apol. p 35
Thomas Kempenſis non fuit Auctor verus Libb. de Imit. Chriſti Apol. p. 59. & deinceps. Ibid. p. 76. & deinceps.

Thomæ Mori, Angli, commendatio Librorum de Imit. Chr. Apol. p. 159.

V

Valentinus Abbas Mellicenſis in Auſtria, propugnator librorum de Imit. Chr. in Addit. p. 224.

Vita Monachi eſt cum Chriſto Crucem portare. Epiſt. ad Aſcetas Bened.

Errata hoc ſequenti modo corrige.

In Apparatu ad Gerſenem, pag. 40. teſtimonium illud primum ponas poſt ea verba, Quæ in laudem, & cet. In Epiſtola Dedicatoria pag. 2. confeſſis, corrige, Confeſſibus.

Ibid. pag. 3. detentus c. deiectus. pag. 4. lin. 2. vec; c. nec. p. 5. l. 3. de, c. ex. p. 7. l. 27. notatis, c. notaris. p. 9. l. 14. ſcindere, c. ſcribere. p. 11. l. 18. indignum, c. indignam. p. 13. l. 20. intulerint, c. intulerunt. p. 19. l. 6. deſcriptis, c. deſcripſit. p. 21. l. 25. patris deijciendus, c. patris orbandus. p. 22. l. 14. ſeniores, c. ſequiores. p. 24. l. 1. exiſtimaſſet, c. cenſuiſſet. p. 26. l. 4. declarauerint, c. declarauerunt. p. 31. l. pænult. exceſſerant, c. excuſſerunt. p. 32. l. 18. telum, c. talum. p. 41. l. 2. eum, c. cum. p. 47. l. 15. Collegijs, c. Collegij. p. 51. l. 17. tales, c. talos. Ibid. cauit, c. canit. p. 52. l. 11. in Gerſenem, c. In Gerſonem. p. 60. l. 2. opuſculum ſuum non eſſe, c. non compoſuiſſe. p. 54. l. 25. diuerſis, c. diſertis. p. 60. l. 3. codicibus, c. Iudicibus. Ibid. lin. 7. parum, corrige partum. Ibid. lin. 21. ita adiunxit, cor. ita adiunxiſſe. p. 6. in fine, præcedenti, c. præcellenti p. 61. lin. 9. eum, c. cum. Ibid. l. 17. Pentateuchum reliquam, c. Pentatiucum & reliquam. Ibid. l. 24. afficere, c. efficere p. 62. l. 6 opuſculum, c. opuſculorum. p. 63. l. 16. indicet, c. iudicet. p. 63. l. 9. ea verba nempe, Kempenſis ſiniſtra vt dextra prælians vtrumque eodem tempore ſcripſit, ſimulque fudit) itidem verba ſunt Auctoris, non Roſvueydi. Ibidem l. 20. & Sommalius, qui prius Antuerpiano primas detulerat, iam antiquitati Louanienſi concedens, verba ſunt non Sommalij, ſed Auctoris. p. 64. l. 4. numerati,

cor.

c. numerali. Ibidem, parentheſis claudatur non poſt ea verba Thomæ Confeſſione, l. 3. ſed poſt ea priora ſint, l. 6 Ibid. l. 24. poſſet, c poteſt. p. 65. l. 14. ipſam &, c. ipſamet. *Ibid.* lin. vlt. magis ſibi; c. tibi magis. p. 67 l. 19 Dei vacationem, c. vocationem. p. 68 l. 16. Kempenſe, c. Kempenſi. p. 70. l. 1. telas, c. tela p. 72. l. 28. Vide *Amanuenſis*, non *Auctoris* ſymbolum.] verba *Auctoris* ſunt, non Roſvueydi. p. 73. l. 7. voluerit, c. valuerit. Ibid. l. 15. edittonem, c editionem. p. 74. l. 10. & ijs, c. vt ijs. Ibid. l. 15. digladiati, c. digladiari. p. 77. l. 13. quia, c. qui. p 79. l. 11. ſtrophi, c. ſtrophe. Ibid. l 12. ſecutus, c. ſecurus. p. 80. l. 10. Religioni, c. Religionis. Ibid. l. 22. primipolo, c. primipilo. p. 85. l. 1. tum, c. tam. p. 86. l. 25. & Thomam, c. vt Thomam. p. 90. l. 11. omnes, c. omnes propemodum. p. 95. l. 19. Cabelliacum, c. Caballiacum. p. 92. l. 22. piorumque, c. piorum. p. 106. l. 9. Kempenſi, c. Kempenſis. p. 118. l. 7. ſcripſiſſe, c. inſcripſiſſe. p. 110. l. 4. etiam num alij, c. etiam num viuunt. p. 124. l. 16. at, c. &. Ibid. l. 28. deſunt hæc verba: *Aquinatis Opera*. p. 126. l. 17. conieciſſet, c. conieciſſe. p. 128. l. 21. imperium, c. imperitum. *Ibid.* l. 28. examinauimus, c. examinamus. *Ibid.* l. penult. Scous, c. Scottus. p. 139 l. 15. eum, c. cum. p. 141. l. 1. poſt ea verba; Opuſculis adiungitur, adde: Sed dicet: non ideo tantùm ſed quia. *Ibid.* l. 3. ſpius, c. ipſius. p. 148. l. 21. fecit, c. petit. p. 150. lin. vltima, fuiſſe, c. facile. p. 152. l. 26. &, c. ex. p. 157. l. 9. ſiue, c. ſi. p. 158. l. 3. circumlati, c. circumlatis. pag. 167. lin. 16. oſtendant, c. oſtendunt.

METHODVS PRACTICA
Librorum Quatuor
DE
IMITATIONE CHRISTI.

Venerabilis Viri,
IO ANNIS GERSENIS ITALI,
Abbatis Benedictini.

Ex editione Romana
D. CONSTANTINI ABBATIS CAIETANI
nunc iterum recenſita.

In hac enim Homo ad ſummum Perfectionis Chriſtianæ culmen gradatim perducitur.

QVAM profitemur Ieſu Chriſti Domini noſtri Imitationem, Io. Gerſen poſt ſacras Litteras perfectiùs, quàm plerique alij complexus eſt: cuius paruũ libellum pij Viri omnibus magnis aliorũ voluminibus de perfectione agentibus, anteponunt: ſed ordinem, ac methodum in eo multi deſiderant, non quod illi deſit, ſed quòd adeo ſublimis ſit, vt multos effugiat. Tradit enim Imitationem Chriſti practicè: quem docendi modum is optimè aſſequitur, qui opere, quæ legit, exequitur.

Mea quidem ſententia; ſecutus eſt in hoc Opere Gerſen methodum naturalem, & neceſſariam, incipiendo a primo, & imperfectiori gradu Imitationis Chriſti, & aſcendendo paulatim, vſque ad vltimum; tanto ordine, vt qui alium in perfectione acquirenda tenuerit, vel eam non aſſequetur, vel adeptam facilè perdet. Sicut enim turris abſque fundamentis ſupra arenam ædificata, diu ſtare non poteſt, ita neque abſque fundamentis, ædificium perfectionis. Ob quam cauſam primò agit de vita Purgatiua, quæ eſt initium, & quaſi fundamentum perfectionis: in qua introducit Magiſtrum vitæ ſpiritualis docentem, quia hæc vita non tam altè progreditur, vt videatur indigere immediato magiſterio Dei; & Diſcipulus adeò eſt ignarus rerum ſpiritualium, vt ei audire & auſcultare Magiſtrũ, potiùs quã loqui, aut interrogare cõueniat.

Vita Illuminatiua, totam eruditionem doctrinæ ſpiritualis continet, ideo meritò introducitur Deus cum homine loquens; quia in ea digna Deo traduntur documenta: quòd pauci extra diuinas Litteras præſtiterunt, vt Deum loquentem dignè Deo introduxerint. Diſcipulus autem iam prouectus Dei documenta non tantùm aure excipit, ſed opere exequi conatur: in quo cùm ſæpe magnas

magnas patiatur tentationes, & difficultates, quandoque pro gratia, & diuino auxilio; quandoque pro venia, & conſilio ad Deum recurrit.

Vita Vnitiua, anima Deo vnitur, quod maximè fit participatione Corporis, & Sanguinis Ieſu Chriſti: in qua duo ſunt, præparatio ad vnionem, & ipſa vnio. Vtrumque adeo magnum eſt, vt meritò introducatur Deus docens, & homo practicè exequens.

Iam verò (vt ad ſingulas Vitas deueniamus) Purgatiuã in duas diuidit partes: in priori, quæ traditur toto primo Libro Gerſenis, de initijs Vitæ Purgatiuæ tractatur. In poſteriori, quæ traditur toto ſecundo Libro, de progreſſu Incipientium quinque quaſi gradibus, ſeu capitibus continetur.

1 Quid ſit imitari, & ſequi Chriſtum.

2 Ne quis in imitatione erret, Duce, & Magiſtro vtatur,

3 Quia Magiſter non prodeſt, ſi Diſcipulo deſit voluntas diſcendi, excitatur in eo deſiderium vincendi paſſiones.

4 Ex hoc deſiderio, & victoria conſequitur propoſitum efficax non peccandi mortaliter, nec venialiter.

5 Hoc propoſitum timore Dei, & cordis compunctione ſolidatur. Progreſſus, & terminus huius Vitæ quatuor alijs gra-

dibus, ſeu capitibus continetur.

6 Ex timore Dei oritur odium mundi, qui Deo aduerſatur.

7 Mundus neglectus perſequitur ſeruum Dei, qui eget, vt ſe defendat, patientia in aduerſitatibus, & perſecutionibus.

8 Qui aduerſitates conſtanti animo tolerat, erumpit in Chriſti dilectionem, & mentis dulcedinem.

9 Sed debet potiùs animum conuertere in hac vita ad Crucem Chriſti, quàm ad conſolationem: ideo docetur viam Crucis, & mortificationis deſiderare. Quod deſiderium eſt terminus Vitæ Purgatiuæ.

Vita illuminatiua tota verſatur in imitatione Chriſti, quem qui perfectè imitari vult, & vult perfectè purgatus eſſe,

1 Dei indiget colloquio, & interna orationis conuerſatione.

2 Ex ea conuerſatione erumpit in affectum humilitatis.

3 Humilitas omnem abijcit ſimulationem, & puritatem cordis, ac veritatem introducit.

4 Veritas erumpit in Dei, & proximi amorem.

5 Ex hoc amore ſequitur odium ſui, & exercitium pœnitentiæ.

6 Quod exercitium, ne noceat, moderandum

dum eſt deſiderio exequendi tantùm diuinam voluntatem.

7 Vt eam quis exequatur, obedientiam auiditate magna complectatur.

8 Quæ perfecta eſſe nequit abſque indifferentia in rebus omnibus.

9 Ex indifferentia ſequitur perpetua pax animæ.

10 Ex pace ſequitur libertas ſpiritus.

11 Ex libertate ſpiritus ſequitur deſideriũ volandi ad Chriſtum, & exuendi carnis ſarcinam.

12 Quod cum ita fieri nequeat, ſaltem ſolitudinem anima concupiſcit, vt ſola cum ſolo Deo conuerſetur.

13 In ipſa verò ſolitudine non iam beatitudinem poſtulat, ſed ſimul cum Chriſto in Cruce pendere, eiuſq. doloribus inebriari.

14 Cui non proprijs meritis, ſed gratia, & miſericordia Dei, ſperat vſque ad finem vitæ copulari: quod eſt terminus omnis Perfectionis.

Vita Vnitiua in perfecta vnione cum Deo conſiſtit, quæ maximè habetur per ſuſceptionem Corporis Chriſti: ad quam triplex præparatio requiritur.

1 Remota.

2 Proxima. (plex.

3 Cõiũcta ipſi Cõmunioni, & vtraque tri-

Singulos hos perfectionis gradus Gerſen pluribus capitibus declarat: quos ſuo ordine ad alteram marginem annotabimus; ad alteram gradus, ſeu capita methodicè a nobis numerata.

LIBER I.

De Imitatione Chriſti, in quo initia Vitæ Purgatiuæ traduntur.

1 Quid ſit imitari, & ſequi Chriſtum.

1 SEqui Chriſtum, non eſt alta de Deo ſpeculari; ſed Chriſti ſanctam vitam imitari.

2 Melius namque eſt operari bonum, quàm illud tantùm noſſe. Ideo melior eſt homo ſimplex & ruſticus, qui benè operatur: quàm ſuperbus Philoſophus, qui alta quærens, ſubtiliter contemplatur.

3 Vt autem operemur, cognitio neceſſaria eſt, non quæ humano magiſterio diſcitur, ſed quæ diuino: & hæc cordis mortificatione comparatur.

2 Pater ſpiritualis eligẽdus.

4 Sed non omnia credenda ſunt, vel facienda, quæ homini in mentem veniunt, vel audiuntur; ſed oportet virtutis Tyronem; Patrem ſpiritualem conquirere, cuius ductum ſequatur, & cui ſuas omnes cogitationes, & actiones aperiat.

5 Eſt etiam ſacra Scriptura perlegenda, &

& alij pij libri humiliter, ſimpliciter, & fideliter; non vt docti videamur, ſed pro noſtra ſpirituali inſtructione: quandoquidem non omnia ex Magiſtro diſcere poſſumus.

6 Homo nouus in rebus ſpiritualibus nouitate, & dulcedine lectionis allectus, lectioni ſe totum tradit, ac ſi in ſola lectione ſit tota Perfectio; & ſe turbat, ac inquietat, ſi Pater ſpiritualis huic ſuæ voluntati reſiſtat, eumque redarguat. Sed mox aduertit Perfectionem non eſſe in multa lectione, ſed in mortificatione deſideriorum locandam; & vincit hanc tentationem ſubmiſſione, & humili de ſe opinione.

7 Liberatus opera Patris ſpiritualis prima tentatione, continuò in aliam ſecundã grauiorem incidit, diuinæ gratiæ oblitus; in Patre ſpirituali omnem ſuam locat ſpem, putans ſe tali duce ſecurè Perfectionem acquiſiturum. Sed quia, vt plurimum Patres ſpirituales ſunt in mundo viles, & abiecti, nititur aduerſarius Tyroni perſuadere; nõ eſſe rationi conſonum, virum nobilem, diuitem, &c. adeo familiariter, & frequenter Patrem ſpiritualem alloqui, & quærere; quæ tentatio multos proſternit.

8 Ea ſuperata, ſuccedit tertia tentatio, omnes ſuas bonas cogitationes, & actiones non iam Patri ſpirituali ſoli, ſed cuiuis etiã

indicandi: & perdit Tyro nimia garrulitate, quæ ſilentio acquiſiuerat.

9 Sextò Pater ſpiritualis contradicit Tyroni hac in re, alij illum laudant: ex quo illi quarta inſurgit tentatio mutandi Patrem ſpiritualem, quem ſibi aduerſantem videt, quin & locum, & exercitia. Sed hæc tentatio ſuperanda eſt ſpoliatione omnis proprij iudicij, & contemptu quarumcumque illuſtrationum, quæ a Patre ſpirituali non approbantur.

10 Ex tædio, quo afficitur Tyro, ob hanc Patris ſpiritualis reſiſtentiam in contrariã partem alia tentatione, quæ in ordine eſt quinta, vertitur: & qui antea totus videbatur eſſe in Dei illuſtrationibus, iam non vult cum alijs, niſi de rebus, & negotijs ſæcularibus agere: in eiſque conſolationem, & delectationem quærit. Debet a Patre ab ijs negotijs, & conſolationibus, quæ multùm diuinas retardant, reuocari: & occupari in Oratione, varijſque deuotis Exercitijs, ne otio langueſcat: & proderit conuerſatio plurium habentium eadem perfectionis deſideria.

3 Deſiderium vincendi paſſiones.

11 Qui ſe a dictis negotijs ſæcularibus non ſeparat ſub ſpetie zeli, & profectus aliorum, ſui curam abijcit, & retrocedit in vita ſpirituali. Quò deueniunt multi Religioſi, qui

ſunt

ſunt ſanctiores, & feruentiores in principio ſuæ conuerſionis, quàm poſt multos religioſæ vitæ annos. Quare qui vult in vita ſpirituali progredi, non debet conquieſcere in ſolis obſeruantijs externis, ſed eniti paſſiones perfectè vincere, & deſiderare omni die in virtute, & ſui abnegatione proficere.

12 Contra eum, qui ex animo videtur virtutem, & profectum quærere, mox multi inſurgunt, ſiniſtram de eo opinionem concipientes, quod illi non ſolùm vtile, ſed neceſſarium eſt; euadit enim ex hoc humilior, & diligentior in remouendis ſcandalis, & obtrectandi ſibi occaſionibus auferendis; & quadam neceſſitate adactus, ad Deum ſæpius recurrit.

13 Nec ſolùm homines eum vexant, ſed diabolus continuis tentationibus exagitat, quæ Tyroni valde vtiles ſunt; illis enim humiliatur, purgatur, & inſtruitur: vt per multas tribulationes, & tentationes intrare poſſit in Regnum Dei; ſicut intrarunt omnes Sancti, quorum aliqui in principio ſuæ conuerſionis, aliqui in fine, aliqui tota vita tentati ſunt, aliqui grauiùs, aliqui leuiùs, alij ſuperatis magnis tentationibus, paruis ſuccubuerunt: vt humiliati, numquam in ſeipſis confiderent; ſed principio tentationis fortiter reſiſterent, non ſola fuga, duritia,

aut

aut importunitate; ſed patientia, longanimitate,& Dei gratia adiuti, conſilio Patris ſpiritualis, qui cum tentato non aget duriter, ſed benignè; vt ſecum optaret fieri, ſi ipſe tentaretur.

14 Maxima, ac frequentiſſima harum tentationum eſt, proprio iudicio niti: & nolle ſe alterius iudicio,& voluntati ſubmittere.

4 Propoſitum pro nulla re peccatũ mortale, vel veniali committendi.

15 Ita tamen cedendum eſt alteri, vt nullius voluntate peccatum aliquod (quantumuis leue,& veniale) fiat; quamuis bona opera poſſint aliquando ob bonum finem omitti, vel in meliora commutari. Itaque qui seriò deſiderat paſſiones vincere, firmum propoſitum concipiat, pro nulla re peccatum admittendi, ſiue mortale, ſiue veniale.

16 Quid igitur faciet, quando videt in ſe, vel in alio aliquod malum, nec poſt vnam, vel alteram correctionem poteſt emẽdare? Debet patienter ſuſtinere, quo vſque Deus aliud diſponat.

17 Et viuere tamquam hoſpes, & peregrinus ſuper terram, & ſtultus fieri propter Chriſtum.

18 Quomodo vixerunt Sancti omnes, quorum vitæ exempla deberemus diligenter perpendere. Quæ quidem principaliter in tribus conſiſtunt.

19 Primò, vt non acquieſcat animus ſola exter.

externa virtutis ſpecie, ſed ſtudeat exercitio omnium virtutum, omni die incipiendo, & frequenter examinando vitam ſuam.

20 Secundò, vt tempus quærat ſibi vacandi, fugiat ſuperfluam confabulationẽ, otioſam circuitionem, nouitates, & rumores: & inſiſtat meditationi, & lectioni piorum Librorum.

21 Tertiò, vt in timore Dei ſe conſeruet, fugiendo humanam lætitiam, & quærendo compunctionem cordis: quæ quatuor conſiderationibus acquiritur. 5 Timor Dei, & cordis cõpunctio.

22 Prima miſeriæ humanæ, & commiſſorum peccatorum.

23 Secunda Mortis.

24 Tertia Iudicij extremi, & pœnarum tam Inferni, quàm Purgatorij.

25 Quarta finis vltimi hominis Chriſtianis & præ cæteris iuuabit conſideratio Vitæ, & Paſſionis Chriſti, nec opus eſt aliam vtiliorem quærere.

LIBER II.

In quo progreſſus, & terminus Vitæ Purgatiuæ declaratur.

1 POſt compunctionem cordis, debet homo internam cum Deo conuerſationem quærere, ſe in hoc mundo tamquam a due- 6 Odium mundi.

aduenam,& peregrinum reputando. Ex quo mundi homines,cum videant ſe deſeri, Diſcipulum vitæ ſpiritualis dictis, & factis inſectantur.

2 Qui non debet hanc contrarietatem magnifacere,nec ſe anxiè defendere,ſed expectare Dei defenſionem; humiliter omnia tolerando, & ſe omnium hominum viliſſimum reputando.

7 Patiẽtia in iniurijs

3 Nec debet ante de pacificandis ſecum alijs agere,quàm ſuum ipſe cor pacificum reddiderit: quod faciet, patienter ſuſtinendo,quæ contra ſe fient.

4 Patientia acquiritur, ſi quæ contra nos fiunt,aut dicuntur, ſimplici, & puro corde intueamur. Simplicitas intentionis ſolum Deum reſpicit,reliqua non curat. Puritas cordis ſolum Dei beneplacitum quærit: ex quo fit,vt patienter toleret, quidquid Deus fecerit,vel permiſerit.

5 Vt autem homo patienter alios ſibi infenſos ſuſtinere poſſit, debet conſiderare quanta alij ab ipſo ſuſtineant; & ſe ante oculos ſuos habere,reliquos retro.

6 Collocando propriam pacem, & lætitiam,non in ore aliorum; ſed in bona,& recta conſcientia.

8 Amor Ieſu Chriſti.

7 Nihil in hoc mundo quærendo, præter amorem Ieſu Chriſti.

8 Nam

8 Nam ſi Ieſum habemus, habemus omne bonùm; ſine ipſo, omnia nobis deſunt, etiam ſi a toto mundo diligamur.

9 Nec debemus ab amore Chriſti deficere, ſi quando a nobis diuina conſolatio receſſerit.

10 Magis enim prompti eſſe debemus ad patiendum pro Chriſto, quàm ad conſolationem; ad crucem, quàm ad lætitiam; acceptandò quoduis Dei donum cum magna gratiarum actione, ſiue flagellemur ab ipſo, ſiue conſolemur.

11 Sed longè aliter ſæpenumero fit: amant enim homines, & ſeruiunt Chriſto, vt plurimùm, in conſolatione, & proſperitate; ſed raro in aduerſitate, & cruce. At ſeruus Dei ita Deum laudat, ac benedicit in tribulatione, ac in ſumma conſolatione.

12 Quia potiùs ſibi perſuadet perfectionem, & felicitatem huius vitæ conſiſtere in mortificatione, & Chriſti imitatione, in portanda Cruce, ſicut ipſe portauit: quam homo proponit cum Dei gratia vſque ad mortem portare.

9 Volũtas mortificationis & Crucis.

LIBER III.

In quo agitur de Vita Illuminatiua.

1 Deſiderium orationis. 1 QVi ad eum perfectionis gradum peruenit, vt velit portare Crucem ſuam poſt Chriſtum, primùm omnium ardenti deſiderio affici debet ad orationem, in qua audiet, quæ intus in anima loquitur Deus.

2 Qui docet ſine verborum ſtrepitu modum ſibi benè ſeruiendi; alij pulſant aures, Deus aperit cor.

2 Humilitas. 3 Deo loquente cum anima, excitatur in illa ſecundus affectus humilitatis, quo ſe homo agnoſcit rerum diuinarum ignarum: & cupit a Deo magis. magiſque illuminari, & doceri: & confunditur, ac humiliatur, quòd homines mundani tanta diligentia audeant, & ſequantur mundum; ſeruus autem Dei, adeò negligenter, & pigrè Deo famuletur.

4 Ex quo ſequitur cognitio propriæ vilitatis, & miſeriæ, & ſeria efflagitatio diuinæ gratiæ.

3 Puritas cordis. 5 Ea per orationem impetrata, mox ſequitur tertius affectus, puritas videlicet cordis, quæ quis veritate gaudet, quæ docet peccata cognoſcere, & deflere, omnia ope-

opera propria nihili facere, contemnere terrena,& amare cæleſtia. Qui ad hunc affe-ctum peruenit,deſiderat defectus proprios manifeſtare,& digito oſtendi ſe peccatorẽ; & imperfectum.

6 Quod deſiderium ſtatim conſequitur magna ſpiritualis conſolatio,qua homo animatus,mox prorumpit in quartum affectũ, vehementis amoris Dei, cuius homo effectus in ſe experitur,& cognoſcit: quorum præcipuum eſſe putat,amantem, omnia dura, & amara propter dilectum libenter amplecti. 4 Amor Dei.

7 Mox ſequitur probatio huius amoris, ingens deſolatio,variæ tentationes, lãguor in ſpiritu,& aliquando caſus aliquis in peccatum,magis ex fragilitate,quàm malitia: quæ omnia videntur a Deo permitti,ne homo ſuperbiat ex præcedenti magna conſolatione.

8 Tam ex conſolatione præcedenti,quàm ex lapſu naſcitur quintus affectus, odium ſuipſius, & deſiderium multa pro Chriſto patiendi, quod niſi coerceatur a Patre ſpirituali,non numquam ducit ad perditionem. 5 Odium ſui, & deſiderium pœnitentiæ.

9 Quam correctionem debet homo cum reſignatione, & humilitate ſuſcipere;reputando ſe,vt verè eſt,puluerem, & cinerem, ex nihilo creatum, & in puluerem conuer-

ten-

tendum; qui ſibi relictus ſtatim labitur, ſed a Deo ſubleuatus, ſtatim erigitur.

10 Quòd ſi neglecto Patris ſpiritualis ductu, nimijs pœnitentijs, & afflictionibus corporis inhæreat, veram cordis perfectionem, & lætitiam non aſſequetur; ſed aridus ac ſiccus, ſæpe in ſuperbiam labitur, anxiũ, & afflictum habens cor. Ad quem ſcopulum multi viri ſpirituales alliduntur, qui non amplius proficiunt. Sed qui obtemperat Patri ſpirituali, Deum, ſolamque eius voluntatem ſibi tamquam vnicum finem proponens, nihil ſibi ex bonis operibus arrogat, & magna pace, & cordis dilatatione perfruitur.

11 Mox conſolatione perfunditur, & rurſus in amoris affectum prorumpit ex conſideratione beneficiorum Dei, diuinæ dilectionis, & præcedentis lapſus; magni beneficij loco reputans, poſſe Deo ſeruire, non ijs, quæ ſibi placent, ſed quæ Deo placuerint.

6 Deſiderium exequendi Diuinam voluntatem.

12 Sequitur ſextus affectus ſolam Dei voluntatem quærendi, eius acquieſcendo ordinationi: non enim omnis affectio, quæ bona videtur, ſequẽda eſt; neque ea, quæ videtur mala, ſtatim abijcienda; ſed vnaque ad Dei voluntatem examinanda.

13 Ex quo non leuis oritur pugna interioris

ris hominis, cui videtur vita amatorum mundi iucundior, & felicior, quòd hac pugna careat, & multis perfruatur delectationibus. Sed Deus oſtendit homines mundi, nullam habere ſolidam iucunditatem, quæ in ſolo Deo; & contemptu rerum humanarum reperitur. Hic aliquibus inſurgũt, non leues carnis tentationes, partim ex cõſideratione mundanarum delectationum, partim ex interna pugna ſpiritus.

14 Quæ vincuntur ſeptimo affectu obediendi, non ſolùm Diuinæ voluntati, ſed etiã ſuperioribus omnibus: quin & omnibus hominibus, a quibus cupit homo ſicut lutum platearum conculcari. 7. Obediẽtia.

15 Quomodò enim ſuper aliquem extolletur, qui Dei occulta iudicia contemplabitur, Angelorum ruinam, hominum inſperatos caſus, & propriam vilitatem?

16 Potiùs omnia formidabit, etiam quæ bona videntur, conſiderando multos in fine deceptos, qui boni in principio videbãtur. Ex quo in octauum indifferentiæ affectum erumpet, nec aliquid a Deo abſolutè petet, ſed ſub cõditione, ſi tibi placitum fuerit, da quod vis, & quantum vis, & quando vis, ſolum mihi concede, quod tibi magis placet; omnibus quæ in mundo ſunt mori; propter te amare contemni, & neſciri, in te quie- 8. Indifferentia in omnibus rebus.

ſcere, & in te ſolo pacem habere.
17 Ex hac indifferentia ſequitur magna pax animæ,& perpetua conſolatio : quam non poſſunt creaturæ, ſed ſolus Creator conferre.
18 Sed ſubitò aduerſarius multas ingerit cogitationes, quod ſi hoc, quid ſi illud de te fiat ; quibus homo ſpiritualis auſcultare non debet,ſed ad ſuam redire indifferentiã, & tam promptum ſe exhibere ad patiendũ, quàm ad gaudendum.
19 Chriſti exemplo excitatur, quo caruerunt veteris Teſtamenti Patres, & præſentanea remuneratione, quam etiam diu illi præſtolari cogebantur.
20 Mox Dei permiſſu occaſiones illi occurrunt aliquid patiendi ſi ſint, qui in illum maledicta congerant,falsò accuſent, docetur a Deo patienter omnia ab omnibus ferre.
21 Homo videns ſe tantæ virtuti imparẽ, Dei auxilium implorat ad ferendum tot difficultates,Diaboli,Mundi,& Carnis.
22 Adeſt ſubitò Dei conſolatio, qua delibutus animus,in ſolo Deo cupit requieſcere,& omnibus alijs rebus valedicit,etiam ſanctiſſimis.
23 Gratias Deo agit, non ſolùm pro acceptis beneficijs, & donis;ſed etiam pro non

acceptis, qnod reputat beneficium ſingulare, non multa habere, vnde exteriùs laus, & gloria appareat: quæ eſt maxima perfectio veræ indifferentiæ.

24 Obtenta rerum omnium perfecta indifferentia, quærenda eſt vera pax, & libertas, quam aſſequemur his quatuor: 9. Pax perfecta.

1 Si ſtudeamus alterius potiùs facere voluntatem, quàm noſtram.

2 Si eligamus ſemper minus, quàm plus habere.

3 Si quæramus inferiorem locum, & omnibus ſubeſſe.

4 Si optabimus ſemper, vt voluntas Dei integrè in nobis fiat.

25 Occurrunt variæ, & multiplices tentationes contra iſta quatuor, quæ pacem afferunt. Contra primùm, quod erat ſtudere alterius potiùs facere voluntatem, quàm noſtram, inſurgunt cogitationes vanæ, & magni timores; quid ſi hoc, vel illud imperabit? ſi ab officio me amouebit? &c.

26 Quibus homo ſtimulatus, ad Deum pro auxilio confugit, vt guſtata ſuauitate ſupernæ felicitatis, pigeat de terrenis cogitare.

27 Adeſt ſubitò Deus, & roganti homini remedium huic tentationi præbet, ne curiosè facta aliorum indaget, ne magni nominis opinionem quærat, aut multas fami-

liaritates, nec priuatam hominum dilectionem: quæ omnia nos a facienda aliorum voluntate reuocant, pacemque turbant.

29 Sed omnem intẽtionem dirigat, vt ſoli Deo placeat, & extra eum nihil cupiat, vel quærat, ſe ipſum contemnat, de aliorum dictis, & factis nihil temerè iudicet, nec ſe implicet rebus ſibi nõcõmiſſis: quo fiet, vt facilè alterius voluntatem exequatur, & raro turbetur; numquam autem turbari non eſt huius vitæ, ſed futuræ.

30 Mox, Deo permittente, & nonnumquã dæmone procurante, contra ſecundum, quôd pacem afferebat, videlicet ſemper minus, quàm plus habere; occurrit ſecunda tentatio magnarum externarum occupationum, & negotiorum circa victum, & veſtitum, quæ hominem multum exagitat; cum omnia non poſſit abijcere, quia natura ſuſtentanda eſt, nec ſuperflua requirere, quia lex vetat; medium autem tenere, non benè ſciat.

31 Vincitur euellendo e corde omnem affectum, non ſolùm rerum temporalium, ſed etiam honoris, & vanæ laudis; euulſa enim quacumque re ex corde, facilè eſt ſe ad mediocritatem reducere.

32 Petit homo a Deo hanc cordis purgationem, & ſapientiam cæleſtem, diligendi

Deum

Deum ſuper omnia, & cætera ſecundum ordinem a Deo præſtitutum.

33. Contra tertium, quærendi inferiorem locum, & omnibus ſubijciẽdi ſe, oritur tertia tentatio; inſurgunt multi, qui contra hunc virum ſpiritualem, vltimum locum deſiderantem, malè loquuntur, & ſentiunt: quam tentationem facilè vincet, ſi deteriora de ſe ipſe iudicabit, & neminem ſe inferiorem; nec ſuam pacem in ore hominum, ſed in Deo collocabit.

34 Contra quartum, quod erat, optare ſemper, vt voluntas Dei integrè in nobis fiat, inſurgit grauiſſima aliqua tẽtatio, (fortaſſe carnis) vt cum maximè vellet in ſe diuinam exequi voluntatem, videatur non poſſe, quàm æquo animo tolerare, nec propter illam turbari; is ſolùm poteſt, qui optat, vt voluntas Dei integrè in eo ſemper fiat.

35 Debet homo hac tentatione pulſatus, ſubitò ad Deum per orationem recurrere firmiter, & perſeueranter, nec ſe ad humana ſolatia conuertere: expedit enim homini hæc pati, quare debet pro eis gratias Deo agere, immo gaudere in hac afflictione: & ſic pacem, hac tentatione, vel quauis alia ſimili, non perdet.

36 Acquiſita pace, ſequitur acquirenda

perfecta libertas volandi ad Chriſtum, & in eo quieſcendi, abiecta cupiditate rerum omnium, ſine qua quidquid homo ſcit: quid quid habet, non eſt magni ponderis.

10 Libertas ſpiritus.

37 Hæc libertas vnico verbo continetur, dimitte omnia, & inuenies omnia; dimitte cupiditatem, & inuenies requiem: in hoc omnis perfectio Religioſorum continetur. Qui enim ſe non amat, ſed ad nutum Dei, & ſui Patris ſpiritualis operatur, totam vitam cum gaudio, & libertate pertranſit. Vt autē homo hanc rerum omnium reſignationem recto ordine faciat, duo ſunt neceſſaria:

38 Primùm, vt totam mentis intentionem ad debitum, & optimum finem dirigat, Dei ſolius maiorem honorem, & gloriam in omnibus rebus quærendo, ſine næuo proprij amoris. Quo fiet, vt proprijs affectibus non conſtringatur, qui aliquando nobis etiam nolentibus accedunt, & recedunt; vt nunc læti, nunc triſtes; modò pacati, modò turbati; iam deuoti, iam indeuoti; nunc ſtudioſi, nunc acidioſi; aliquando graues, aliquando leues inueniamur.

39 Mox vt homo affectiones omnes intentione pura in Deum ſubiecit, magna perfruitur conſolatione, & guſtat, quàm ſit hoc dulce verbum: Deus meus, & omnia Omnia illi dulcia ſunt propter Deum: ſed Deus ipſe

ita

ita illi ſapit, vt cupiat ipſi ſoli inhærere iubiloſis exceſſibus; vt Deus ſit ipſi omnia in omnibus. Sed interturbat hanc conſolationem vetus homo nondum totus crucifixus, & perfectè mortuus, qui concupiſcit fortiter contra ſpiritum, bella mouet interna, nec puram intentionem in Deũ patitur eſſe firmam, & ſtabilem, quàm varijs affectionibus conatur euertere.

40 Propter hanc pugnam, & tentationes magnopere animo formidat, ne vera filiorũ Dei libertate deſtituta ſit. Sed confirmanda eſt, & inſtruenda, non conſiſtere huius vitæ perfectam libertatem, in quiete, & carentia tentationum; ſed in victoria earum, & voluntate libenter ſuſtinendi pro Chriſto, labores, dolores, tentationes, vexationes, anxietates, neceſſitates, infirmitates, iniurias, oblocutiones, reprehenſionès, humiliationes, confuſiones, correctiones, ſicut Sancti omnes ſuſtinuerunt.

41 Mox, vt homo hæc pro Chriſto pati deſiderat, vt eius deſiderium firmetur, Deo permittente, quidam contumelias illi inferunt, alij obmurmurãt, alij malè de ipſo ſentiunt. Nec mirum eſt, cum nec Paulus omnibus placere potuerit, ſed patientia, ac humilitate ſe defenderit; & ſi aliquando reſpondit, id fecit: ne infirmis ex ſua taci-

 tur-

turnitate generaret ſcandalum.

42 Superantur enim omnes iſtæ contradictiones, & difficultates non contentioſa defenſione ſui, ſed abnegando ſe, & omnia, non ex parte, nec aliquando, ſed plenè, & omni tempore: quo fit, vt rectam intentionem ad Deum habentes, a rebus omnibus creatis liberi ſimus.

43 Poſt rectam intentionem ſecundò neceſſarium eſt, ad libertatem filiorum Dei obtinendam: vt rebus omnibua vtamur, prout ordinatæ ſunt a Deo, qui nihil inordinatum in ſua reliquit creatura. Ne autem homo rerum apparentia decipiatur, & amplectatur, quod deberet reſpuere; vel reſpuat, quod deberet amplecti; cum primùm actio aliqua, vel opus menti occurrit, recurrendum eſt ad taberuaculum cordis, ad cōſulendum Deum de tali re, ſi nolumus decipi; ſicut Ioſue deceptus eſt a Gabaonitis, quia inconſulto Domino, credidit dulcibus ſermonibus aduerſariorum, falſa pietate deluſus.

44 Rebus autem Deo commendatis, poſtquam id præſtitum fuerit, quod ratio dictauerit, obedientia iuſſerit, vel poſſibilitas tulerit, totum negotium Deo eſt committendum; ita vt ſine vlla anxietate de futuro euentu, & cum magna animi tranqnillitate,

rerum

rerum euentum a Deo ordinatum, præſtolentur.

45 Quod qui facit, ſtatim mira afficitur diuina conſolatione. & agnoſcit, quàm ſit homò in deſiderijs ſuis inconſtans; Deus autē ſemper bonus, iuſtus, & ſanctus; benè, & iuſtè, ac ſanctè agens, & diſponens omnia in ſapientia: qui tandem negotia ſibi commiſſa, ad optimum exitum perducit. Sed quocumque modo res ſuccedant proſperè, vel aduersè, a tentatione cauendùm eſt: ſi enim proſperè cedant, inſurgit tentatio vanæ gloriæ de felici ſucceſſu, & cupiditas laudū humanarum; quæ vincitur conſideratione propriæ vilitatis, qua homo cupit in Deo ſolo gloriari; de ſe autem non niſi in infirmitatibus ſuis; vt Deo ſoli ſit Laus, Honor, et Gloria, in ſæcula ſæculorum. 9. Pax perfecta.

46 Contra verò, ſi quando, Deo ita diſponente, negotia non ſortiuntur felicem ſucceſſum, ſed rerum euentu alij eleuantur, tu verò deſpectui haberis, & humiliaris, debes Deo vniri per hanc plenam ſpiritus libertatem: pro qua vnione duo adſunt remedia. Primò non debes contriſtari ex hominum contemptu, ſed humiliari, & cogitare, tibi deberi omnem confuſionem, & contemptum; Deo Laudem, Honorem & Gloriam; quia niſi te præparaueris ad ſuſtinendum liben-

libenter ab omni creatura deſpici, & nihili fieri, non poteris plenè Deo frui.

47 Secundò, ad Deum confugias: qui enim nondum didicit in omnibus ſtatim recurrere ad Deum, vt Moyſes ad tabernaculum, in his difficultatibus ad amicorum ſolatia, vel ad librorum cõſolationem, relicto Deo, conuertitur; ſed amici quidem tribulatum, & afflictum fugiunt, deſerunt, & moriuntur; vt diſcat homo ſpiritualis ad ſemper viuentem, & manentem veritatem recurrere.

48 Libri autẽ, in quorũ pulchris, & ſubtilibus ſentẽtijs ſperat homo ſe cõſolationẽ, in aduerſitatibus inuenturũ ſine Deo, vani ſunt conſolatores. Non enim eſt Regnum Dei in ſermone, ſed in virtute. Nam Deus eſt, qui perfectè docet, & breuiſſimo tempore, terrena deſpicere, præſentia faſtidire, æterna quærere, honores fugere, omnem ſpem in Deo collocare.

49 Ad Deum igitur tam in proſperis, quàm in aduerſis recurrendum eſt: reputando ſe tamquam mortuum ſuper terram, & cui totus mundus crucifixus eſt: multa ſurda aure pertranſeundo, nec verbis contendendo, damna quoque temporalia libenter ſuſtinendo.

50 In quibus experientia diſcet homo, rarum

rum inueniri fidum amicum, in cunctis amicis perſeuerantem preſſuris; Deum ſolum eſſe fideliſſimum in omnibus, nec vllum ei eſſe ſimilem.

51 Immo amicos, afflictionis tempore cõtrarios fieri, & verbis, ac factis inſequi ſeruũ Dei: qui ſi quaſſari refugit, & confundi, nec verè amicus eſt, nec verè mundo mortuus, nec mundus ipſi crucifixus. Iuſtus enim non conturbabitur, quid quid a Deo ei acciderit: etſi iniuſtè aliquid contra eum prolatum fuerit, non multùm curabit, nec vanè exultabit, ſi per alios rationabiliter excuſabitur, ſolius Dei iudicium reformidans.

52 Celeriter enim omnes iſtæ difficultates tranſibunt & veniet dies illa, quæ nota eſt Domino, in qua iuſtus æterna perfruetur iucunditate, qua Sancti iam perfruuntur.

53 Obtenta perfecta libertate, anima præ nimia conſolationis dulcedine cupit vinculis carnis exſolui, & Deo in æternitate copulari. 11. Deſiderium beatitudinis.

54 Pro quo deſiderio, & conſolatione debet Deo gratias agere, & recognoſcere ſe non propria virtute illud obtinuiſſe, ſed Dei gratia, & præparare ſe ad futuram deſolationem. Sed quia hoc mortis deſiderium non erat purum, ſed mixtum propria commoditate, docetur deſiderare, & petere, non

quæ

quæ homini ſunt iucunda, & delectabilia, ſed quod Deo gratum eſt, & honorificum, videlicet, vt per hominis vitam, aut mortē, afflictionem, ſeu conſolationem Deus ſemper glorificetur.

55 Hoc deſiderium ſequitur magna deſolatio interior, & humiliatio exterior: quam homo, qui humiliter tolerat, agnoſcendo eam ſibi eſſe ſalutarem, gratias Deo pro ipſa humiliatione agit.

56 Humiliatam animam conſolatur Deus, oſtendens ei, cur eam aliquando videatur deſerere, nec ad ſuum velle colloquium admittere: & quibus debet tunc exercitijs vacare, charitatis ſcilicet, & humilitatis.

57 Hac conſolatione anima delibuta, non ſolùm vt antea, gratias agit pro humiliatione, ſed ſe indignam reputat omni Dei beneficio, & conſolatione; nec iam felicitatem exoptat, vt antea, & vinculis carnis exſolui; ſed tempus efflagitat pœnitēdi, & plāgendi.

12. Deſiderius ſolitudinis, & contemptus omniū rerū creatarū.

58 Mox Deus animam ducet ad ſolitudinem, a notis, & charis amicis auocans, eamque, vt diuinis perfruatur amplexibus, omnibus iubet ſe terrenis conſolationibus abdicare: & omni temporali ſolatio mentem tenere priuatam, maximè verò proprium deteſtari amorem.

59 In hac ſolitudine, ſublato iam paſſionū ſtre-

ſtrepitu, clarè ſentiuntur motus naturæ,& gratiæ,quos Deus docet diſcernere;vt ſubiugetur natura,& gratia creſcat.
60 Sed naturæ motus, qui ex lege peccati conſurgunt, non poteſt homo viribus proprijs, ſed tantùm diuinæ gratiæ auxilio ſuperare; quare præ gratia Dei diuitias contemnit; & quæuis etiam dona ſupernaturalia, vt Prophetiæ,& ſimilia,non quærit,ſolamque gratiam Dei anima ardenti deſiderio efflagitat.
61 Quia verò ad gratiam per Chriſtum peruenitur,qui eſt Via,Veritas,& Vita, qui per Crucem aſcendit ad Patrem; Crucem anima non ſolùm amplectitur, ſed magno etiã affectu efflagitat, vt exerceatur ſeruus in vita Domini ſui. 13. Deſiderium Crucis.
62 In qua dum homo verſatur, magis placet Deo, aduerſa humiliter, & patienter tolerando, quàm dum magna perfruitur conſolationis dulcedine: quòd ſi non poteſt sẽper gaudenter ſuſtinere aduerſa, ſaltem ſuſtineat patienter, enixè a Deo perſeuerantiam in bono poſtulando.
63 Qui ad hunc gradum perfectionis altiſſimæ peruenit,varijs ſolet afflictari cogitationibus,cur aliquis, qui perfectioni ſtudebat,retroceſſerit;alius,longè progreſſus ſit; cur iſte tantùm affligitur; ille eximiè exaltatur;

tatur: quis Sanctorum in cælo ſit beatior, quis minus beatus; quas debet ſuperare in ſe, ac in ſuis peccatis, oculos cõuertendo, & ex corde dolendo; quòd multum a Sanctorum vita, & virtute diſtet.

24. Spes in ſola Dei gratia, et miſericordia.

64 Poſt hanc omnem perfectionem oportet omnem ſpem in ſola Dei gratia, & miſericordia collocare: & potiùs velle cum Chriſto in hac vita peregrinari, quàm ſine eo cælum poſſidere.

LIBER IIII.

In quo tractatur de Vnione cum Deo, quæ fit per ſuſceptionum ſacræ Euchariſtiæ.

1. Remota præparatio.

VT Deo per venerabile Sacramentum Euchariſtiæ perfectè vniamur, triplex requiritur præparatio. Prima remota, ſecũda proxima, tertia coniuncta ipſi ſuſceptioni Sacramenti. Remota conſiſtit, Primò in cognitione propriæ vilitatis, & reuerentia maxima Chriſti in Euchariſtia præſentis.

2 Secundò, in cognitione propriæ imperfectionis, & gratiarum actione pro tam inſigni beneficio.

3 Tertiò, in deſiderio ardenti recipiendi Chriſtum in domum proprij cordis.

4 Quòd excitatur conſideratione vtilitatis,

tis, magnorumque bonorum, quæ proueniunt ex ſumptione Euchariſtiæ.

5 Hæc tamen ſola præparatio non ſufficit, quamuis remota ſit, Sacerdos ſæpe celebrans, ea carere non debet.

6 Sed præter hanc alia proxima diſpoſitio tam communicāti, quàm celebrāti neceſſaria eſt, quæ conſiſtit etiam in tribus:

7 Primò, in diſcuſſione propriæ conſcientiæ, confeſſione Sacramentali peccatorum, & propoſito emendationis. 2. Proxima præparatio.

8 Secundò, in oblatione ſui ipſius, & totali reſignatione ad voluntatem Dei, ſicut Chriſtus expanſis in Cruce manibus, & nudo Corpore, ſeipſum pro peccatis noſtris Deo Patri obtulit.

9 Poterit fieri hæc oblatio in hunc fermè modum: Domine in ſimplicitate cordis mei offero me ipſum tibi hodie in ſeruum ſempiternum, ſuſcipe me cum hac ſancta oblatione tui pretioſi Corporis, vt ſit pro me, & pro cuncto populo tuo in ſalutem. Offero tibi omnia peccata mea, nolo vmquam amplius peccare, ſalua animam meam, quam pretioſo Sanguine redemiſti. Offero tibi omnia bona mea, quæ tua dona ſunt, vt ea conſerues, & amplifices. Offero tibi omnes neceſſitates eorum, qui ſe mihi commendarunt, vel quorū memoriā habere debeo, &c.

10 Tertiò, in deſiderio ardenti non ſolùm communicandi, ſed frequenter communicandi: a quo deſiderio nos retrahere conatur inimicus varijs tentationibus, & difficultatibus; vt putemus nos eſſe peiores; quò ſæpius communicamus. Sed non eſt audiendus, quin potiùs contemnendus, & ridendus.

11 Non enim eſt hic cibus venenum; ſed antidotum, in quo eſt ipſe Chriſtus, quem Angeli in cælo adorant, ſub ſpeciebus ſacramentalibus occultatus: vt oculi noſtri ferre eius claritatem, & maieſtatem poſſint.

3 Coniũctaꝰ præparatio. 12 Vltima præparatio ipſi communioni cõiuncta, eſt quoque triplex. Prima expurgare animam ab omnibus alijs cogitationibus, & negotijs: ad quod iuuat non ſolùm ante ſacram Communionem, ſed poſt eam etiam collectum conſeruare ſpiritum; ita vt vna Communio ſit præparatio ad aliam: quod homo non ſua induſtria, virtute, aut merito, ſed Dei gratia perficiet.

13 Hanc gratiam ardenter homo a Deo poſtulat: videlicet Deo perfectè vniri, in eo abſorberi, ſuique totaliter obliuiſci.

14 Quomodo aliqui Sancti, & deuoti viri cum magna deuotione, & affectu ad hoc Sacramentum acceſſerunt, qui ore, corde, & corpore pariter ad Sacramentum inhiabãt,

ſuam eſuriem non valentes aliter temperare, nec ſatiare, niſi ſumpto Corpore Chriſti cũ omni iucunditate, & ſpirituali auiditate.
15 Secunda, deuotionis gratiam inſtanter quærere, deſideranter petere, patienter, & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conſeruare, ſtudioſè cum ea operari, ac Deo tempus, & modum ſupernæ viſitationis, donec veniat, committere: qui eã ſæpe dat vno breui momento, quam negauit longo tempore: & quandoque in fine, quandoque in principio, nec aliud videtur ad eam concedendam expectare, quàm vt ex toto corde perfectè nos ei tradamus, & euacuemus a rebus omnibus creatis.
16 Hanc præparationem, quia a ſe homo habere non poteſt, iuſtanter eam a Deo efflagitat, vt reficiat mendicum eſurientem, accendat frigidum igne amoris ſui; illuminet cæcum claritate præſentiæ ſuæ; vertat omnia terrena in amaritudinem: omnia grauia, & contraria in patientiam; omnia infima, & creata in contemptum, & obliuionẽ; & cor ad ſe ſolum rapiat.
17 Tertia, in amoris affectum erumpere, quo accenſa anima deſiderat communicare cum ea præparatione, qua communicarunt omnes Sancti: immo & cũ ea, quam poteſt humana mens concipere, aut deſiderare.

Cum eo affectu, reuerentia, laude, & honore, gratitudine, dignitate, amore; fide, ſpe, puritate, & humilitate: qua Beata Virgo MARIA excepit Verbum Diuinum in myſterio Incarnationis. Cum ea alacritate, qua Ioannes in vtero, & poſtea in Iordane excepit IESVM. Cum oblatione omnium iubilationum deuotorum affectuum, exceſſuum mentis, ſupernarum illuminationum, cælicarum viſionũ, virtutum omnium, & laudũ, Deo tã in cælis, quàm in terra exhibitarum.

18 Huic tanto amori ſuccedit grauis tentatio, altiſſima Dei myſteria curioſè inueſtigandi, qua multi deuotionem perdiderunt, dum altiora ſcrutari voluerunt. Sed ea per fidem, & humilitatem ſuperata, Deus adeo profuſè, & largè animæ illabitur, & intimè vnitur; vt dicat Paulus: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Quare ſuperuacaneum fuerit conari explicare, quod Deus in anima ſibi per amorem perfectè vnita operatur. Satis eſt indicaſſe, quomodò homo ad hanc perfectam Vnionẽ peruenire poſſit.

1. Cor. 2.

Explicit Methodus Practica ad Libros Quatuor de Imitatione Christi, Ioannis Gerſenis Abbatis Italo-Benedictini.

Et exultabit lingua mea Iuſtitiã tuã, Deus.

PERITIA, SIVE BREVIS EPITOME

Librorum Quatuor DE IMITATIONE CHRISTI.

Venerabilis Viri,

IOANNIS GERSENIS ITALI,

Abbatis Benedictini.

Ex editione Romana D. CONSTANTINI ABBATIS CAIETANI, nunc iterum recenſita.

CVM Libri iſti nihil, quod cuiquam obeſſe poſſit, habeant, tutò ab omnibus, modò illius capaces ſint, legi poſſunt. Stylo præterea ſimplici, nullo verborum ornatu confecti, nec vllas, niſi raro admodum, rationes, aut teſtimonia ad perſuadendum adducunt.

Quare tantus eſt in eis rerum ſuccus, tãta vis, ac ſententiarum, quibus paſſim abundat, grauitas: vt in eiſdem nihil mutari, adiungi, aut demi poſſit.

Opus planè integrum, & abſolutum, cum

omnes aſſequendæ perfectionis gradus, & vias attingat, contineatque principia vniuerſalia cultus interni, ex quibus conciones ferè innumeræ poſſunt deduci.

Numquam ſatiat eius lectio, aut nauſeã parit, at mirificè audientis animum delectat etiamſi millies repetatur: illa enim vniuerſalia principia, ſunt veluti ſemina, quæ in ſe continet, vt animus hominis purgetur, illuminetur, perficiatur, deificetur. Eſt valde ſimile Diuinæ Scripturæ, quia præter ea, quæ dicta ſunt, latet in eo diuina quædam, & occulta Spiritus ſancti virtus, quæ in legentis, & audientis animum, (modò id cum pietate, & attentè fiat) ita illabitur, vt eum penitus immutet, & a rebus creatis in Deũ transferat. Verſatur in explicanda Chriſtianæ perfectionis praxi. Quare ſi hunc legeris Libellum, piè, attentè, & diligenter, vberes ſanè fructus reportabis. Tria autem notabis capita, quæ ſparſim de Chriſtiana perfectione hic continenrur.

1 Eſt perfectio eſſentialis Vitæ Chriſtianæ, quam pro ſcopo habet.

2 Quibus vijs, & gradibus ad hunc ſcopum perueniatur.

3 Quæ ſint media, & inſtrumenta eiuſdẽ.

Sco-

Scopus.

CHriſtiana perfectio, ad quam omnes aſpirare, & tendere aliquo modo tenentur, eſt ſcopus huius Operis. Hæc autē perfectio, etſi vna nitatur charitate, quæ animū Deo vnit; quia tamen perfectæ charitatis, quatuor ſunt præcipua munera:

1 Parere videlicet maximum ſui contemptum.

2 Impellere ad omnimodam ſui abnegationem.

3 Reddere hominem ad omnia indifferentem, quæ illi accidunt, & a Diuina prouidentia immittuntur.

4 Ac denique voluntatem noſtram ita cum Dei beneplacito vnire, vt vi amoris vnus cum illo fiat ſpiritus. In his quatuor charitatis officijs deſcribendis magna ex parte verſatur.

Contemptus ſui.

QVia ſine eo nemo Chriſtianam perfectionem poteſt aſſequi, ſubijcit varios modos, proprietates, & effectus illius admirabiles: quæ ſi ad praxim redigas, magna a Deo ſpera. Lib. 1. c. 2. & 19. l. 2. c. 1. 6. & 10. lib. 3. c. 5. 8. 9. 10. 36. 45. 46. 47. 54. 55. & 57.

Abnegatio ſui.

SEcundo loco eadem varietate loquitur de ſui abnegatione: nam primò docet quàm magna ſit neceſſitas illius, quæ vniuerſi amoris proprij expoliatione conſiſtit, eò quòd noſtri amor pace,& lætitia priuet. lib. 1.c.6.lib.2.c.1.lib.3.c.31. & 47.

Tum denique quia ſine omnium rerum abdicatione non poteſt poſſideri vera libertas ſpiritus.lib.3.c.31.& 37.

Deſcribit ſecundò varijs modis hanc abnegationem.lib.1.c.7.lib.2.c.8.

Vocat eam nuditatem. lib.2. c.11.lib.3. c.37.42.46 47.& 58.

Vocat ſui victoriam. lib. 3. c.47.& 58.

Vocat mortem. l.3.c.17 47.49.54.58.

Vocat ſubtractionem lib. 1. c. 6. lib. 3. c.13.& 32.

Dicitur & euacuatio.lib.4.c.15.lib.2.c.9. lib.3.c.18.32.36.49.& 61.

Proponuntur tertiò duo genera abnegationis,non mediocriter inter ſe differentia: quorũ vſus,& praxis illud præcipuè requirit:vt omnes diù & multum in primo exerceantur,antequam ad ſecundũ perueniatur.

Nam primum verſatur tantùm in coercendo & moderando appetitu rerum ſenſi-

bilium,

bilium,& terrenarum,ſiue internæ ſint, ſiue externæ,vt eſt amor, & cupiditates diuitiarum,honorum,voluptatum, parentum, &c. lib. 1. c. 6. & 22. lib. 3. c. 13. 22. 31. 42. 46. 47. & 58.

Secundum abnegationis genus longè ſublimius eſt,& a paucis cognitum; a paucioribus verò ad vſum,& opus redactum: eſt enim totum ſpirituale, cum in tollenda omni impuritate, & proprietate verſetur, quæ ſæpe contaminat amorem, & deſiderium rerum cæleſtium, & ſpiritualium: quæ ſi quis amat propter ſe tantùm, & non propter Deum amor eſſe impurus dignoſcitur. lib. 1. c. 15. lib. 2. c. 9. 10. 11. & 12. lib. 3. c. 12. & 54.

Indifferentia.

TErtio loco, quoniam anima maximè diſponitur ad vnionem cum Deo per Indifferentiæ virtutem, valde ponderanda ſunt, quæ hoc in Libello dicũtur. lib. 2. c. 11. lib. 3. c. 16. 19. 24. & 29.

Conformitas cum Dei voluntate.

QVarto loco ponderanda ſunt valde, quæ de poſtremo charitatis officio, quæ conſiſtit in concordia voluntatis no-

